N. XIII. 11.
D. E. 1.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/fastiatticiinqui34cors

FASTI ATTICI
IN PARTES DVAS
ET
QVATVOR VOLVMINA
DISTRIBVTI.

FASTI ATTICI
IN QVIBVS
ARCHONTVM
ATHENIENSIVM SERIES
PHILOSOPHORVM ALIORVMQVE ILLVSTRIVM
VIRORVM AETAS
ATQVE PRAECIPVA ATTICAE HISTORIAE CAPITA
PER OLYMPICOS ANNOS DISPOSITA DESCRIBVNTVR
NOVISQVE OBSERVATIONIBVS ILLVSTRANTVR

AVCTORE
EDVARDO CORSINO
CLER. REGVL. SCHOLARVM PIARVM
IN PISANA ACADEMIA PHILOSOPHIAE PROFESSORE

TOMVS TERTIVS.



FLORENTIAE. ANNO. CIↃ.IↃCCLI.
APVD IOANNEM PAVLLVM GIOVANNELLI
Societatis Columbariae Typographum.

PRAESIDVM ADPROBATIONE.



§. I.

Faſtorum Atticorum finis, utilitas, atque praeſtantia.



QVum plurimae Facultates aliae, atque honeſtiſſimae diſciplinae erudiendis hominum mentibus, ipſorumque moribus ad honeſtatem, optimamque vitae degendae rationem informandis inſtitutae fuerint; nulla tamen utilior, aut iucundior inventa fuit, quam Hiſtoria, quam proinde Cicero (1) elegantiſſime *vitae magiſtram*, *nunciam vetuſtatis*, *veritatis lucem*, *temporumque teſtem* vocavit. Maxima tamen, & eximia prorſus utilitas, quae ex Hiſtoria ipſa, veluti uberrimo perennique fonte, dimanat, facile ex ipſa ha-

(1) De Orat. II. c. 9.

beri, vel ſperari non poterit, niſi illa pluribus veluti praeſidiis, atque luminibus exornetur. Vt enim praeteream in Hiſtoricis omnibus acrem ingenii vim in explorandis, ſeligendiſque memoriis ſolertiam, conſtans ubique veritatis ſtudium requiri, illud etiam ab optimo, peritoque Hiſtorico accuratiſſime praeſtari debet, ut rebus omnibus, quas recenſendas ſuſceperit, perſpicuos quoſdam certoſque temporum characteres adiiciat, quorum praeſidio facile intelligi deprehendique poſſit qua quaeque aetate contigerint, qua temporum ſerie vel ordine ſingula geſta ſint. Ita nimirum facile rerum temporibus, lociſque diſiunctarum connexio, conſiliorum exitus, universa demum rerum geſtarum viciſſitudo ſuis veluti coloribus expreſsa non ſine maxima voluptate legentium oculis obverſatur; ſicuti viciſſim, ſi nullae temporum notae ab Hiſtorico uſurpatae fuerint, univerſa illa rerum geſtarum compages omnino confuſa ac indigeſta lectorum animos obruere, in diverſa prorſus abripere, ancipites demum, anxios, ac incertos efficere videtur. Itaque ab optimis meliorisque notae tum Graecis, tum Latinis etiam Scriptoribus id in more poſitum, vel uſurpatum eſſe conſpicimus, ut quamvis illi res ſingulas non perenni quodam continuoque annorum diſcrimine memorandas ſuſceperint, quod in *Annalibus* fieri conſueverat; rebus tamen ipſis *Magiſtratuum* illorum nomina adiecerint, qui iis temporibus imperarunt; ut ex eiuſmodi nominibus, veluti perſpicua perſpectaque temporis nota, hiſtoriae antiquitas agnoſceretur. Siquidem iis temporibus, quibus Hiſtorici, ac Scriptores alii in antiquis eiuſmodi rebus memorandis ſtudium atque operam collocarunt, Magiſtratuum Faſti publica ple-

rum-

rumque auctoritate confecti ita omnium oculis obverſari, vel lectorum manibus teri conſueverant, ut ex ſolo Magiſtratus nomine, ac ſitu rerum aetas repente certoque deduci poſſet. Vbi vero immanis quaedam barbaries ubique Gentium incubuit, adeoque veteres illi Magiſtratuum Faſti temporis iniuria, hominumque incuria interciderunt, incertum plane obſcurumque eſſe coepit cui demum anno Magiſtratus ille, qui a Graeco, vel Latino Hiſtorico memoratur, adſcribendus eſſet; adeoque tempus etiam atque annus ignorari debuit, quo res quaedam Magiſtratus eius nomine inſignita contigiſſet. Itaque illud unum tum in Graeca, tum in Latina Hiſtoria illuſtranda praeſtandum maxime fuerat, ut eiuſmodi Faſti, quos temporis edacitas, ac fata nobis inviderant, accurate reſtitui, vel reparari propemodum viderentur, ſine quibus univerſa temporum ſeries, ac hiſtoriae veritas fluctuare miriſque ambagibus irretiri merito cenſebatur.

Id optime profecto viderant praeſtantiſſimi Viri, qui maxima ingenii doctrinaeque gloria res a Romano Populo praeclare geſtas, univerſamque Romanam Hiſtoriam duobus fere ab hinc ſaeculis illuſtrandam ſuſcepere. Quum enim principes illi Romanorum Hiſtorici Livius, Dionyſius, Dio, Tacitus ita res domi foriſque geſtas deſcripſerint, ut iis Conſulum nomina veluti perſpicuos temporum characteres, ac fere lumina adiecerint, interdum etiam annos ab Vrbe Roma Condita expreſſerint, doctiſſimi Romanarum Rerum Interpretes intellexere perſpicuam, accuratam, ſibique conſtantem hiſtoriae ſeriem ex Hiſtoricis, ac monimentis aliis exſculpi non poſse, niſi prius integra & accurata

Faſtorum Romanorum ſeries contexta foret, in qua Reges ipſi, Conſules, ac Magiſtratus omnes ſuis rite temporibus adſcriberentur. Vbi nimirum perennis illa, conſtans, atque indubia Magiſtratuum ſeries conſtituta iam fuerit, quidquid ab Hiſtoricis aut Regum, aut Conſulum quorumdam anno geſtum memoratur, facile ad annum illum revocari iam poterit, quo vere contigerat; eaque face ac praeſidio nitide certoque intelligi quid in Romana Hiſtoria antiquius, quid recentius haberi debeat, quid ab Hiſtorico quodam accurate traditum, quid viciſſim temere, & contra temporum rationem expreſsum fuerit. Itaque praeclare de Litteris, Romanaque Hiſtoria mereri debuit Sigonius, illuſtre illud patriae, Italiaeque ſuae ornamentum, qui non modo veteres Romanos Faſtos iam inde ab Auguſti Caeſaris aetate Capitolino Marmori inſcriptos eximia qua fuerat veteris hiſtoriae, veterumque monimentorum cognitione ſupplendos, ac illuſtrandos ſuſcepit; verum etiam plurimis monimentis aliis, atque Scriptorum teſtimoniis invicem collatis perennem quamdam Romanorum Faſtorum ſeriem ad Tiberii Caeſaris aetatem accuratiſſime deduxit. Sigonio facem hanc praeferente Pighius, Almelovenius, aliique innumeri ſpartam ipſam ornarunt; ut proinde hac in parte nihil fere ſplendidius, utilius, atque accuratius optari poſſe videatur.

Quemadmodum vero Sigonius ipſe nitidam accuratamque rerum Romanarum hiſtoriam ſperari non poſse iam viderat, niſi plena ac perennis Conſulum, Regumque Romanorum ſeries haberetur, adeoque ipſorum Faſti diligentiſſime contexti forent; ita quoque noverat Athenienſium Graecorumque

hiſto-

hiſtoriam inconditam, obſcuram, mireque fluxam haberi oportere; niſi Regum, atque Archontum Athenienſium ſeries praecederet, in qua Magiſtratus illi nativo quodam, perenni, veroque ordine recenſerentur; ut ipſorum quilibet anno illi Olympico adſcriberetur, quo Magiſtratum, ac imperium Athenis, vel Lacedaemone ſuſcepiſſet. Ita nimirum, quum res, ac hiſtoria quaedam Archontis alicuius anno contigiſſe diceretur, adeoque vel *Regis*, vel *Archontis*, vel *Ephori* nomen ab Hiſtorico veluti perſpicua temporis nota adiiceretur, facile Faſtorum praeſidio intelligi poterat quid apud Gentes illas maturius, quid ſerius contigiſſet, quis annorum numerus ab alicuius rei geſtae tempore ad aetatem hanc noſtram interceſſerit; quid ab Hiſtoricis accurate, quid perperam traditum narratumque videretur. Hinc ille anno 1564. aureolum Libellum *de Athenienſium, ac Lacedaemoniorum Temporibus* edidit, ut in illo Spartanorum Regum nomina, aetatem, ordinem exhiberet, praeſertim vero Athenienſium Reges, & Archontes omnes, ſive *perpetui*, ſive *decennales*, ſive *annui* illi forent, quos a Scriptoribus memoratos invenerat, Olympicis annis adſcriberet. Ingenue tamen fatendum eſt Sigonium ipſum non exquiſitam admodum hac in parte diligentiam adhibuiſſe; Opuſque illud, ac ſtudium anguſtis oppido finibus circumſcripſiſſe. Etenim, ſi Faſtis Atticis plene accurateque contexendis exiguam eius diligentiae, ſtudiique partem contuliſſet, quo *de Athenienſium Republica* diſputavit, nullus dubito quin Athenienſium Faſti numeris omnibus abſoluti a doctiſſimo atque immortali Viro exſpectandi fuiſſent; ut quemadmodum nempe Sigonius in aureo Ope-

Opere *de Athenienſium Republica* nihil propemodum intactum, obſcurum, atque inexploratum reliquit; ita quoque in ſingulis Athenienſium Archontibus rite recenſendis nihil optandum reliquiſſet. Quamvis tamen Sigonius hos Athenienſium Faſtos breviores ediderit; nihilo tamen minus optimo maximoque iure laudari ille debet, non modo quod ceteris pone ſequentibus facem praetulit, verum etiam quod alicubi ſequentium induſtriam ſuperavit, atque nonnulla ſubtilius & caſtigatius expreſſit, quae ab Eruditis aliis, qui Sigonii veſtigiis inſtitere, minus accurate feliciterque diſpoſita, vel illuſtrata fuere, ut anno 3. Olymp. XXIV. alibique oſtendetur. Eadem quoque laus magno Scaligero adſcribi debet, qui Graecis Euſebii Chronicis Ἱστοριῶν Ἀναγραφὴν *Hiſtoriarum Recenſionem* Graece a ſe contextam ſubiecit, ut in illa ſingulis Olympicis annis Athenienſium *Archontum*, & *Hieronicarum* nomina, ſimulque illuſtriora Graecae Hiſtoriae capita ipſis fere Veterum Scriptorum verbis expreſsa breviſſime complecteretur.

Proxime poſt Sigonium ipſum, & Scaligerum Faſtorum eiuſmodi contexendorum conſilium ſuſcepit Cl. Meurſius in Libris IV. *de Athenienſium Archontibus*, quos ille anno 1622. in lucem edidit. Siquidem in iis, poſtquam plurima de varia imperii forma, quae Athenis initio ſub *Regibus*, deinde ſub *perpetuis*, mox *decennalibus* Archontibus obtinuit, explicaſset, tandem Novemviros, ſive annuos Archontes *novem*, Olympiade XXIV. electos eſse demonſtravit, ut eiuſmodi Novemvirorum primus civilibus annis temporis notam, characterem, ac veluti nomen imponeret, adeoque *Eponymus Archon*,

vel

vel *Archon* ſolum dicetur. Tum annuorum eiuſmodi, ac Eponymorum Archontum ſeriem per Olympicos annos ita diſpoſitam concinnavit Meurſius, ut Veterum teſtimonia ubique protulerit, quibus Archontum nomen, ac ſitus oſtenderetur. Hieronicarum quoque nomina ſuis in locis opportune adiecit, illuſtrium Virorum aetatem, atque praecipua quaedam Atticae Hiſtoriae capita ſubinde indicavit, ac ubique fere Veterum Scriptorum loca, quae Meurſii aetate in vulgatis Codicibus hiulca, vel depravata fuerant, ingenioſe feliciterque reſtituit. Denique, quum perennem hanc Eponymorum Archontum ſeriem ad annum uſque 1. Olymp. CCLX. deduxiſſet, poſtremo Libri IV. Capite Archontes alios promiſcue ſubiecit, quorum aetatem obſcuram ac incertam eſſe putavit. Quamvis tamen hoc Opere, plurimiſque aliis, quibus Meurſius Graecas, atque Atticas in primis Antiquitates uberrime illuſtravit, egregie de Litteris meritus, atque immortalem proinde gloriam ſit conſequutus; plurima tamen in illo optari poſſe videbantur, quae ſolertiſſimi Viri diligentiam effugerant, aut ab illo cognoſci non poterant. Etenim plura Archontum nomina ex *Oxonienſi Marmore*, ſive *Chronico Marmoreo* poſt Meurſii fata affulſerunt; plura ex Marmoribus aliis prodiere, quae a Sponio, aliiſque Scriptoribus edita ſunt, quaeque proinde a Meurſio Faſtis inſeri, ſuiſque locis inſcribi non poterant. Ita quoque Meurſii aetate de *Pſeudeponymis* Athenienſium Archontibus nemo cogitaverat, adeoque Meurſius illos etiam Faſtis inſcribendos putavit, perinde quaſi illi quoque *Eponymi* cenſendi forent. Archontes illos, qui in Deliis Marmoribus obſervantur,

Athe-

Athenienſes eſſe ille credidit; quum tamen ipſi ab Athenienſibus diſtingui, Deliiſque ſolum adſcribi debeant, ut certis ego rationibus demonſtravi (1). Archontum ſeriem a Scaligero Graece contextam *Anonymi* cuiuſdam Veteris Scriptoris opus eſſe putavit; adeoque ipſam non modo ſaepiſſime exſcribere, & ſequi conſuevit; verum etiam ipſius praeſidio Veterum Scriptorum textus ſollicitare, interdum etiam depravare tentavit. Denique id Eruditis omnibus eſt obſervatum, quod Meurſius in colligendis quidem, exſcribendiſque Veterum teſtimoniis aliorum omnium ſolertiam longiſſime ſuperavit; ut in volutandis, conſulendiſque Veterum ſcriptis aetatem omnem contriviſſe merito exiſtimetur; in explorandis vero teſtimoniis ipſis, iiſque ſubtiliter, & accurate invicem conferendis otium illi plerumque, tempuſque defuit. Hinc ille plurima Scriptorum loca temere ſollicitavit; ſibique non conſtans, quod alicubi dixerat, alibi vel diſerte reſpuit, vel certe perſpicua quaedam teſtimonia protulit, quibus Archontum ſitus ſemel conſtitutus inverti, planeque refelli poſſet; ut in Olymp. XLVII. alibique ſaepius obſervabitur: quemadmodum plurima id genus Meurſii errata variis in locis alibi iam demonſtravi. Haec vero in ipſo quoque Operis huius limine indicaſſe libuit, non ut quidpiam incredibili Meurſii diligentiae, praeclariſque tanti Viri meritis detractum velim; ſed ne quis temere ſuſpicetur (quod fieri ſubinde ſolet) actum agi, ſi unum idemque conſilium & argumentum, quod a Meurſio, ceteriſque Veteribus ſuſceptum fuerat, novis deinde ſtudiis illuſtretur; ſed honeſte potius intel-

(1) Tom. I. pag. 375.

telligat in ipſa quoque Athenienſium Archontum ſerie contexenda aliquid a Recentioribus etiam ſperari potuiſse, quo ſeries illa accuratior, longeque plenior, atque concinnior haberetur. Certe Meurſius poſt editos Sigonii, & Scaligeri Faſtos novam aliam Archontum ſeriem adornandam ſuſcepit; ac Dodvellus ipſe, cui in obſcurioribus Chronologiae locis ſubtiliter, ingenioſeque explicandis, atque in rerum a Graecis, Latiniſque geſtarum temporibus rite definiendis neminem unquam alterum comparaverim, breviorem quidem, ſed longe tamen accuratiorem, Athenienſium eiuſmodi Archontum ſeriem poſt Scaligeri, Sigonii, Meurſii ſcripta concinnavit, ut proinde ſeries ab illo contexta Meurſiana plenior, clarior, accuratior, legendiſque Graecis Scriptoribus utilior cenſeri debeat. Quandoquidem vero Dodvellus ſola Archontum nomina, diſſimulatis Veterum teſtimoniis, recenſenda ſuſcepit, atque ubi *Annales Thucydidaeos*, & *Xenophontaeos* exceperis, quos ille mira induſtria, labore ſummo, atque incredibili perſpicuitate digeſſit, nullibi fere poſt Archontum nomina res ab Athenienſibus geſtas memoravit, Dodvelli Opus plenum, integrumque *Faſtorum Atticorum* corpus cenſeri non poterit. Accedit etiam quod in recenſendis Athenienſium Archontibus liberius aliquando Dodvellus, ut in pleriſque aliis doctiſſimi Viri Libris factum conſpicitur, vel coniecturis, vel praeconceptae opinioni indulſit; ut quum Ariſtidem, & Themiſtoclem Faſtis inſeruit; Lyſaniam viciſſim expunxit; Bionem ex anno 3. Olymp. LXXX. ad annum 1. Olym. LXXXVI. tranſtulit; Apſeudi non *ſeptemdecim*, ut ego quidem exiſtimo, ſed *quinque* ſolum menſes conceſſit: ex

quo maxima in Faſtos Atticos labes, ac perturbatio manaſſe debuit. Quum tamen plurima, atque omnia fere Dodvellus ipſe feliciter exploraverit, maximo certe mihi in Faſtis adornandis praeſidio ille fuit; ut proinde ſaepiſſime tum Meurſii, tum Dodvelli nomen laudaverim; atque ubi a Dodvelli ſententia recedendum eſſe putavi, id modeſte adiecta ubique ratione praeſtaverim, quae me vel invitum fere in ſententiam aliam impulerat. Eiuſmodi vero praeclara Sigonii, Scaligeri, Meurſii, ac Dodvelli ſtudia in perenni quadam Archontum Eponymorum ſerie contexenda argumento ſane eſse poterunt quanta ex Faſtis ipſis utilitas, quantuſque fructus in Graeca Hiſtoria legenda ſperari debeat; ut omnia nimirum ſuis rite temporibus adſcribantur, reſque Archontis alicuius nomine inſignitae ſuis Olympicis annis tribuantur. Quod ſi viciſſim Archontum ſeries, aut ſitus incertus foret, ipſum quoque rei geſtae tempus aut omnino ignorari, aut incertum eſse deberet. Itaque, ut Atticae Hiſtoriae ſeries concinna, ſibi conſtans, & accurata eſse poſſit, univerſa primum Archontum ſeries conſtitui debet; ut deinde ex Faſtis ipſis, Archontumque nominibus, veluti praeſidiis, & characteribus, temporum diſpoſitio, ac Hiſtoriae perſpicuitas oriatur.

§. II.

Faſtorum Atticorum methodus, & argumentum.

VBi primum de *Faſtis Atticis*, hoc eſt univerſa Athenienſium Archontum ſerie contexenda, cogitavi, non aliud certe mihi vel animo, vel oculis

lis obverſari coepit, quam eximia prorſus utilitas illa, maximuſque fructus, quem ex Faſtis ipſis veluti uberrimo fonte manare poſse iam vidimus. Itaque non alio prorſus ordine haec omnia deſcribenda ſuſcepi, quam qui in Hiſtoria Graeca legenda perſpicuum illum, certumque ſplendorem ingereret; eaque omnia complecti, breviterque exponere ſum conatus, ex quibus in definiendis Athenienſium temporibus, rerumque ab Athenienſi Populo praeclare geſtarum, ac illuſtrium Virorum aetate aſſerenda, praeſidium oriretur. Quandoquidem vero primum, aut praecipuum certe Faſtorum eiuſmodi munus hoc eſſe debuerat, ut ſingula Athenienſium Archontum nomina ex innumeris fere Scriptoribus hauſta recenſerentur, ipſorumque ſinguli ad annos illos accuratiſſime revocarentur, quibus imperium ſupremamque illam Athenis dignitatem occupaverant, id ego ſane meliori quo poterat ſtudio, ac diligentia praeſtare volui; ut integrior nempe, concinnior, atque accuratior Archontum omnium ſeries hic haberetur, quam quae in Faſtis aliis hactenus editis obſervatur. Itaque non modo ſingula Archontum ipſorum nomina, quae in Graecis Latiniſque Scriptoribus, ac interdum etiam in Marmoreis Tabulis obſervantur, collegi; verum etiam Archontes ipſos ad annos illos Olympicos revocavi, quibus ex Hiſtoricorum hypotheſi adſcribendi fuerant. Quum vero in ipſis Archontum nominibus efferendis varietas aliqua apud Hiſtoricos obſervetur, illud quidem Archontis nomen in Faſtis, ipſorumque ſerie expreſſi, quod accuratius, ac emendatius videbatur; ſed ubique tamen varietatem ipſam expoſui, quae in Scriptoribus aliis, ac vitiatis etiam Scriptorum teſtimoniis

occurrit; ne, ſi fortaſse quiſpiam in depravatos illos Scriptorum codices, aut vitiata Archontum nomina incidiſset, haerere cogeretur; ſed ex Alphabetica potius Archontum Serie, quae poſtremo tandem loco proferetur, repente intelligeret quonam anno Olympico Archon ille imperaverit, veriorique nomine Faſtis adſcriptus ſit. Interdum etiam Archontis nomini tum *patris*, tum *Atticae Populi* nomen adieci, ex quo Archon ille prodierat, ſi alterutrum ex veteribus Scriptoribus affulſiſſet; et quamvis etiam id ſolo coniecturae praeſidio fulciretur, coniecturam ipſam, Scriptoremque eius vadem expreſſi.

Eiuſmodi vero Faſtorum ſeriem non a primis Athenienſium Regibus, de quorum tamen ordine, nomine, aetate nonnulla opportunius in extrema Praefationis parte diſſerentur, exordiri libuit: quod illa nimirum antiquior Atticae Hiſtoriae pars, quae Olympiadas praeceſſit, *mythica* potius, ac fabuloſa cenſenda ſit. Ita quoque in Prolegomenis ipſis Archontes illos breviſſime complecti libuit, qui poſt Codrum, ultimum nempe Athenienſium regem, Athenis imperarunt, eorumque Archontum ſeriem efficiunt, qui *perpetui* vocantur quod dignitatem illam ad mortem uſque obtinerent. Itaque perennis haec, et continua Archontum ſeries a me contexta ab anno 1. Olympiadis I. incipiet, quo Aeſchylus perpetuus Athenis Archon *tertium* in imperio, vel magiſtratu annum agebat. Quumque poſt Aeſchylum ipſum Alcmaeon *perpetuorum* Archontum poſtremus ſucceſſerit, eoque defuncto, anno 1. Olymp. VII. Charops *Decennalium* Archontum *primus* inierit, tum Charopi, tum *ſex* aliis proxime inſequutis numerum illum adieci, quem ipſorum quilibet in *decen-*

cen-

cennalium Archontum ſerie occupaverit ; quod ille nimirum in Archontum decennalium ordine vel I. vel II. vel VII. fuerit . Denique , quum poſt *decimum* Eryxiae VII. *decennalis* Archontis annum Creon Archontum *annuorum primus* anno $\frac{1}{2}$. Olympiadis XXIV. Gamelione menſe imperium ſuſceperit , ipſum *annuorum I.* vocavi ; ceteriſque omnibus Creontem inſequutis numerum adieci , quo perſpicue exprimeretur quemnam ſitum Archon ille in perenni hac annuorum Archontum ſerie obtinuerit . Quod ſi fortaſſe in Olympico quodam anno Eponymus Athenis Archon adhuc incognitus foret , eo quidem in loco ubi Archontis eiuſdem nomen recepta methodo exarandum eſſet , lacunam reliqui ; ſed conſuetum tamen , ipſique convenientem numerum appinxi ; ut anno $\frac{4}{1}$. Olymp. XXV. Archontis quidem nomen adhuc ignotum eſſe indicavi , ſed perſpicue tamen expreſſi quod incognitus Archon ille in Archontum annuorum ſerie IV. habendus erit .

Quum vero haec Archontum ſeries , ipſorumque ſitus principem fere , utilioremque Faſtorum partem efficiat , non modo ſingulis annis Archontis Eponymi nomen adſcripſi ; verum etiam teſtimonia ſingula ex Hiſtoricis , atque Scriptoribus aliis opportune mox protuli , quibus Archontis nomen , ac ſitus aſſeritur ; atque ubi in efferendo Archontis nomine , aut ſitu perplexitas et obſcuritas aliqua offenderetur , eam exponere , ac dirimere ſum conatus : ut certior demum , aut accuratior ſententia ex variis teſtimoniis illis exſculperetur . Exinde vero diligens honeſtuſque Lector intelliget quam facile mihi ex Veterum teſtimoniis ſubtiliter , accurateque exploratis aliquando Archontes quidam ceteris incognit

aſſul-

affulgere debuerint; alii viciſſim ex Faſtis ipſis expungendi fuerint; aliqui demum ex anno, in quem temere ab aliis Faſtorum Scriptoribus coniecti fuerant, ſuum in locum reſtitui potuerint. Ita *Lyſiam* in Oxonienſi Marmore nominatum a *Tleſia* diſtinguendum, diſtinctoque anno tribuendum eſſe obſervavi (1). Ita *Simonidem*, quem Meurſius anno 3. Olymp. XXXIII. adſcripſerat, in annum 2. Olymp. XLVII. transferendum eſſe demonſtravi; idemque prorſus de variis Archontibus aliis, veroque ipſorum ſitu ſuis in locis opportune indicavi (2). Quum vero Archontum plurimos a Demoſthene, aliiſque Scriptoribus memoratos *Pſeudeponymos*, adeoque ex Faſtis Atticis expungendos eſſe iam dixerim, integram quidem illorum ſeriem opportunius alibi (3) expoſui; ubi tamen ipſorum aetas, aut annus ex ipſis Veterum teſtimoniis exſculpi poſſet, ipſorum nomina in iis Olympicis annis adieci, quibus illi Archontis munere ſunt perfuncti.

Quandoquidem vero Graeca, Romanaque Hiſtoria arctiſſimo veluti foedere inter ſe coniunguntur, et una ab altera ſecerni, ſive divelli non poteſt, ſingulis annis non modo *Archontum* Athenienſium nomina, ſed ipſa quoque vel *Regum*, vel *Conſulum*, vel *Magiſtratuum* Romanorum nomina adieci; quemadmodum fere Diodorus, ac Dionyſius Halicarnaſſeus Olympicos annos Athenienſis Archontis, ſimulque Regum, aut Conſulum Romanorum nominibus exornarunt. In eiuſmodi tamen aut Regum, aut Conſulum nomine, ac ſitu ſubtiliter explorando, aſſerendoque immorari non libuit; non modo quod prolixior illa inveſtigatio a Faſtis Atticis, operiſque mei

(1) Tom. II. pag. 84. (2) Tom. II. pag. 50. (3) Tom. I. pag. 319.

mei conſilio abhorrere facile videretur; verum etiam quod ſpartam hanc doctiſſimi viri iampridem adornaverant, adeoque accuratos admodum Romanos Faſtos ediderant. Ac ceteros quidem inter excellere merito exiſtimatur Dodvellus; ut proinde ubique fere in Conſulibus ad annos V. C. ſive Olympiadum referendis tanti Viri veſtigiis ego preſſius inſtiterim.

Proxime poſt Archontum, et Conſulum, Regumve nomina *Olympionicarum* nomina adieci; eorum nempe, qui in *Olympicis* Graeciae Ludis *ſtadio* victoriam reportarunt. Itaque ipſorum nomina, patriam, patremque adieci; ac ubi in victoris, patriaeque nominibus efferendis varietas aliqua offenderetur, ipſam expoſui; ſimulque teſtimonia ſingula,ionteſque indicavi, ex quibus Olympionicae nomen, atque victoria deduceretur. At neque *Stadionicas* ſolum, eos nimirum, qui antiquiori nobiliorique certaminis genere palmam retulerant, memoravi; verum etiam *Hieronicas* omnes ſuis in locis, primiſque Olympiadum annis expreſſi, qui vel *celete*, vel *curru*, vel *dolicho*, vel *lucta*, vel *pugilatu*, vel alio quolibet certaminis genere ſuperaſſent; ipſorumque ſingulis Veterum teſtimonia ſubieci, quibus ipſorum victoria, patria, nomen, ac ſitus demonſtratur; atque ubi fortaſſe Veteres hac in parte diſſiderent, diſſidium illud expoſui; ſimulque, ſi fieri id quidem poterat, accurate diremi. Eiuſmodi vero Olympionicarum ſeriem ea de cauſa Faſtis Atticis optimo maximoque iure attexendam putavi, quod in Scriptoribus ipſis Olympionicarum nomina Archontum nominibus frequentiſſime adiungi ſoleant; quinetiam ſola aliquando Olympionicarum nomina, veluti perſpicui temporum characteres, a Scriptoribus uſurpentur, ut Olym-

Olymp. LXXXVIII. alibique factum conſpicitur. Itaque e re futurum videbatur ſi Olympiade qualibet ſingula Olympionicarum nomina proferrentur, ut exinde plena, atque accurata ipſorum ſeries haberetur, quae in ipſa Faſtorum Atticorum calce exhibebitur. Ita propemodum exeuntibus tertiis Olympiadum annis *Pythionicarum* nomina exhibui, qui in *Pythicis* nempe Ludis victoriam reportaſſent; eademque methodo ipſorum patris, ac patriae nomen, ſimulque ſitum aſſerui, quam in contexenda *Olympionicarum* ſerie uſurpavi. Id vero eo quoque conſilio libentius hic praeſtiti, quod *Pythionicarum Series* ab Ariſtotele contexta prorſus exciderit; Veterum teſtimonia hac in parte perplexa atque obſcura ſint; Meurſius in Pythionicis memorandis ſaepiſſime aberret; Dodvellus vero, qui omnium optime ſeriem illam expoſuit, Pythionicas ipſos *ſecundis* Olympiadum annis adſcripſerit; quum tamen Pythia non *ſecundis*, ut ille cum pleriſque doctiſſimis Viris exiſtimaverat, ſed exeuntibus ſolum *tertiis*, Olympiadum annis agerentur, quod in *Agoniſticis Diſſertationibus* certis, opinor, atque indubiis adeo argumentis demonſtravi, ut exinde de vero Pythiorum tempore dubitari non poſſit.

Poſt eiuſmodi *Archontum*, *Conſulum*, *Olympionicarum*, atque *Pythionicarum* nomina ſingulis Olympicis annis res ab Athenienſi Populo praeclariſſime geſtas, hoc eſt illuſtriora Atticae Hiſtoriae capita, breviſſime memoravi, ſimulque varios temporum characteres expoſui, quorum praeſidio res, ac hiſtoria illa Olympicis annis illis tribuenda videatur. Ac fuſius quidem, longeque uberius haec altera Faſtorum Atticorum pars exponi facile potuiſſet; ubi nem-

nempe vel ſingula Athenienſium geſta complecti, vel prolixius illa ex Hiſtoricis exſcribere libuiſſet. Quum vero non plenam uberemque Athenienſium Hiſtoriam contexere, ſed *Faſtos Atticos* concinnare decreverim, parcius haec ipſa indicanda, vel delibanda potius exiſtimavi; quum facile ex Herodoto, Thucydide, Diodoro, vel ex Hiſtoricis aliis, quos ubique indicavi, plena atque accurata rerum illarum hiſtoria hauriri poſſit. Ea vero de cauſſa non Athenienſium modo, ſed interdum etiam Spartanorum, Phocenſium, Thebanorum, aliorumque Graecorum geſta, conſilia, caſus, pugnas, diſcrimina complecti, vel indicare volui, quod illa cum Attica Hiſtoria, vel Athenienſi Populo arctiſſime coniungerentur, plurimuſque ſplendor Atticae Hiſtoriae ex geſtis illis accederet. Quod ſi fortaſſe primis praeſertim Olympicis annis, in quibus rariora, vel nulla fere Atticae Hiſtoriae capita, vel monimenta ſuppeterent, extera memoravi, id conſulto ſolum praeſtavi; ut nempe Olympiadum ſeries concinnior, temporumque diſpoſitio accuratior haberetur.

Denique, ne minutiora ego perſequar, quae variis in locis opportune protuli, in Faſtis ipſis ita Philoſophos, Poëtas, Oratores, ceteroſqne tum pacis, tum militiae artibus illuſtres viros memoravi, ut in ipſorum aetate ſubtilius definienda novam, neque inutilem fortaſſe operam collocaverim. Itaque ſingulis fere Olympicis annis expoſui quis ex illuſtribus Viris illis Athenis floruerit, aut in lucem editus ſit, aut a vivis exceſſerit: quo plane fieri oportuit, ut haec etiam Literariae Hiſtoriae pars paullo accuratius, niſi mea me fallit opinio, ac diligentius pertractata a me fuerit, quam in Hiſtoricis, aut

Scriptoribus aliis haberi conſueverit. Exemplo ſane eſſe poterit natalis Demoſtenis Olympias, Olympiadis annus, annique menſis, quae hactenus obſcura, ac incerta fuiſſe conſpicimus. Ita Pindari nativitas, Platonis ortus, ac obitus, Epimenidis mors, aliaque id genus plurima, quae miris ambagibus apud veteres, recentioreſque Scriptores implexa fuerant, perſpicuis certiſque characteribus definiuntur, eique anno Olympico adſcribuntur, quo certe contigerant. Quamvis autem nobiliores ſolum Atticos heroas memorandos ſuſceperim, quorum aetas aliqua ratione perſpecta fuerat; aliquando tamen exteros etiam, vel Graecos alios memoravi; quum ex ipſorum aetate Athenienſis cuiusdam civis aetas inferri poſſet; eiuſque memoria cum Atticis rebus conferri, ipſiſque merito coniungi poſſet; ut in Periandri, Pittaci, Aeſopi, Pythagorae, Epimenidis, aliorumque hiſtoria obſervabitur; idque propemodum in cauſſa fuit ut Cyri, Croeſi, Darii, Xerſis, Dionyſii, Alexandri, aliorumque regum initia, vel tempora ſubinde adiecerim: quod nempe ex ipſorum aetate rite conſtituta plurima ad Faſtos Atticos ſpectantia perſpicue deducerentur. Ceterum haec omnia ea perenni conſtantique methodo ſum proſequutus, ut ſi in recenſendis Athenienſium geſtis, variiſque Scriptorum teſtimoniis opportune proferendis locus aliquis occurreret, in quo vel Scriptoris ſententia refelli, vel obſcurus Hiſtorici textus exponi, vel vitiatus interdum, depravatuſque locus ſanari, corrigi, ſuppleríque poſſet, id accurate praeſtarem. Ita nimirum Faſtorum ſeries utilior futura videbatur; ac nova quoque voluptas Lectorum animis ingeri fortaſſe poterat, ſi non modo rerum ab Athenienſibus geſta-

ſtarum ſeriem perſpicuis Veterum teſtimoniis confirmatam inſpiceret ; verum etiam teſtimonia ipſa ſubtilius expoſita , ac illuſtrata reperiret.

§. III.

Varii temporum characteres , aut notae , quae in Faſtis Atticis adhibentur.

QUum prolixa quaedam hiſtoria, rerumque geſtarum ſeries tum demum concinna , accurata , ac perſpicua maxime ſit futura quum rerum ipſarum ſingulae ad ſua tempora referantur, adeoque rebus ipſis, quae narrandae fuerint , perſpicuae quaedam atque indubiae temporum notae adiectae ſint , univerſam hanc *Faſtorum Atticorum* ſeriem ita contexendam ſuſcepi , ut ſingulis annis varios temporum characteres , hoc eſt *Periodi Iulianae* , *Olympiadum* , *Romae Conditae* annos, ſimulque *Magiſtratuum* Romanorum , atque Athenienſium *Archontum* nomina adiecerim , quibus annus ille a ceteris omnibus accuratiſſime diſtingueretur. Itaque , ut haec Hiſtoriae praeſidia clariora fiant , e re futurum putaverim , ſi de variis eiuſmodi characteribus , annorumque notis in ipſo fere Operis limine breviſſime diſſeram ; ut perſpicue nimirum ab Adoleſcentibus Hiſtoriae Graecae cultoribus intelligatur quid *Periodi Iulianae* , quid *Olympiadis* nomine deſignetur ; qua methodo anni ab *Vrbe* Roma *Condita* numerentur ; qua demum ratione Athenienſium *Archontum* , vel Romanorum *Magiſtratuum* nomina cum Per. Iul. , vel Olympicis, vel Vrbis Conditae annis conferri , committique debeant .

Atque, ut a *Iuliana Periodo* exordiar, quam Ioſephus Scaliger maximo Chronologiae bono feliciter excogitavit, illa 7980. annorum ſeriem complectitur, quorum quilibet certis quibusdam Cyclorum notis, aut numeris ita inſignitur, ut annus ille cum altero confundi non poſſit. Quum enim Chronologi pro vario hebdomadis die, quo ſubinde civilis aliquis Romanus annus incipiat, Cyclum quemdam excogitaverint, qui 28. Solares annos complecti debet, ut ipſo iam peracto civilis annus ab eodem hebdomadae die exordiatur, ſimulque eadem, ut aiunt, *Literarum Dominicalium* ſeries recurrat, perſpicue apparet quemlibet datum annum, ſi retrograda ſerie ad ſuperiora tempora aſcendatur, in eiuſmodi 28. annorum ſerie, vel *Solari Cyclo*, certum aliquem diſtinctumque locum, aut numerum occupare; ut proinde annus iſte ex. gr. quem agimus 1751, in Solari *Cyclo* 24. eſſe debeat, idemque prorſus numerus 24. anno 1723. convenire debuerit. Ita quoque, quum pro Lunae, Soliſque Periodis, ſive Lunaribus, Solaribuſque annis invicem committendis Cyclus alter inventus fuerit, qui *Decemnovalis*, vel *Lunaris*, vel *Aureus Numerus* appellatur, atque 19. Solares annos complectitur, quilibet datus annus ſuo diſtinctoque numero in eiuſmodi Lunari Cyclo inſigniri debet; ut hic idem annus 1751. in Decennovali Cyclo 4. habeatur; quemadmodum prorſus hoc ipſo Aureo numero 4. annus etiam 1732. inſignitus erat. Denique, quum Periodus alia, vel 15. annorum Cyclus inventus fuerit, qui *Indictionum* ſeries vocatur, quilibet civilis annus ex eiuſmodi Cycli lege certo quodam Indictionis numero notari debet; ut annus hic 1751. in Indictionum ſerie 8. locum occupet,

iti-

itidemque 8. Indictionis numero annus etiam 1736. inſigniri debuit. Quamvis autem trium eiuſmodi Cyclorum cardo, ſive principium ex ſolo Chronologorum, vel Principum, vel Scriptorum arbitrio conſtitutum fuerit, ut in ipſis *Chronologiae*, vel *Kalendarii* Elementis demonſtratur, iis tamen Cyclis ſemel receptis quilibet civilis annus tribus quibusdam eiuſmodi Cyclorum numeris veluti characteribus exornatur; quemadmodum prorſus annum hunc 1751. tribus Cyclis 24. 4. 8. inſignitum eſſe iam diximus. Ac licet poſt 28. annorum ſpatium civilis annus alter ſit rediturus, hoc eſt 1779. qui eodem ipſo Solari Cyclo, ſive numero 24. notandus erit, illi tamen neque Aureus Numerus 4. neque Indictio 8. convenire poterit; quum Aureus quidem numerus 4. poſt 19. annos, Indictio vero 8. poſt 15. annos ſit reditura; idemque de antiquioribus etiam annis intelligi debet, ſi retrograda ſerie ſuperiorum annorum Cycli explorentur. Itaque, ut facili, perſpicuaque ratione in Kalendario demonſtratur, nullus omnino civilis annus inveniri unquam poterit, cui tres illi Cyclorum numeri 24. 4. 8. ſimul coniuncti convenire poſſint, priuſquam integra 7980. annorum ſeries, atque Periodus peracta fuerit, quae ex tribus Cyclis integris, Solari nimirum 28., Lunari 19., Indictionis 15. invicem multiplicatis exoritur. Hinc annus ille, qui tribus eiuſmodi Cyclorum numeris 24. 4. 8. inſignitur, peculiarem quemdam certumque ſitum in integra 7980. annorum ſerie, hoc eſt *Iuliana Periodo*, occupabit; eiuſque numerus is eſſe debet, qui ſi per 28. dividatur, relinquat 24. ſi per 19. diviſus ſit, relinquatur 4., denique ſi diviſio per 15. fiat, 8. reſiduum oriatur. Eiuſmodi certe nu-

me-

merus, aut annus ex Periodi Iulianae legibus eſſe deberet 6464. cui ſoli tres illi Cyclorum numeri 24. 4. 8. conveniunt; adeoque annus iſte 1751. in Iuliana Periodo 6464. certiſſime cenſendus erit; cumque annus alter iisdem Cyclis, vel Cyclorum numeris inſignitus in univerſa annorum 7980. Periodo reperiri non poſſit, annus ille 6464. a ceteris annis omnibus indubio certoque charactere diſtinguetur. Exinde vero maxima, ac mira prorſus utilitas inferri poterit, quae in deſignandis annis in hac Iuliana Periodo reperitur. Vbi nempe quidpiam anno quodam P. I. contigiſſe dicitur, ita res illa certo cuidam anno illigatur, ut alteri convenire, vel adſcribi non poſſit; & quemadmodum tres Cyclorum numeri 24. 4. 8. una ſimul coniuncti alteri, quam anno P. I. 6464. & 1751. a Chriſto nato convenire nequeunt, ita numerus 6464. in Per. Iul. annum alium exprimere, vel deſignare non poterit, quam 1751. qui tribus eiuſmodi Cyclorum numeris inſignitur. Altera vero longeque maior utilitas, atque praeſtantia exinde deduci debet, quod in Aeris aliis, hoc eſt in ceteris omnibus annorum ſupputandorum rationibus, annorum numerus a remoto quodam termino veluti cardine deducatur, cuius antiquitas, atque diſtantia plerumque obſcura vel incerta eſſe debet, quum in illa definienda principes ipſi Chronologi plerumque diſſideant; adeoque ambiguum plane incertumque ſit quot anni ab initio illo ad haec tempora, ſive praeſentem annum fluxerint. Ita, ſi dixerim Socratem anno Vrbis Romae conditae 354. obiiſſe, incertum ſupererit quot a Socratis morte anni ad haec uſque tempora interceſſerint, quum Romae originem alii antiquiorem, alii recentiorem faciant; annuſque iſte 1751. ab aliis 2504. ab aliis 2498. ab V. C. numeretur; idem-

que

que annus ab V. C. 354. ab aliis cum 1. Oly. XCV. ab aliis cum 3. Oly. XCVI. conferatur. Sin vero dixerim Socratem anno Per. Iul. 4314. obiiſſe, repente certoque intelligetur ab emortuali ipſius anno ad annum hunc, qui in Iuliana Periodo 6464. numeratur, 2150. annos fluxiſſe. Siquidem Iuliana haec Periodus veluti a noſtris ipſis temporibus, hoc eſt a cardine indubio certoque, exorditur; retroque gradiendo ad ſuperiores annos aſcendit, annoſque ſingulos iis characteribus insignit, qui neque a variis Chronologorum ſententiis pendere debeant, neque ambigui, vel controversi eſſe poſſint, ſed ab omnibus omnino Scriptoribus admittuntur; ut quemadmodum nempe Scriptores omnes huic anno 1751. Cyclum Solis 24. Lunae 4. Indictionis 8. tribuunt, ita quoque annum hunc non alium, quam 6464. in Iulianda Periodo nominandum eſſe conveniant; cum tamen ipſum ab V. C. alii 2504. alii 2503. alii 2502. alii 2498. dicendum eſſe arbitrentur. Poſtrema denique Iulianae Periodi utilitas haec eſſe debet, quod illa *Iulianis* annis componitur, iis nimirum, qui iuxta *Iulii* Caeſaris legem a Kalendis Ianuariis exordiuntur, integriſque 365. diebus, horiſque 6. ita componuntur, ut *quarto* quolibet anno dies una ex 6. horis illis conflata numeranda, ceteriſque 365. diebus adiungenda ſit. Itaque, licet anni Olympici lunares eſſent, atque a novilunio circa aeſtivum ſolſtitium inciperent, Urbis Romae conditae a Palilibus, ſive a die IX. Kal. Maias, Macedonum anni ab autumnali aequinoctio exordirentur, Iulianus tamen annus ambitu ſuo ſingula haec annorum initia complectitur; hoc eſt Olympici cuiuslibet, vel Romae Conditae anni principium cum anno quodam Iulia-

Iulianae Periodi facile committi poterit. Quae quum ita ſint, ſingulis annis illis, quorum ſeries ac Hiſtoria in Faſtis Atticis exponi debet, *Periodi Iulianae* numerum ipsi reſpondentem adscripsi, primiſque Olympiadum annis ſemper expoſui cuinam anno P. I. Olympicus ille reſpondeat, cuius Hiſtoriam reſque in ipſo peractas memorandas ſuſceperam.

Quod autem ad Olympicos annos attinet, quos ubique una cum P. I. annis adſcripſi, hoc eſt antiquiſſimam Olympiadum Epocham, quam Graeciae Hiſtorici in rerum geſtarum temporibus exprimendis ubique fere uſurparunt, haec ab Olympicis Ludis illis veluti cardine deduci debet, in quibus Coroebus Eleus *ſtadio* victoriam obtinuit; ut proinde Olympias illa, qua Coroebus victor exceſſit, omnium *prima* haberi vel numerari conſuevererit, quamvis 28. Olympiades aliae iam praeceſſiſſent poſtquam Iphitus Olympicos Ludos ab Herculis aetate intermiſſos inſtauraverat. Eiuſmodi vero Ludi, ſaltem a Coroebi aetate, primaque Olympiade numerata, *quadriennio* quolibet abſoluto, ſive ineunte *quinquennio* redire, vel inſtaurari ſolebant; ut circa ſolſtitium aeſtivum, hoc eſt 11. Hecatombaeonis Attici die ceteriſque mox inſequutis certamina committerentur, ac 16. eiusdem die de victoribus decerneretur; adeoque Ludi ipſi fere in Hecatombaeonis Attici medium, vel plenilunium inciderent. Olympicus autem Agon, quo Coroebus palmam obtinuit, et a quo veluti cardine Olympiades alias, ſive annos Olympicos numeratos eſſe iam diximus, in annum Per. Iul. 3938. incurrit, ut perſpicuis, certiſque rationibus Scaliger, Petavius, Dovellus accuratiſſime demonſtrarunt. Itaque *ſe-*

cun-

cunda Olympias aeſtate anni Per. Iul. 3942. celebrari debuit, iterumque ſolaribus *quatuor* annis abſolutis *tertia* Olympias anno P. I. 3946. inſtaurata fuit. Quamvis enim civiles Romanorum anni, quibus Iulianam Periodum conſtare diximus, *ſolares* eſſent, adeoque 365. ſive *quarto* quolibet anno 366. dies complecterentur, Elidenſium vero, aliorumque Graecorum annus *lunaris* eſſet, ideoque 354. diebus conſtaret; lunares tamen anni *embolimis* ſubinde menſibus opportune adiectis cum ſolaribus ipſis tandem conferri, ipſoſque aequare conſueverant; ut fuſius & accuratius alibi (1) demonſtravi. Ceterum, quod huius eſt loci, ſi primus Olympicus Agon aeſtate medioque fere anno Per. Iul. 3938. celebratus fuit, adeoque 3937. anni in Iuliana Periodo numerati iam fuerant, antequam Olympiades, vel Olympicorum annorum ſeries inciperet, dato quolibet Olympiadis alicuius anno deprehendi poterit cuinam anno Per. Iul. reſponderit, ſi Olympiades ipſae in *quadriennia* reſolvantur, numeruſque inde exortus cum annis 3937. P. I. qui primum Olympiorum Agonem, primumque Olympicum annum praeceſſerant, coniungatur. Ita 1. Olymp. LXXXVII. annus, quo Peloponneſiacum bellum incepit, erit 345. Olympicus. Etenim 86. Olympiades annos 344. conficiunt, quibus annus 1. proximae, ac inſequentis Olympiadis adiungi debet. Ergo, ſi numero 345. numerus alius 3937. adiungatur, habebitur annus Per. Iul. 4282. in quem 1. Olymp LXXXVII., adeoque belli principium inciderit. Ita viciſſim, ſi inquiratur cuinam anno Olympico datus annus Per. Iul. 4390. reſponderit,

(1) Tom. I. pag. 106.

quo Alexander Macedo e vivis exceſſit, ex illo numerus 3937. auferri debet, numeruſque ſuperſtes 453. per 4. dividatur. Siquidem numerus 113. inde reſultans oſtendet 113. Olympiadas abſolutas eſſe; quumque peracta diviſione annus 1. ſuperſit, perſpicuum fiet annum Per. Iul. 4390. una cum *primo* Olymp. CXIV. concurriſſe. Denique, quum primus vulgaris Aerae Chriſtianae annus, in qua annus iſte, quo ſcribimus, 1751. numeratur, cum exeunte anno 4. Olym. CXCIV., adeoque Olympico anno 776. concurrerit, facile Olympicus annus quicumque fuerit cum anno Chriſtianae Aerae ſibi reſpondente conferri poterit; ſicuti viciſſim facile inveniri poterit Olympicus annus, cui datus annus Aerae Chriſtianae reſponderit.

Quod ſi fortaſſe cui libeat annos a *Troia diruta* computare, ſive Olympicos annos cum annis a Troiae excidio numeratis conferre, is obſervare facile poterit quod *primus* Olympicus annus in annum a Troia diruta 408. ex optima Diodori hypotheſi concurrit; adeoqne Olympicis annis anni integri 407. adiungendi forent, quibus Troiae excidium *primum* Olympicum annum praeceſſit, ut inferius oſtendetur.

Quemadmodum vero Graeci Scriptores rei alicuius geſtae tempus Olympicis annis indicare conſueverant, ubi nempe et Olympiadem, et Olympiadis eius annum exprimebant, quo geſta illa fuerit; ita quoque frequentiſſime annos ipſos ſolo Magiſtratuum nomine, veluti charactere deſignabant, qui ſupremam apud illos dignitatem obtinebant; adeoque Magiſtratus *Eponymi* dicebantur quod annis illis, quibus imperabant, nomen imponerent,

ipſo-

ipſoſque a ceteris annis aliis diſtinguerent. Ita Thucydides Peloponneſiacum bellum *Pythodori* Athenienſis Archontis anno exarſiſſe dicit; eoque charactere annum 1. Olymp. LXXXVII. perſpicue deſignavit: quod nimirum ex Faſtis ipſis, quos Athenienſes conſulere, et obſervare poterant, perſpectiſſimum foret Pythodorum illum non alio, quam 1. Olym. LXXXVII. anno imperaſſe. Quinetiam interdum Thucydides ipſe, aliique Hiſtorici, ut Olympiadem quamdam exprimerent, ſolum *Olympionicae* nomen expreſſere, eius nempe, qui Olympiade illa palmam retulerat: quod nimirum ex Olympionicarum ſerie ubique apud Graecos perſpecta repente intelligi deprehendique poſſet quanam Olympiade athleta ille palmam retulerat. Ita Thucydides foederibus, induciis, pactiſque inter Graecos ſancitis interdum *Ephori* nomen adiecit; quod nimirum civiles Laconum anni ſolo *Eponymi Ephori* nomine diſtinguerentur. Interdum etiam Argivae Iunonis Sacerdotes, earumque annum indicavit; quod nimirum Sacerdotes illae ita apud Argivos tempora deſignarent, ut expreſſo ipſarum anno facile etiam Olympicus annus agnoſceretur. Ita Soranus in Hippocratis Vita teſtatur ipſum Agriadae Archontis anno in lucem prodiiſſe; quod Coi civiles annos Archontis Eponymi nomine diſtinguere, vel deſignare conſueverint: quod facile pluribus exemplis aliis, de variis, omnibuſque fere Graeciae Populis oſtendi poſſet. Quo tamen loco obſervari plurimum debet quod, quamvis nationes omnes in hoc conſpirarent, ut civiles annos Archontum Prytanum, Sacerdotum, Scribarum &c. nomine, veluti nota, diſtinguerent; civiles tamen annos non

ab uno eodemque ſolaris annis cardine, ſed a diverſo potius, exordiebantur; ut proinde Archontes Eponymi Athenis prius a ſolſtitio hiberno, mox ab aeſtivo; Thebani ab hiberno ſemper inceperint: quod accurate ſuis in locis expoſui ubi de civilibus Graecorum annis, eorumque cardine diſputavi (1). Quandoquidem vero non Graecorum omnium, ſed Athenienſium, Faſtos contexendos ſuſcepi, illud unum mihi propoſitum, meliorique quo poterat ordine, ſtudio, ac diligentia praeſtandum fuerat, ut Archontes omnes, quos a Graecis, Latiniſque Scriptoribus memoratos inveniſſem, iis Olympicis annis adſcriberem, quibus illi imperarunt; ut proinde propoſito Archontis alicuius nomine repente cognoſceretur quo Olympico anno is imperaverit; adeoque qua Olympiade, et Olympiadis eius anno hiſtoria quaedam eius Archontis nomine inſignita contigerit. Quod enim ad *Archontici* anni initium attinet, adeoque methodum, qua Archon quilibet ad Olympicum annum referri debeat, id accurate inferius indicabitur, ubi perſpicue certoque demonſtratum fuerit *Archonticos* annos uſque ad annum 1. Olymp. LXXXVII. a ſolſtitio hiberno, adeoque Gamelione Attico, Romanoque Ianuario incepiſſe; exinde vero ab aeſtivo ſolſtitio, ſive Hecatombaeone Attico, Romanoque Sextili una cum *Olympicis* annis proceſſiſſe. Itaque antiquis iis temporibus, primiſque 86. Olympiadibus Archonticus, ac civilis Athenienſium annus una fere cum Periodi Iulianae annis coniungebatur, parique propemodum gradu cum iis procedebat; at anno 1. Olympiadis LXXXVII. ceteriſque mox inſequutis quilibet

(1) Tomo II. pag. 389.

bet Archonticus annus cum duobus Iul. Per. annis ita concurrebat, ut quilibet datus annus poſtremos ſex unius, totidemque primos alterius Archontici annis menſes occuparet. Sed haec opportunius, et accuratius etiam oſtendentur ubi ſingula expreſſa iam fuerint, quae de tertia Epocha, anniſque ab Vrbe Roma Condita numeratis dicenda nobis occurrunt.

Atque illud in primis obſervari facile poterit quod in ſuperioribus quidem Epochis explicandis, ipſarumque cardine, ſive principio rite aſſignando Scriptores omnes, atque Cronologi mire conſpirant, in tertia tamen hac Epocha definienda, hoc eſt in annis ab Vrbe Roma Condita numerandis, maxima opinionum varietas obſervatur; quum Epochae illius cardo, Romaeque Vrbis origo ab Hiſtoricis aliis antiquior, recentior ab aliis aſſeratur; ut proinde a variis Faſtorum Scriptoribus *primus* ille V. C. annus ad varios Olympiadum, aut P. I. annos referatur. Etenim Fabius Pictor antiquiſſimus Romanorum Hiſtoricus, quippequi Belli Punici II. initio floruit, Vrbem ipſam exeunte anno 1. Olym. VIII. conditam eſſe putavit; ut proinde primus eiusdem annus cum anno $\frac{1}{2}$. Olymp. VIII. ſive cum 3966. P. I. concurreret. Polybius proxime Fabio recentior id exeunte anno 2. Olymp. VII. contigiſſe voluit; unde *primum* ipſius annum cum anno $\frac{2}{3}$. Olympiadis VII., adeoque 3963. Per. Iul. commiſit. Verrius Flaccus, qui Auguſti Caeſaris aetate Capitolinos Faſtos adhuc Romae ſuperſtites, Marmorique inſcriptos compoſuit, Vrbem Romam exeunte anno 4. Olymp. VI. conditam eſſe ſupponit; ut proinde *primus* ipſius annus in Verri hypotheſi cum $\frac{4}{1}$. Olymp. VII. hoc eſt cum 3961. Per.

Iul.

Iul. concurrat. Cato vero Romae originem exeunti anno 1. Olymp. VII. adſcripſit; adeoque in ipſius hypotheſi *primus* V. C. annus cum anno $\frac{1}{2}$. Olym. VII. concurrit. Denique Varro, qui omnium poſtremus originem illam exploravit, Romanam Vrbem *Palilibus*, hoc eſt XI. Kal. Maias, ſive 20. Aprilis die, exeunte anno 3. Olympiadis VI. conditam eſſe putavit; ut proinde *primus* ipſius annus maxima primaque ſui parte cum anno $\frac{3}{4}$. eius Olympiadis, adeoque anno P. I. 3960. ex Varronis hypotheſi coniungatur. Vnde vero diſſenſus ille profluxerit facile intelligi oſtendique poteſt, ſi obſervetur quod Fabii, Polybii, Flacci, Catonis, Varroniſque temporibus Conſulum, ac Magiſtratuum Romanorum ſeries ab anno $\frac{1}{2}$. Olymp. CXX. uſque ad ipſorum aetatem integra, perſpecta, ac explorata fuerat, eademque prorſus Conſulum, vel annuorum Magiſtratuum nomina in Faſtis omnibus occurrebant. Sin vero ab anno illo ad ſuperiora tempora Vrbiſque originem aſcenderetur, in Conſulum, ac Magiſtratuum numero, Regumque aetate varietas quaedam, atque perplexitas offendebatur; ut proinde Varro ex. gr. Conſules quosdam, annuoſque Magiſtratus invenerit, qui ab aliis Faſtorum Scriptoribus ommiſſi fuerant; quosdam viciſſim Magiſtratus annuos, ipſorumque annum expungendum eſſe putaverit, qui a Faſtis aliis admittebatur.

Hinc Varro primam Vrbis originem, Epochaeque initium novis annis illis opportune inſertis paullo ab aetate ſua remotius, vel antiquius oſtendit, quam a ceteris admitteretur; ii viciſſim, qui plures paucioreſque ex Conſulibus, vel annuis Magiſtratibus illis ommiſerant, originem ipſam paul-

lo re-

lo recentiorem admiſerint. Ita, quum Verrius Flaccus in Capitolinis Faſtis Tarquinio Priſco non 38. ſed ſolum 37. regni annos conceſſerit, ipſius Epocha, ſi cum Varroniana conferatur, *anno* unico ipſa contractior eſſe debet; adeoque Romae origo, quae a Varrone exeunti anno 3. Olymp. VI. tribuitur, a Verrio, ſive Capitolinis Faſtis exeunti anno 4. concedi debet.

In Catonis Faſtis, in quibus annus ille 38. Tarquinii Priſci numeratur, tres *annuae* Dictaturae diſſimulatae fuerant, quas Varro anno ſuo 430. 445. 452. inſerendas putavit; adeoque Catonis Aera *tribus* integris annis Varroniana contractior, ſive recentior eſſe deberet. Sed, quum viciſſim Cato Decemviris, qui anno 4. Olymp. LXXXII. inſtituti fuerant, non *duos* ſolum, ut Varro, ſed *tres* integros annos conceſſerit, ſi *tertius* ille Decemvirorum annus cum Varrone expungatur, Catonis Aera *biennio* ſolum Varroniana contractior, ſive poſterior eſt futura; ut proinde Romae origo in Catonis Epocha ad exeuntem annum 1. Olymp. VII. referatur.

Polybius 38. Tarquinii annum, Verrii inſtar, ommiſit; ſimulque, ut Cato, tres annuas Dictaturas praeteriit. Itaque ipſius Aera *quadriennio* integro Varroniana brevior, ac poſterior eſſet. Verum, quum ipſe quoque *tertium* Decemvirorum annum, Catonis inſtar agnoverit, quem Varro prorſus expunxit, Polybii ſeries *triennio* ſolo a Varroniana aberrabit; adeoque Romae origo ex Polybii hypotheſi exeunti anno 2. Olymp. VII. adſcribenda erit.

Denique Fabius Pictor non modo 38. Tarquinii annum, ac tres Dictaturas annuas aliorum inſtar

ſtar omiſit; verum etiam *annum* illum praeteriit, qui veluti Anarchiae *quintus* in Varronis ſerie recenſetur, atque ab ipſo veluti 383. ab V. C. numeratur; ſimulque annos illos, qui a Varrone veluti 447. & 448. recipiuntur, atque a Livio quoque veluti ſuſpecti habiti fuerant. Itaque Fabii ſeries *ſeptem* integris annis Varroniana contractior eſſe debuerat, ut Cenſorinus (1) obſervavit; ſed, quum ipſe quoque *tertium* Decemviris annum a Varrone expunctum admiſerit, Fabiana Aera *ſexennio* ſolum a Varronis Epocha diſſidebit; adeoque in Fabiana hypotheſi Vrbs Roma exeunte anno 1. Olymp. VIII. condita cenſeri debet.

Exinde vero manifeſtiſſime apparet quod in Verrii Flacci, Polybii, & Fabii ſententia, qui 38. Tarquinii annum ommiſerant, primi Conſules, qui poſt *Regifugium*, vel exactos imperio Reges, inſtituti ſunt, anno Vrbis Cond. 244. adſcribi debent, quum in Varronis tamen, & Catonis etiam hypotheſi, quorum uterque annum illum agnovit, primi Conſules anno V. C. 245. repente poſt *regifugium*, quod V. Kal. Martias contigerat, inierint; quamvis annus ille 245. a Varrone cum anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXVII. a Catone vero cum $\frac{1}{2}$. Olymp. LXVIII. coniungeretur, idemque *biennii* diſſidium iuxta Varronis & Catonis hypotheſim in Conſulum annis ad Olympicos referendis conſtanter ubique ſervatur; ut proinde annus $\frac{1}{2}$. Olymp. LXXXII. quo *Decemviri* iniere, in Varronis Epocha 303. in Catoniana vero 301. ab V. C. haberetur. Deinde vero, quum Catoniani *tertium* Decemvirorum annum Varroni ommiſſum adiecerint, proximorum Conſulum

(1) De die Natal. c. 21.

lum ſitus ad Olympicos annos relatus in Catonis ſerie *unico* ſolum anno ipſorum ſitu Varroniano poſterior erit; annoque demum 454. ob *tres* Dictaturas a Catonianis ommiſſas, iterum Catonis Epocha, Conſulumque ſitus ad Olympicos annos relatus a Varroniano ſitu *biennio* aberrabit; ut proinde annus ½. Oly. CXX. quo *M. Tullius Paetinus & T. Manlius Torquatus* Conſules fuerunt, a Varrone quidem 455., in Capitolinis Faſtis 454., a Catone vero 453. ab V. C. numeretur; ſed Conſules tamen illi, ceterique omnes pone ſequentes ad unum eumdemque Olympicum annum in utraque hypotheſi referantur.

Quemadmodum vero principes illi Faſtorum Scriptores in Vrbis origine definienda, adeoque Conſularibus annis cum Olympiadum annis una committendis diſſedere; ita quoque tum Graeci, tum Latini Scriptores hac in parte diſſidere conſpiciuntur; quippe qui vel uni, vel alteri potius ex ſententiis illis inſtiterint. Ita Livius ubique fere Catonis Epocham ſequitur; licet aliquando Fabio Pictori adhaeſerit, ut accuratiſſime demonſtrat Dodvellus (1). Cicero Solino teſte familiaris, amicique ſui Varronis ſententiam amplectitur. Varronis Epocha ubique fere a Plinio recepta fuit; ut quum annum V. C. 170. cum 4. Olymp. XLVIII. committit (2); quod in ſola Varronis Epocha ſalvari poteſt, in qua annus ille cum 4. eius Olympiadis anno *exeunte*, ac *ineunte* 1. Olymp. IL. concurrit. Quod ſi quamlibet Aeram aliam elegeris, in qua Romae origo paullo recentior ſupponitur, ſemper annus ille ab V. C. 170. anno 4. Olymp. XLVIII.

(1) Diſſert. X. ſect. 73. (2) Lib. II. c. 12.

poſterior eſſe debebit ; adeoque cum illo committi non poterit . Itaque fallitur Harduinus , qui Plinium Dionyſianae , ſive Catonianae Epochae aſſertorem facit ; quamvis aliquando Plinius Catonianam hanc Epocham uſurpaverit . Ita Gellius ubique fere Varronem ſequitur ; quamvis interdum ex Polybii hypotheſi tempora deſignaverit . Denique Cornelius Nepos, licet Varrone recentior , Polybii ſententiam amplexus erat, ut teſtatur Solinus (1). Denique Dionyſius Halicarnaſſeus ubique Catonianam Epocham conſtantiſſime ſequitur, ut contra Scaligerum (2) , & Petavium (3) oſtendit Dodvellus (4). Quamvis enim Scaliger, ac Petavius nonnulla Dionyſii loca protulerint, in quibus ille Capitolinos Faſtos ſequi, annoque *unico* a Varronis Epocha diſſidere videtur ; illa tamen Dodvellus ita feliciter explicavit, ut in iis a Dionyſio peccatum oſtenderit . Sic certe ille fallitur ubi *primum* Charopis Archontis annum cum anno 1. Olymp. VII. coniungit : quod in ſola Varronis hypotheſi verificatur. Fallitur etiam, ſibique non conſtat ubi Romam 432. annis poſt Ilii cladem conditam eſſe putavit (5) ; cum ex aliis ipſius rationibus id anno potius 433. contigerit. Quod ſi ambigua & vitiata haec loca ſeponantur , atque Dionyſii ſententia ex pluribus locis aliis (6) inferatur , perſpicuum fiet Scriptorem illum non *Capitolinae* , ſed *Catonianae* ſolum ſententiae ubique inſtitiſſe.

Haec autem Ephocarum varietas , ſive variae Hiſtoricorum hypotheſes accuratiſſime obſervari debent

(1) Cap. 2. (2) De Emend. Temp. Lib. V. (3) De Doſtr. Temp Lib. IX. c. 46. (4) Appar. ad Chron. Dionyſ. §. 4. (5) Libr. I. num. 71. (6) Libr. I. num. 71. 74. 75. & Libr. II. n. 2.

bent, ut ipſorum teſtimonia rite inter ſeſe conferri poſſint, atque diſſidium illud dirimi, quod alioquin in exprimendo rei alicuius tempore inter varios Hiſtoricos haberetur. Sic, ut exemplo res clarior fiat, Dionyſius aſſerit Vrbem Romam anno 1. Olymp. VII. conditam eſſe, annumque illum cum *primo* Charopis Athenienſis Archontis anno coniungit, ut ad annum illum obſervabitur. Et tamen annus ille Romuli regis, Vrbiſque *ſecundus* a me vocabitur: quod nimirum Dionyſius ea ex Catonis hypotheſi ad annum 1. Olymp. VII. revocaverit, quae in Varronis hypotheſi ad 3. Olymp. VI. referenda fuerant. Ita ſemel iterumque dicit Dionyſius *primos* Conſules iniiſſe anno 1. Olymp. LXVIII. quo *Iſagoras* Athenis Archon erat, & *Iſchomachus* Crotoniata *ſtadio* Olymp. vicerat. At ex eiuſmodi Dionyſii loco id quidem perſpicue certoque inferri debet, quod Iſagoras Athenis Archon anno 1. Oly. LXVIII. imperavit, ac Iſchomachus ille palmam obtinuit; at in Varronis hypotheſi Conſules illi *biennio* antiquiores eſſe, adeoque ad annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXVIII. referri debebunt. Itaque ex Dionyſio verus quidem Archontum, ac Olympionicarum ſitus in Olympicis annis inferri poterit; at, ſi Varronis Epocha eligatur, Conſulum ſitus *biennio* ſemper poſterior a Dionyſio deſignabitur. Hinc ubi in Faſtis Atticis mox contexendis Dionyſii teſtimonia proferentur, ſiquis Conſules a Dionyſio memoratos, & Olympico cuidam anno tributos, ſive cum Athenienſium Archonte quodam coniunctos, a Conſulibus illis diſſidere conſpexerit; quos ego veluti Olympico anno illo imperantes, unaque cum Archonte ipſo committen-

dos expreſſi; id ex ſola hypotheſium varietate, ſive diſcrimine natum intelliget: quum Dionyſius Catonianam, Varronianam ego ſelegerim. Quaecumque vero de Dionyſio obſervavi, de ceteris etiam vel Polybii, vel Livii, vel Gellii, vel Ciceronis locis intelligi poterunt.

Neque in veteribus ſolum Hiſtoricis, ſed in recentioribus etiam Faſtorum Scriptoribus haec ipſa varietas accuratiſſime ſpectari debet; quum ipſi quoque varias omnino vias inſtiterint, hoc eſt diverſae Veterum ſententiae adhaeſerint. Ita, ne de Polybii, ac Fabii ſententia loquar, quae nullos propemodum aſſertores habet, Cuſpinianus, Pighius, Sigonius, Almelovenius Dionyſii Epocham ſequuntur; eamque plurimi cum Capitolina confundunt; quum Dionyſius ipſe, quamvis *primum* V. C. annum cum 1. Olymp. VII. commiſerit, Romam tamen alicubi exeunte anno 4. Olymp. VI. conditam innuere videatur. Panvinius vero, Bucherius, Vſſerius, Petavius, Noriſius, Dodvellus, aliique Chronologorum principes Varronis hypotheſim amplectuntur. Ac certe quidem Varronis ſententiam ceteris omnibus accuratiorem optimamque eſſe oportere Petavius (1), ac Dodvellus (2) plurimis certiſque argumentis accuratiſſime demonſtrarunt; quamvis illuſtre exemplum, & argumentum illud, quod ex celebri Ciceronis loco de mortuali Platonis anno protulerat Dodvellus, omnino falſum eſſe demonſtraverim ubi de Platonis itinere Tarentum, eiuſque morte diſputavi. Itaque in digerendis Athenienſium temporibus, Romaniſque Conſulibus una cum Olympicis annis, adeoque Eponymis Atheni-

enſi-

(1) Doctr. Temp. Lib. IX. c. 50. (2) Diſſert. X. ſect. 80.

enſium Archontibus committendis ubique mihi Varronianam Epocham amplectendam eſſe putavi. Quum vero civilis Romanorum annus Kalendis Ianuariis inire concipiatur, & Olympicus annus circa aeſtivum ſolſtitium, ut antea diximus, exordiretur, quilibet annus ab V. C. condita numeratus cum duobus Olympicis annis ita concurrit, ut poſtremos fere *ſeptem* unius Olympici menſes, prioreſque *quinque* alterius ſequentis complectatur. Hinc dimidiatos illos Olympiadum annos anno cuidam Romano, vel Per. Iul. reſpondentes expreſſi; ut repente intelligi poſſet quinam Olympicus annus in dato quodam civili Romanorum anno deſinere, vel inire deberet. Id autem in *primis* ſolum cuiuslibet Olympiadis annis adnotavi. Facile nimirum pro Olympicis annis aliis mox inſequutis calculus iniri poterit; quin etiam perſpicua quadam conſtantique regula, dato quolibet Olympiadis alicuius anno, facile deprehendi poterit cuinam civili Romanorum anno Olympicus ille reſponderit; ſicuti viciſſim datus annus ab V. C. facile ad Olympicum annum ſibi reſpondentem referri poterit. Quum enim Vrbs Roma exeunte anno 3. Olympiadis VI., hoc eſt exeunte fere 23. Olympico anno condita fuerit, primus V. C. annus cum 23. Olympico iam exeunte concurret. Itaque, ſi quaeratur cuinam Olympico anno datus annus V. C. ex. gr. 245. reſponderit, huic anno 245. anni 22. Olympici adiungi debent, quibus Olympiadum Epocha V. C. Aeram praeceſſit; tum integra annorum 245. & 22. ſumma, hoc eſt numerus 267. per 4. dividi debet; indeque 66. integra *quadriennia*, ſive Olympiades prodibunt, ac *tres* inſuper anni ſupere-

runt

runt, qui, quum ad Olympiadem proxime inſequentem LXVII. ſpectare debeant, perſpicue oſtendunt annum ab V. C. 245. cum anno 3. Olymp. LXVII. concurrere. Si viciſſim, dato anno 3. Olymp. LXVII. inquiratur cuinam anno V. C. Olympicus ille reſponderit, integrae Olympiades LXVI. per 4. multiplicentur, anniſque 264. inde exortis *tres* Olympiadis inchoatae vel inſequentis anni adiungantur, atque ex illorum ſumma 267. hoc eſt ex Olympicis annis ab Olympiadum cardine numeratis, 22. anni auferantur, quibus Olympiades Vrbis originem praeceſſere, annuſque habebitur 245. qui Olympico 267. hoc eſt 3. Olymp. LXVII. reſpondeat.

§. IV.

De methodo, qua Romani Conſules, atque Athenienſium Archontes ad annos Olympicos, aut ab V. C. referri debent.

QVandoquidem ſingulis Per. Iul. vel V. C. annis duos Olympicos annos, *exeuntem* ſcilicet, ac *ineuntem*, unicumque tamen Archontis nomen adſcripſi obſervari maxime debet quod Archon ille uſque ad annum 1. Olympiade LXXXVII. utrique Olympico anno reſpondet, hoc eſt utraque annorum Olympicorum parte imperavit, quum Archontes omnes ante annum 1. Olymp. LXXXVII. ineunte *Gamelione* Attico, ſive *Ianuario* Romano imperium ſuſciperent. Itaque antiquioribus iis temporibus, quibus Conſules longe ſerius Magiſtratum ſuum, ut mox oſtendetur, auſpicari conſueverant, *Conſularis* anni initium *Archontici* anni principio poſte-

poſterior eſſe debet ; adeoque Romani Scriptores , ſi accuratius tempora deſignare , ſuoſque Magiſtratus cum Graecis committere voluiſſent , dati cuiusdam anni Conſules cum Archonte illo nectere debuiſſent , quo iam imperante Conſules ipſi inierunt . Plerumque tamen Scriptores illi Conſules cum Archonte illo committunt , qui ipſis conſulatu iam fungentibus Archontis munus ſuſcepturus erat . Ita Dionyſius *primos* Romanorum Conſules cum anno 1. Olymp. LXVIII. & *Iſagora* Archonte coniungit : perinde quaſi Iſagorae Magiſtratus una cum anni 1. initio inceperit poſtquam Conſules illi Magiſtratu ſuo iam fungerentur ; quum tamen Iſagoras ille ineunte Gamelione , vel Ianuario menſe ante Conſules ipſos Magiſtratum ſuſceperit ; adeoque Iſagoras non *ineunti* primo , ſed quarto potius *exeunti* Olympiadis anno tribuendus ſit . Idem quoque de Archontibus omnibus proxime inſequutis intelligi debet ; ut proinde ſemper ipſorum quilibet ita ad dimidiatos duos annos illos Olympicos referatur , qui e regione notati fuerint , ut ſex *exeuntis* , totidemque *ineuntis* anni Olympici menſibus imperaverit . Vbi vero ad annum 1. Oly. LXXXVII. perventum fuerit , in quo civilis , & Archonticus etiam annus una cum Olympico ab *Hecatombaeone* Attico , ſive Romano *Iulio* exordiebatur , ut opportunius alibi (1) demonſtravi ; Archon e regione Olympicorum annorum poſitus non amplius ad ſuperiorem , aut exeuntem , ſed ad inferiorem ſolum , ineuntemque , ita referendus erit , ut ipſius imperium ſequentis etiam anni V. C. partem occupaverit . Ita e regione Pythodori annus $\frac{4}{1}$. Olymp. LXXXVII.

(1) Tom. I. pag. 94.

LXXXVII. & 323. ab V. C. appingitur: quod ille nimirum ineunte 1. inceperit, primamque proximi anni $\frac{1}{2}$. partem occupaverit; ac Euthydemus, cui annus $\frac{1}{2}$. reſpondet, ineunte anno 2. inceperit, ſuumque magiſtratum ad ſex primos ſequentis etiam anni 324. ab V. C. menſes protenderit. Eiuſmodi certe rationem, variamque methodum, qua *Archonticus* annus ante Oly. LXXXVII. atque poſt Olympiadem ipſam cum *Olympicis* annis committendus eſſet, Marmorei Chronici Auctor accuratiſſime expreſſit, ipſamque conſtanter in variis rerum geſtarum Epochis uſurpavit. Ille nimirum, quum ſe anno illo ſcribere profiteretur, quo Athenis quidem *Diognetus*, in Paro vero Scriptoris patria *Aſtyanax* Archontis munere fungeretur, hoc eſt, ut ex aliorum Archontum ſitu manifeſtiſſime apparet, anno 1. Olymp. CXXIX. ita ſuperiorum Archontum ſitum, aut Olympicos annos illos, quibus Hiſtoriam quamdam contigiſſe memorat, expreſſit, ut ab anno 1. Olymp. CXXIX. veluti cardine verſus antiquiora tempora aſcendendo annos numeret, atque Archontes omnes ante an. 1. Oly. LXXXVII. *exeuntibus*, poſt Olympiadis eius initium *ineuntibus* Olympicis annis adſcribat. Sic, ut exemplo res clarior fiat, ab anno, quo Marathonia pugna *Phaenippo* Athenis Archonte commiſſa fuit, ad annum uſque 1. Olymp. CXXIX. quo ſcribebat, 227. annos fluxiſſe dicit. Itaque Phaenippus Archon ex Chronici calculo, ſive ſententia 226. ſolidis annis ante Diognetum, ſive annum 1. Olymp. CXXIX. imperavit, adeoque Phaenippus ipſe *exeunti* anno 2. Olympiadis LXXII. adſcribi debet; quamvis in Dionyſii ſententia anno 3. ine-

unti

unti adſcribatur: quod revera Phaenippus ille primis etiam anni 3. menſibus imperaverit, ſed poſtremos etiam 2. exeuntis menſes occupaverit; adeoque accuratius ad annum 2. ſive certe $\frac{2}{3}$. Olympiadis LXXII. referendus ſit. Vbi vero Chronici Scriptor de pugna Leuctrica, & *Phraſiclide* Archonte loquitur, ait ab illo ad annum uſque 1. Olymp. CXXIX. annos 107. fluxiſſe, adeoque Phraſiclidem ipſum non exeunti 1. ſed ineunti 2. Olympiadis CII. anno adſcribit. Id in Archontibus etiam aliis, qui poſt Olymp. LXXXVII. imperarunt, facile oſtendi poſſet; ubi tamen errores illi, qui quadratarii vitio in quaedam Marmoris loca irrepſerant, corrigantur, ut alibi (1) iam demonſtravi. Itaque diligentiſſimus Auctor ille varium Archontici anni principium a Scriptoribus aliis diſſimulatum obſervavit; ipſumque in Archontibus ad Olympicos annos referendis uſurpavit: quemadmodum ſemper annos in variis Epochis expreſſos non ab antiquiſſimo remotoque cardine, ſed ab extremo potius termino, numeravit: quemadmodum fere in Iulianae Periodi annis numerandis fieri obſervavimus. Hinc ego Marmoris huius, Chronicique veſtigiis inſiſtens, quamvis dato quolibet Per. Iul. anno duos Olympicos annos, ſive *duas* annorum *medietates* veluti reſpondentes appinxerim, Archontes tamen omnes ante Olymp. LXXXVII. *exeunti* anno Olympico, poſt Olympiadem ipſam *ineunti* tribuendos eſſe putavi. Ceteri tamen Hiſtorici varium illud Archontici anni principium omnino diſſimularunt, adeoque Archontes ipſos, etiam ante Olymp. LXXXVII. ineuntibus potius annis adſcripſerunt. Certe Dio-

(1) Tom. II. pag. 41.

dorus *Lyſimachum* illum, qui *exeunte* anno 4. Olymp. LXXV. Archontis munus ſuſcepit, *ineunti* anno 1. Olymp. LXXXVI. adſcripſit, eademque methodus in Archontibus ipſis ad Olympicos annos referendis ubique ab illo uſurpatur. Ita quoque Dionyſius ipſe Archontes omnes, quorum nomen expreſſit, ſemper ad Olympicum annum *ineuntem* revocavit; & quamvis ante annum 1. Olymp. LXXXVII. ad exeuntem potius ſuperiorem annum revocandi forent, ut in Oxonienſi Chronico factum conſpicitur, eos tamen ſemper Olympicis annis illis adſcripſit, qui iis Magiſtratu iam fungentibus incepturi fuerant, ut Iſagoram anno 1. Olymp. LXVIII. adſcripſit, quamvis ille ineunte 1. Olympiadis eius anno ſex in imperio menſes exegiſſet.

Quod ſi non Archontes ipſi, ſed Romanorum Conſules, cum Olympicis annis committi debeant, quamvis Conſules ipſi ad duos Olympicos annos, *exeuntis* ſcilicet, ac *ineuntis* partes referri deberent; plerumque tamen ad *exeuntem* illum referuntur, quo imperium ſuſcepere; quippe qui, ſi incerta quaedam ineundi Conſulatus tempora, vel exempla excipiantur, Conſulares faſces ante Olympici labentis anni finem ſuſceperint. Haec autem Conſulum cum Olympicis annis committendorum ratio pulcherrimo, certoque exemplo oſtendi poteſt. Livius (1) aſſerit Bellum Punicum I. *Appio Claudio*, *M. Fulvio Flacco Coſs.* incepiſſe; qui certe Conſules anno V. C. 490. pro Varronis hypotheſi adſcribi debent. At annus ille ita cum Olympicis annis committi debet, ut *exeunti* 4. Oly. CXXVIII. ac *ineunti* 1. Olymp. CXXIX. reſponderit. Siquidem

(1) Lib. XXXI. c. 1.

dem Dionyſius aſſerit ſe Hiſtoriam ſuam deduxiſſe ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τȣ̃ πρώτȣ Φοινικȣ̃ πολέμȣ τὴν γενομένην ἐν αὐτῷ τρίτῳ τῆς ογδόης ϗ εἰκοςῆς ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν Ὀλυμπιάσιν (1) *uſque ad initium primi belli Punici, quod fuit anno tertio viceſimae octavae ſupra centeſimam Olymp.*; quemadmodum Photius (2) aſſerit quod Dionyſius Halicarnaſſenſis Hiſtoriam ſuam deduxit μέχρις ὅτȣ Ῥωμαίοις ὁ πρὸς Πύῤῥον πόλεμος συνέςη· διέρχεται δὲ ϗ αὐτὸν ἐκεῖνον, καὶ τελευτᾷ ἐς τὴν ρ́ καὶ κή Ὀλυμπιάδα, ἔτȣς ἐνεςηκότος αὐτῆς τρίτȣ &c. ἀφ᾽ ἧς καὶ φησὶν ἀπάρξασθαι τὸν Μεγαλοπολίτην Πολύβιον τῆς Ἱςορίας *uſque ad Romanorum cum Pyrrho bellum, quod ipſum quoque deſcribit; deſinitque in Olympiadis CXXVIII. annum tertium, a quo tempore Hiſtoriam incboaſſe refert Polybium Megalopolitanum*; quemadmodum certe Polybius ipſe (3) fatetur ſe Timaei Hiſtoriam continuare: ὑποθησόμεθα δὲ ταύτην ἀρχὴν τȣ̃ βίβλȣ τὴν πρώτην διάβασιν ἐξ Ἰταλίας Ῥωμαίων· αὐτὴ δ᾽ ἐςὶ συνεχὴς μὲν τοῖς ὧν Τιμαῖος ἀπέλιπε· πίπτει δὲ κατὰ τὴν ἐννάτην ϗ εἰκοςὴν πρὸς ταῖς ἑκατὸν Ὀλυμπιάδα *faciemus autem principium huius libri primam Romanorum ex Italia transfretationem: quae eſt iis continua, quae Timaeus ultimo loco ſcripſit. Fuit autem Olympiade centeſima, & viceſima nona.* Itaque Dionyſius ita *tertium* Olymp. CXXVIII. reſque in illo geſtas deſcripſerat, ut tertium ipſum exeuntem, ſimulque *quartum* ineuntem complecti debuerit; atque Polybius ita a *prima* Olymp. CXXIX. inceperat, ut poſtremos etiam ſex menſes anni 4. ſuperioris Olympiadis comprehenderit; alioquin inter Polybii initium ac Dionyſii finem anni *unius* hiatus occurreret. Quumque Dionyſius ab indicto Siculis bello, Polybius a traiecto Siculo freto belli initium deduxerit,

 opti-

(1) Libr. I num. 7. (2) Cod. 83. pag. 202. (3) Lib. I. c. 5.

optime Dionyſius belli initium anno $\frac{3}{4}$. Olymp. CXXVIII. Polybius vero anno $\frac{4}{1}$. Olymp. CXXIX. adſcripſit. Ita Solinus (1), quamvis Varronianam Aeram ſequatur, Punici Belli 2. initium anno V. C. 489. adſcripſit; Livius (2) autem Catonis Epochae inſiſtens initium illud, & *Appii Claudii* conſulatum anno ab V. C. 488. attribuit, qui Varroniano 490. reſpondiſſe debuit. Ceterum ex perſpicuis illis Dionyſii, aliorumque Scriptorum locis manifeſtiſſime apparet quod Conſules anni V. C. Varroniani 490 ita cum Olympicis annis committi debent, ut partim cum exeunte 4. Oly. CXXVIII. partim cum ineunte 1. Oly. CXXIX. concurrerint.

Cautiſſime tamen haec Conſulum una cum Olympicis annis commiſſio a Scriptoribus expreſſa adhiberi debet; cum principes quoque Scriptores hac in parte aberraverint. Ita Livius de *C. Claudio Nerone*, & *M. Livio Salinatore* Conſulibus diſſerens ait (3) quod antequam ipſi Magiſtratum ſuſciperent *Olympiae Ludicrum ea aeſtate futurum erat, quod maximo coetu Graeciae celebratur*; ſubditque (4) Machanidam Lacedaemoniorum tyrannum *Olympiorum ſolemne Ludicrum parantes Eleos* aggredi voluiſſe, niſi Philippus Macedonum rex obſtitiſſet. Itaque, ſi Livii hypotheſim amplectare, in qua Conſules illi ad annum V. C. Varr. 547. referri debent, in annum ipſum 547. Olympicos Ludos incidiſſe putabis; quum tamen Olympia ſuperiori aeſtate, *Marcello*, & *Criſpino* Conſulibus, contigiſſent, hoc eſt Olympiae Ludicrum in annum V. C. Varr. 546. incidiſſet, annoque ipſo labente annus 1. Olymp. CXLIII. incepiſſet, ut opportunius

alibi

(1) Cap. 2. (2) Lib XXXI. c. 1. (3) Lib. XXVII. c 35. (4) Lib. XXVIII. c. 7.

alibi (1) demonſtravi. Nullibi tamen maior accuratio, vel diligentia in Romanorum Conſulibus ad Olympicos annos referendis adhiberi debet, quam ubi Conſulum ſeries a Diodoro Siculo expoſita conſulatur, anniſque ſingulis Oly. quaedam Conſulum nomina a Diodoro ipſo Athenienſium Archonti coniuncta videantur, perinde quaſi tum Conſules ipſi, tum Archon etiam eo anno Olympico imperaverint. Certe, ut pluribus in locis opportune iam obſervavi, Diodorus in mutilos, hiulcos, perturbatos, depravatiſſimos Conſulum Faſtos inciderat; adeoque non modo Conſulum nomina in illo ſaepiſſime vitiata occurrunt; verum etiam Conſules ipſos ad alios omnino Olympicos annos revocavit. Ita Conſulum ſitus in Diodoro ab anno 1. Olymp. LXXV. ad annum uſque 4. Olymp. LXXXI. *quadriennio* integro a Dionyſii ſententia, vel Faſtis aberrat; ut Conſules illi, qui a Dionyſio anno 1. Olymp. LXXV. tribuuntur, in Diodoro ad annum 1. Oly. LXXVI. referantur, proximiſque annis Diodorus *quinquennii* ſpatio a Dionyſio diſſideat. Deinde vero, quum Diodorus anno 2. Olymp. XCII. quinque Conſulum paria, vel 5. Romanos annos tranſiliat, ab anno illo fere Dionyſii Faſtos amplectitur.

Haec, aliaque id genus fuſius exponere, fontemque ipſum oſtendere, ex quo perplexitas illa manavit, nec iuvat, nec decet. Inſignis tamen hic error, ac diſcrimen illud notandum hic fuerat; ne, ſi fortaſſe in quibusdam Diodori teſtimoniis, quae in *primis* plerumque Olympiadum annis a me proferentur, Conſulum nomina Diodoro laudata ab iis diſſidere quis viderit, quae Olympicis annis illis a me

(1) Diſſert. Agon. pag. 65.

a me adſcribuntur, id cuipiam fraudi eſſe poſſit; ſed diligens, perituſque Lector intelligat ex Diodoro verum quidem Athenienſis Archontis, ac Olympionicae ſitum inferri poſſe, niſi fortaſſe oppoſitum ibi oſtendatur; ſed in Conſulum tamen Faſtis contexendis, aut Conſulibus ipſis ad annos Olympicos referendis, nullum ex Diodoro, antiquioribus praeſertim temporibus, praeſidium ſperari poſſe.

Denique plurimis Hiſtoricorum locis rite explicandis conferre poterit ſi obſervetur Conſules apud Romanos non uno eodemque tempore, ſeu civilis anni menſe, ſed aliquando ſerius, aliquando maturius incepiſſe; ut exinde quoque perplexitas aliqua oriri potuerit ubi Conſules ad Olympicum annum aliquem referantur. Sic, ut praecipua varietas illa Dodvello duce oſtendatur, primi Conſules Kalendis *Martiis* iniere, quae *Ianuariae* Kalendae cenſeri poſſunt, quum iis temporibus *Martius* ipſe *Ianuarii* menſis locum occuparet. Anno 261. Varr. Conſules *Kal. Sept.*, longe nempe maturius, inceperunt. Anno 277. ante *XV. Kal. Sextiles*; anno 278. ceteriſque mox inſequutis *Sextili* menſe inierunt. Anni 303. Decemviri *Maiis Idibus*, Conſules anni 311. & 331. *Idibus Decembribus* incepere. Anno 353. a *Kal. Octobr.* ordiebantur. Ab anno 363. ad annum uſque 425. *Kal. Quinctilibus* conſularis anni principium adſcribi debet. Ab anno Varroniano 434. ad 460. die quadam inter 13. & 21. *Sextilis* auſpicabantur. Exinde vero ad annum uſque 474. *Kalendis Quinctilibus*. Intermedio quodam anno a Varroniano 474. ad 502. Conſulatus initium inter 17. & 23. *Martii* incidit. Si-

qui-

quidem ab anno Varr. 502. menſe *Maio* Conſules auſpicabantur. Sed poſt annum 521. & ante 537. *Martiis Idibus* Magiſtratum ſuſcepere; annoque tandum 600. ceteriſque omnibus mox inſequutis ab ipſis *Ianuariis Kalendis* Conſulares faſces ſuſcipiebant.

Quamvis tamen in eiuſmodi tempore, quo Conſules inire conſueverant, mira haec varietas obſervetur; ubi tamen in Faſtis anno cuidam civili Romanorum Conſulum nomina adſcripta ſive praefixa conſpiciuntur, ita ad annum illum referuntur, perinde quaſi Conſules illi a *Ianuariis Kalendis* incepiſſent, adeoque integro anno illo P. I. imperaſſent; quemadmodum prorſus, licet anni ab Vrbe Condita numerati a *Palilibus*, hoc eſt IX. Kal. Maias inciperent, ita tamen cum annis Per. Iul. ſive Olympicis committuntur, perinde quaſi a Kalendis ipſis Ianuariis incepiſſent: unde annus *primus* Varronianus ab Vrbe Condita cum anno $\frac{3}{4}$. Olymp. VI. committitur, quamvis *duos* ſolum anni 3. *exeuntis* menſes occupaverit.

Quod ſi fortaſſe cui libeat Olympicum annum quemdam Archontis nomine inſignem, aut annum aliquem ab V. C. ſuis Conſulum nominibus deſignatum ad Aeram illam revocare, qua modo frequenter utimur, atque *Vulgaris Chriſtiana Epocha* vocatur quod a Chriſti Nativitate exordium ſumpſerit, annoſque a Chriſto nato numeret, obſervare facile is poterit Chriſti Nativitatem in annum V. C. 753. adeoque Per. Iul. 7413. fere abſolutum incidiſſe, dum *ſextus* anni 4. Olymp. CXCIV. menſis ageretur; ut proinde *primus* annus a Chriſto nato a Kal. Ianuariis numeratus cum anno V. C.

754.

754. & Per. Iul. 4714. concurrat, primoſque 6. menſes anni 1. Olymp. CXCV. complectatur. Itaque annus ex. gr. ab V. C. 431. quo Alexander M. e vivis exceſſit, erit annus 324. ante vulgarem Chriſtianam Aeram. Annus ab V. C. 865. quo Hadrianus Caeſar Athenis Archontis Eponymi munus primum ſuſcepit, erit annus a Chriſto nato 112. Annus 1. Olymp. CVIII. quo Plato interiit erit annus ab V. C. 406. adeoque ante Chriſtum 348. annuſque 1. Olymp. CCLX. quo Gallienus Athenis Archon fuit, erit ab V. C. 1014. adeoque 261. in Chriſtiana Aera numeratus.

§. V.

Athenienſium Regum, & Archontum perpetuorum ac decennalium ſeries, atque aetas.

Athenis initio *Reges*, inde *perpetuos* Archontes, mox *decennales*, tandemque *annuos* ſolum *Archontes* imperaſſe tum a Graecis, tum a Latinis etiam Scriptoribus erudimur; idque variis in locis (1) opportune iam obſervavi. Itaque, quum Faſtos Atticos contexendos ſuſceperim, de ipſis etiam Athenienſium Regibus, perpetuiſque Archontibus ita fortaſſe diſſerendum eſſe videretur, ut illuſtriora quoque Atticae Hiſtoriae capita, quae Regum, vel Archontum illorum aetate contigerant, in Faſtis ipſis exponerentur; quemadmodum prorſus ſingulis Olympiadum annis res ab Athenienſibus praeclare geſtae annuorum Archontum nominibus ſubiicientur. Quum tamen pleraque, ac omnia

(1) Tom. I. pag. 1.

mnia fere, quae Regum, & Archontum ipſorum temporibus contigiſſe vel a Poëtis vel ab Hiſtoricis memorantur, ambigua, & fabuloſa ſint, antiquiorem hanc Atticae Hiſtoriae partem preſſius complecti, ac veluti delibare volui; quum praeſertim ipſam Cl. Meurſius in III. Libris illis accuratiſſime ſit proſequutus, quos *Regnum Atticum* inſcripſit, atque anno 1633. in lucem edidit. Ille nimirum incredibili qua fuerat veterum Scriptorum cognitione ſingula Auctorum teſtimonia diligentiſſime exſcripſit; ut nihil propemodum hac in parte accuratis tanti Viri ſtudiis adiungi poſſe videatur. Quaecumque vero Meurſio indicta, vel ignorata fuerant, atque Oxonienſis Chronici praeſidio poſt Meurſii fata affulſere, Lydiatus, Seldenus, Prideauxius, aliique Marmoris interpretes uberrime explicarunt; ut proinde haec mythica antiquiorum temporum Hiſtoria ex eiuſmodi fontibus hauriri facile poſſit. Haec, aliaque id genus plura me impulere ut in ea ſolum Faſtorum parte diligentiam omnem collocarem, quae ab *hiſtorico*, ut aiunt, tempore, hoc eſt ab Olympiadum inſtitutione, exorditur; antiquiora vero, ex quibus nulla propemodum aut in Hiſtoricis legendis utilitas, aut in temporibus rite definiendis perſpicuitas ſperari poterat, ex Scriptoribus aliis deſumenda praeterirem. Ne tamen primam Athenienſis imperii formam, atque perennem hanc imperii ſucceſſionem omnino diſſimulare viderer, univerſam Regum, atque Archontum perpetuorum ſeriem, eorumque aetatem ex variis Scriptoribus hauſtam breviſſime hic exponere, variaſque illorum ſententias invicem conferre, ac illuſtrare ita volui, ut ſeries illa nitido, & accurato quo-

dam ordine ad *tertium* uſque Aeſchyli *perpetui* Archontis annum, hoc eſt ad primam Olympiadum inſtitutionem deduceretur, ex qua veluti cardine, Faſtorum Atticorum ſeriem incipiendam eſſe putavi. Quandoquidem vero univerſa illa Regum, & Archontum perpetuorum ſeries tum ab *Euſebio*, tum ab *Oxonienſis Marmoris* Scriptore, tum ab *Excerptorum Latino-Barbarorum* Auctore contexta fuit, ſerierum ipſarum ſingulas hic ordine recenſendas ſuſcepi; quum Cedrenus, Vincentius Bellovacenſis, & Marianus Scotus ubique fere Hieronymum Euſebii Interpretem ſequantur; adeoque leviores illi, minorumque gentium Chronologi non aliam, quam Euſebii, Chronologiam expreſſerint.

Atque, ut a Graeca Euſebii ſerie exordiar, ille in II. *Chronicorum* Libro, quo Regum initia ad ſua quaeque tempora revocavit, Regum, & Archontum nomina, atque annos, quibus ipſorum quilibet imperaverit, accurate expreſſit; eademque fere a Hieronymo ipſius interprete ſervata temporum annorumque ſerie proferuntur. Deinde vero Euſebius ipſe alio in loco eadem Regum, & Archontum Athenienſium nomina, ac tempora, quae iampridem ſparſim ediderat, una ſimul complecti voluit; eamque ſeriem exhibuit, quae in Scaligeri editione pag. 214. reperitur. Ex utraque Euſebii ſerie, meliorique ipſius ſententia univerſa illa Regum, & Archontum ſucceſſio conſtitui debet, quae in ſubiecta ſerie conſpicitur; in qua Regum, & Archontum ſingulis tum imperii annos adieci, tum P. I. aut Aerae annum expreſſi, quo ipſorum quilibet imperium ſuſceperit; ut deinde facilius haec Euſebiana ſeries cum illa conferri poſſit, quae ab

Oxo-

Oxonienſi Marmore, vel Excerptorum Auctore proponitur.

Coepit Aer. Att. anno	Per. Iul. anno		Reges	regnavit annis
1.	3158.	I.	*Cecrops I.*	50.
51.	3208.	II.	*Cranaus*	9.
60.	3217.	III.	*Amphictyon Deucalionis fil.*	10.
70.	3227.	IV.	*Erichthonius Vulcani fil.*	50.
120.	3277.	V.	*Pandion I. Erichthonii fil.*	40.
160.	3317.	VI.	*Erechtheus Pandionis fil.*	50.
210.	3367.	VII.	*Cecrops II. Erechthei frater*	40.
250.	3407.	VIII.	*Pandion II. Erechthei fil.*	25.
275.	3432.	IX.	*Aegeus Pandionis fil.*	48.
323.	3480.	X.	*Theſeus Aegei fil.*	30.
353.	3510.	XI.	*Meneſtheus Peti fil. Pylius*	23.
376.	3533.	XII.	*Demophon Theſei fil.*	33.
409.	3566.	XIII.	*Oxyntes Demophontis fil.*	12.
421.	3578.	XIV.	*Aphidas Oxyntis fil.*	1.
422.	3579.	XV.	*Thymoetes Aphidantis frater*	8.
430.	3587.	XVI.	*Melanthus Andropompi Pylius*	37.
467.	3624.	XVII.	*Codrus Melanthi fil.*	21.
				487.

Archontes perpetui.

488.	3645.	I.	*Medon Codri fil.*	20.
508.	3665.	II.	*Acaſtus Medontis fil.*	36.
544.	3701.	III.	*Archippus Acaſti fil.*	19.
563.	3720.	IV.	*Therſippus Archippi fil.*	41.
604.	3761.	V.	*Phorbas Therſippi fil.*	....
....	.....	VI.	*Megacles Phorbantis fil.*	....
....	.....	VII.	*Diognetus Megaclis fil.*	....

....	.....	VIII.	*Pherecles Diogneti fil.*	....
712.	3869.	IX.	*Ariphron Pherecles fil.*	20.
732.	3889.	X.	*Theſpieus Ariphronis fil.*	27.
759.	3916.	XI.	*Agameſtor Theſpiei fil.*	20.
779.	3936.	XII.	*Aeſchylus Agameſtoris fil.*	23.
802.	3959.	XIII.	*Alcmaeon*	2.

Archontes decennales.

804.	3961.	I.	*Charops*
814.	3971.	II.	*Aeſimedes*
824.	3981.	III.	*Clidicus*
834.	3991.	IV.	*Hippomenes*
844.	4001.	V.	*Leocrates*
854.	4011.	VI.	*Apſander*
864.	4021.	VII.	*Eryxias*

Archontes annui.

874. 4031. I. *Creon* anno 2. Olymp. XXIV.

Atque eiuſmodi quidem Regum Athenienſium ſeries ab Euſebio contexta, ſimulque aetas illorum ſingulis adſcripta ſibi mire conſentit; ſi tamen numeri alicubi in Euſebio depravati ex Euſebio ipſo corrigantur. Etenim Euſebius in Graeca Regum Chronologia Meneſtheo Peti filio 33. annos adſcribit (1), ibique ſubdit Euſebius: τούτου τῷ λγ' ἔτει Ἴλιον ἥλω *huius* 33. *anno Troia capta eſt*. Ergo ex perſpicua Euſebii hypotheſi Troiae excidium in ultimum Meneſthei annum incidiſſe debuit. Atque ita ſane etiam Clemens Alexandrinus (2) aſſerit ex Hellanico cladem illam 23. Thargelionis Attici contigiſſe βα-

σι-

(1) Chron. Lib. I. pag. 31. (2) Strom. Lib. I.

σιλεύοντος τὸ τελευταῖον ἔτος Μενέσθεως *ultimo Meneſthei regis anno*; quamvis a Dionysio Argivo τῷ πρώτῳ ἔτει Δημοφῶντος *primo anno Demophontis* excidium illud adſcribi iam dixerit. Itaque, quum Hieronymus alibi (1) dicit a *Cecrope uſque ad Troiae captivitatem fiunt anni* 375. numerus ille aliter conſtare non poterit, quam ſi Meneſtheo non 33. ſed 23. ſolum anni concedantur; quemadmodum certe, ut Marianum Scotum, & Vincentium Bellovacenſem omittam, Euſebius ipſe alio in loco (2) 23. ſolum regni annos illi adſcribit, & Hieronymus aſſerit (3) illum *annis viginti tribus* imperaſſe; atque ubi ſubdit (4) *a primo anno Cecropis uſque ad captivitatem Troiae, & uſque ad viceſimum annum Meneſthei anni* 375. certiſſime reſcribi debet *viceſimum tertium*. Video quidem quod Meurſius (5) priorem Euſebii locum ſequutus Regem hunc annis 33. imperaſſe voluit, eaque de cauſſa a Hieronymo, Mariano, & Vincentio 23. ſolum ipſi conceſſos fuiſſe quod *hi demere videantur decem annos, quos ad Troiam militavit, interim a regno abſens*. Sed certe ille fallitur non modo quod Meneſtheus ad Troiam militans rex appellari profecto debuit, verum etiam quod levis illa Meurſii coniectura cum aliis Hieronymi locis componi non poteſt, in quibus ille a Cecrope ad Troiae excidium annos numerat 375. excidiumque ipſum cum anno 20. Meneſthei coniungit. Ita quoque Meurſius (6) ipſe & ab Euſebii calculo aberrat, & ſibi non conſtat ubi, quum praemiſiſſet ab Idacio inter Cecropis initium, & Troiae captivitatem annos 350. numerari, ſubdit: *hoc tempus computa-*

(1) Ad num. 460. (2) Pag. 214. (3) Ad. num. 812. (4) Ad num. 835. (5) Regn. Attic. Lib. III. c. 3. (6) Loc. cit.

putatum ab anno primo Cecropis I. incidit in Meneſthei ultimum. Etenim, ſi Meneſtheo 33. anni cum Meurſio concedendi forent, a Cecrope ad Meneſthei finem anni 385. intercesſiſſent. Ergo ſi prior ille Euſebii locus ex Euſebio ipſo emendetur, Regum ſeries atque aetas, quae eadem prorſus ratione ab Euſebio, Hieronymo, Vincentio, Mariano exprimitur, a Cecropis initio ad Troiae excidium accuratiſſime conſtabit. Ita quoque numeri Regibus pone ſequentibus conceſſi mire conveniunt. Etenim Hieronymus ex Caſtore dicit (1): *a Cecrope ad Thymoetem tempus annorum* 429. *Melanthus & Codrus ſimul annis quinquaginta octo*; ut proinde hoc etiam ex calculo a Cecropis initio ad finem Codri anni 487. exſurgant: qui numerus alibi nitide diſerteque exprimitur ubi Hieronymus aſſerit (2) quod *Erechthidarum imperium* 487. *annis perſeveravit*. Vbi tamen *Erechthidarum* nomine non veros *Erechthei* poſteros, quos in Thymoete defeciſſe iam dixerat, ſed Athenienſes ille intellexit, qui hoc ipſo *Erechthidarum* nomine deſignari conſueverant, ut ait Ovidius (3):

Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxiſſe dies &c.

Melanthus autem ex *Pylo* Meſſeniae urbe oriundus quum Athenas veniſſet civitatis iure donatus, rexque Athenis electus fuit.

Aetatem vero, annorumque numeros, qui perpetuorum Archontum ſingulis in Euſebio adſcribuntur, accuratos eſſe oportere, facile ex ipſorum ſumma deduci poterit, quae ſemel iterumque ab Euſe-

(1) Ad num. 460. pag. 96. (2) Ad num. 89. (3) Metam. Libr. VII.

Euſebio, ſive Hieronymo ipſius Interprete (1), exprimitur. Ille nimirum aſſerit quod *a captivitate Troiae uſque ad primam Olympiadem fiunt anni numero quadringenti ſex*; idemque prorſus, iisdemque verbis alio in loco (2) teſtatur. Itaque, quum perſpicue diſerteque dixerit Euſebius Olympiades anno 3. Aeſchyli Archontis inſtitutas eſſe, ut in Faſtis ad Olymp. 1. oſtendetur, perſpicue apparet a Troiae captivitate ad 2. Aeſchyli Archontis annum ſolidos annos 406. interceſſiſſe; quorum quidem 112. a Troiae excidio ad Codri Regum poſtremi finem, ſive Medontis Archontis primi initium fluxere; alii vero a Medontis ipſius initio ad 2. Aeſchyli annum interceſſere. Ergo a Medontis initio ad Aeſchyli annum 2. anni 293. numerari debent. At univerſa annorum ſumma, quae ex Euſebii textu, ſive ex aetate primis 11. perpetuis Archontibus adſcripta, exoritur, nonniſi 287. annos efficeret; ergo *ſex* anni deeſſe debent, qui Archontibus illis facile adiungi poterunt, in quibus annorum numerus in Euſebii textu deſideratur; nimirum *Phorbanti*, *Megacli*, eiuſque Filio *Diogneto*, ut omnes ſimul 90. annis imperaverint; quamvis a Hieronymo Phorbanti 30., Megacli 28., Diogneto 25. anni adſcribantur. Siquidem in exprimendis Archontum aliorum annis Euſebius, Hieronymus, Marianus, Vincentius accurate conſpirant; atque Agameſtori non 17. ut Euſebius ſed 20. annos adſcribunt, adeoque errorem in Archontibus illis ſuſpicari non licet. Exinde vero Euſebii textus ſemel iterumque corrigendus erit, ubi a calculo iam conſtituto perſpicue ille diſſidet. Etenim de Cecrope lo-

(1) Num. 835. (2) Num. 1240.

loquens ait (1). ἀπ' ἀυτοῦ ἐπὶ πρώτην Ὀλυμπιάδα ἔτη ψ *ab ipſo ad primam Olympiadem anni* 700. Quis cum ſuperioribus haec componat? Omnino reſcribendum ἔτη ψπα *anni* 781. tot enim ex Euſebii calculo ab initio Cecropis ad primam Olympiadem interceſſere ſi 375. anni, quos a Cecropis initio ad Ilii cladem fluxiſſe dixerat, annis 406. adiungantur, quos ab Illi excidio ad Olympiades numeravit. Ita quum alibi dicit Euſebius: Οἱ Ἀθηναῖοι βασιλεῖς πρῶτοι ιζ, καὶ μετ' ἀυτοὺς οἱ διὰ βίου λεγόμενοι Ἄρχοντες ιγ ἔπειτα δεκαετεῖς ζ ὁμοῦ πάντες λζ κρατήσαντες τῆς Ἀθηναίων ἀρχῆς ἐπαύσαντο διακρατήσαντες ἐπὶ ἔτη ὅλα ωνϛ *Athenienſes Reges primi XVII., & poſt ipſos Archontes XIII. perpetui dicti, deinde decennales VII. omnes ſimul XXXVII., qui Athenienſium imperium tenuerunt: deſierunt, quum dominati eſſent omnino annis* 856. a ſuperiori calculo 17. ſolidis annis aberrat; adeoque non ΩΝϛ, ſed facili levique mutatione ΩΟΓ legendum erit, hoc eſt 873. anni ponendi, quot a Cecropis initio ad Eryxiae finem, annuique Creontis initium, fluxere.

Ab eiuſmodi Regum, & Archontum ſerie, quae in Euſebio reperitur, variis in locis diffidere conſpicitur illorum aetas, quae in Oxonienſi Marmore exprimitur, ut in ſubiecta ſerie apparet, in qua anni P. I. exhibentur, quibus illi iuxta Marmoris Auctorem, eiuſque calculum vel regnum iniiſſe, vel vixiſſe dicuntur.

Cecrops coepit anno Per. Iul.	3132.
Cranaus regnabat anno	3182. 3185.
Amphictyon regn. an.	3192.

Eri-

(1) Chron. Lib. I. pag. 36. & 95.

Erichthonius regn. an.	3203. 3208.
Pandion regn. an.	3282.
Erechtheus regn. an.	3305. 3315.
Pandion regn. an.	3388.
Aegeus regn. an.	3419.
Theſeus regn. an.	2455. 3463.
Meneſtheus coepit an.	3483.
Troia capta anno P. I.	3505.
Demophon regnabat an.	3508. 3512.
Medon, ſeu Neleus, coepit an.	3624.
eius 13. an.	3637.
Megacles regn. an.	3770.
Diognetus regn. an.	3807. 3819.
Aeſchylus coepit an.	3935.
eius 21. an.	3956.
Creon annuus Archon fuit anno	4030.

Itaque primum perſpicue apparet quod Cecropis initium ex Euſebii calculo in annum Per. Iul. 3158. revocatur; at in Marmoreo Chronico anno P. I. 3132. initium ipſum adſcribitur; ut proinde Cecropis initium in Marmore 26. ſolidis annis antiquius aſſeratur; quumque Meneſthei initium ab Euſebio quidem anno P. I. 3510. a Marmore vero anno 3483. adſcribatur, adeoque illud idem 26. ſolidorum, ſive 27. annorum diſſidium habeatur, manifeſtisſime inferri debet quod a Cecropis initio ad Troiae excidium idem prorſus annorum 374. ſive 375.

intervallum utrobique ſupponitur ; cum Ilii clades in Marmore 22. in Euſebio tamen 23. Meneſthei regis anno adſcribatur. Itaque conſenſus ille maximo, opinor, argumento eſſe poterit Regum ſingulorum aetatem rite ab Euſebio definitam eſſe. Accedit etiam quod ſi anni P. I. Cecropi, Cranao, ceteriſque in Marmore attributi conſulantur, perſpicuum fiet neque Cecropem 50., neque Cranaum 9, neque Amphictyonem 10. regni annos ſuperaſſe; quemadmodum prorſus in Euſebio Cecropi 50., Cranao 9., Amphictyoni 10. anni tribuuntur. Ita, quum ab Erichthonii aetate ad Erechthei tempora 102. annorum intervallum ponatur, id optime conſpirat ſi Erichthonius 50. Pandion 40. annis regnaverit, ut in Euſebio reperitur; quemadmodum prorſus ubi inter Erechtheum ipſum, & Pandionem II. 83. anni exhibentur, illi 50. huic 40. anni ab Euſebio aſſignati rite convenient. Ita ex Marmore apparet Theſeum 28. ſaltem annos imperaſse, ut Euſebius illi 30. imperii annos adſcribit. Denique, ſi Aegei, aliorumque omnium Regum annus in Marmore expreſsus cum Euſebii Chronologia conferatur, aetas illa, quae pro ipſorum ſingulis in Marmore indicatur, extra terminos ab Euſebio conſtitutos egredi non poterit; adeoque nullus ex Marmore locus afferri poterit, ex quo Euſebii calculus in Regum aetate definienda refellatur. Itaque, quum in deſignanda Regum aetate Marmoris Auctor cum Euſebio fere conveniat, illud unum hic inquirendum ſupererit unde tamen 26. anni prodierint, quos Marmoris Auctor enumerat, ut Cecropis initium in antiquiora tempora proveheret, ac initium illud 26. annis remotius conſtitueret, quam ut ab Eu-

Euſebio ſupponatur. Id vero facile ex annis, temporumque characteribus inferri poterit, quos Marmoris Auctor expreſſit. Certe in Euſebio inter Cecropis, ac Medontis initium anni 487. numerantur; at in Marmore intervallum illud 492. annorum exhibetur. Ergo Marmoris Auctor poſtremorum Regum aetatem 5. annis auctiorem fecit; Regibuſque illis 5. ſolidos annos adiecit, qui ab Euſebio numerati non fuerant. Deinde vero, quum Marmoris Auctor inter Cecropis, & Aeſchyli initium annos 803. numeraverit, atque intervallum illud ab Euſebio nonniſi 778. annorum dicatur, perſpicuum fiet quod Marmoris Auctor perpetuis Archontibus, qui inter Medontem, atque Aeſchylum imperarunt, 20. ſolidos annos alios ab Euſebio omiſsos adſcripſit; ut illi annis 5. Regum aetati iam adiectis una coniuncti integrum illud 25. annorum diſcrimen efficiant, quod ab initio Cecropis ad Aeſchyli initium inter Euſebium, ac Marmor reperitur. Quandoquidem vero *unicus* adhuc annus pro Marmoris hypotheſi adiungi debet, ut integrum illud 26. annorum diſcrimen habeatur, neque annus ille *decennalibus* Archontibus adiungi poteſt, ille vel Aeſchylo, vel Alcmaeoni ipſius ſucceſſori perpetuorum ultimo adiungendus erit. Itaque Aeram Atticam Marmoris Auctor 26. annis ea de cauſſa auctiorem, ſive Cecropis initium annis 26. antiquius admiſit quod ille Regibus quidem 5., perpetuis vero Archontibus 20., Aeſchylo demum, aut Alcmaeoni annum 1. adiecerit, qui in Euſebii calculo deſideratur; ut proinde Euſebii Chronologia in Regibus ſolum 5. in perpetuis Archontibus 21. annis contractior habeatur: quod exiguum 26. an-

norum diſcrimen in antiquiſſimis id genus hiſtoriis diſſimulari facile poterit.

Supremo tandem loco eam quoque Athenienſium Regum, & Archontum ſeriem, ipſorumque Chronologiam ex *Excerptis Latino-Barbaris* ſubieciſſe nunc libet, quae a Chronologo quodam Anaſtaſii Dicori aetate, hoc eſt poſt annum Chr. 491. edita fuit, atque apud Scaligerum reperitur (1).

I. Cecrops procerus ann. L.
II. Amphitrius ann. XL.
III. Erychthonius ann. X.
IV. Pandius ann. L.
V. Erechtheus ann. XL.
VI. Cecrops Erichtheus ann. LIII.
VII. Pandius Cecropus ann. XLIII. Temporibus Pandii Cecropi Cadmus Aginori literarum verſos primus duxit ad Graecos. Ereus Pandionus an. XLVIII. Thiſeeus Erei an. XXXI. Meneſtheus an. XIX. Dimophus an. XXXV. Oxyntus an. XIIII. Aphydus an. I Thymytus an. XI. Melanthus an. XXXVII. Codrus an. XXI. A Cecropo procero, uſque Codrum, anni quadringenti XCII. Poſt Codrum autem fuerunt, ſicut vixerunt, Principes. Difyis autem vocatus eſt Cecrops, quoniam procerae ſtaturae fuit prae omnibus. Poſt Codrum autem primus filius eius Diabeus. Medrus Codri an. XX. Acaſtus an. XXXVIIII. Archippus an. XL. Phorbus an. XXXIII. Megaclus an. XXVIII. Diognitus an. XXVIII. Pherecles an. XV. Ariphus an. XXX. Thiſpius an. XL. Agamiſtor anni XXVI. Therſippus ann. XXIII. Aeſchylus an. . . . . Aeſchylo anno ſecundo prima Olympiada adducta eſt a Graecis. Colliguntur vero ab

(1) Chron. Euſeb. pag. 62.

ro ab initio regni Ceropi in prima Olympiada anni octingenti $\overline{\text{XIIII}}$. *Poſt Aeſchylum autem illi* $\overline{\text{XIII}}$. *Almeus an.* $\overline{\text{X}}$. *Corops an.* $\overline{\text{X}}$ *Eſimidus an.* $\overline{\text{X}}$. *Celdicus an.* $\overline{\text{X}}$. *Ippomeneus an.* $\overline{\text{X}}$. *Leocratis an.* X. *Apſandrus ann.* $\overline{\text{X}}$. *Erygias an.* $\overline{\text{X}}$.

Et ceſſavit regnum Athineorum in Olympiada viceſima quarta. Fiunt vero omnem Athineorum fortitudinem a Cecropo uſque Oxurium, anni noningenti ſeptem.

Itaque ex Auctoris huius ſententia Regum, & Archontum ſeries, ac tempora ita diſponi debent

		Aera Attica
Cecrops *regn. an.*	50.	*coepit anno* 1.
Amphictyon	40.	51.
Erichthonius	10.	91.
Pandion	50.	101.
Erechtheus	40.	151.
Cecrops	53.	191.
Pandion	43.	244.
Aegeus	48.	287.
Theſeus	31.	335.
Meneſtheus	19.	366.
Demophon	35.	385.
Oxynthes	14.	420.
Aphidas	1.	434.
Thymoetes	9.	435.
Melanthus	37.	444.
Codrus	21.	481.
	501.	

Ar-

Archontes perpetui		*Aera Attica*
Medon	20. coepit anno	502.
Acaſtus	39.	522.
Archippus	40.	561.
Phorbas	33.	601.
Megacles	28.	634.
Diognetus	28.	562.
Pherecles	15.	690.
Ariphron	30.	705.
Theſpieus	40.	735.
Agameſtor	26.	775.
Aeſchylus	... facile 27.	801.
Alcmaeon	10.	828.
	309.	

Archontes decennales

I.	Charops	coepit anno	838.
II.	Aeſimedes		848.
III.	Clidicus		858.
IV.	Hippomenes		868.
V.	Leocrates		878.
VI.	Apſander		888.
VII.	Eryxias		898.
Creon primus annuus			908.1.Ol.XXIV.

Exinde vero perſpicue apparet quod in *Excerptis* iſtis Athenienſium Regibus 501. annorum ſumma tribuitur, quum in Oxonienſi Marmore 492 atque in Euſebio anni 487. Regibus illis adſcribantur. A Cecrope ad Olympiades inſtitutas Excerpta

pta ipſa 814. annos, at Oxonienſe Marmor 806., Euſebius 780. annos enumerat.

Denique, quum Excerptorum Auctor aſſerat a Cecropis initio ad Creontem annuorum Archontum primum annos 907. interceſſiſſe, haec ſumma, ſi numeri ſingulis attributi ſinceri forent, aliter conſtare non poſſet, quam ſi Aeſchylo 27. anni tribuantur, ut Olympiadum initium in 14. ipſius annum inciderit. Ita nimirum a Creontis initio ad Olympiadas 814. pro Auctoris huius hypotheſi interceſſiſſent, atque a Cecrope ad Creontem uſque 907. anni fluxiſſent. Hinc apparet Atticam Aeram in Excerptis paullo antiquiorem ſupponi; quum a Cecropis initio ad Creontem anni 907. numerentur, quos Oxonienſis Marmoris Auctor 898. Euſebius vero 873. numerandos eſſe putaverat. In eo tamen Excerptorum Auctor ad Euſebii, Marmoriſque calculum accedit quod ipſe (1) *a Solis*, hoc eſt Ilii, *devaſtatione uſque ad primam Olympiadam annos* 407. enumeret; quemadmodum Euſebius (2) ex Porphyrio dixerat: Τὰ δὲ πάντα ἀπὸ τῆς ἁλώσεως Ἰλίȣ ἐπὶ τὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα ἔτη ἑπτὰ καὶ υʹ *a Troiae excidio ad primam Olympiadem anni omnino quadringenti ſeptem:* quo plane fieret ex Auctoris illius hypotheſi ab initio Cecropis ad Ilii excidium 407. annos numerandos eſſe, quum Euſebius tamen nonniſi 375. admiſerit. Itaque 32. annorum diſcrimen hic haberetur; quumque univerſa temporum ſumma ab initio Cecropis ad Creontem uſque in Excerptis expreſſa 34. ſummam ipſam in Euſebio expreſsam ſuperet, perſpicue apparet Excerptorum Auctorem 32. annos ante Ilii excidium, unicum exinde annum ad Olympia-

(1) Pa. 61. (2) Pag. 216.

piadas, tandemque annum alium ab Olympiade I. ad Creontem Scriptoribus aliis diſſimulatos numeraſse.

Eiuſmodi vero disſidium exinde facile manaſse potuit, quod aut Regum, aut Archontum quorumdam aetas incerta foret; iiſque non unus idemque, ſed inaequalis annorum, numerus a variis Scriptoribus tribueretur, ut in ſuperiori ſerie conſpicitur. Illud tamen veluti exploratum, atque a Scriptoribus omnibus una veluti voce receptum, quod ab Ilii clade, Troiaeque excidio ad primam Olympiadem 407. anni interceſſere, quod ex Diodoro quoque opportunius eſt obſervatum. Quicumque nimirum antiquisſimam illam Epocham ſubtilius explorarunt, ab Ilii excidio ad annum 1. Olymp. VII. exeuntem 433. annos enumerant. Ita Solinus (1) ait *incipiente Olympiade VII. Romam conditam anno poſt Ilium captum quadringenteſimo triceſimo tertio*; quemadmodum Dionyſius ipſe a Troia capta ad Vrbis originem 432. annos enumerat; quamvis ex ipſius hypotheſi 433. numerandi forent. Sed haec, aliaque id genus fuſius exponere nec iuvat, nec decet. Etenim illud unum poſtremo hoc loco oſtendendum fuerat qua ſerie, vel ordine Athenis *Reges*, & *perpetui Archontes* imperaverint; antequam *tertio* Aeſchyli Archontis anno *prima* Olympias inciperet, ex qua veluti cardine Faſtorum Atticorum ſeries nunc contexenda deduci debet.

OLYM-

(1) Cap. 2 (2) Libr. I. c. 71.

OLYMPIAS I.

An. 1. Periodi Iulianae 3938. ante Vrbem Conditam 23.
AESCHYLVS Athenis Archon perpetuus anno 3.

Etenim Aeſchylus iam *ſecundum* perpetui ſui Principatus, vel Magiſtratus annum exegerat, quum *tertio* iam labente circa ſolſtitium aeſtivum ab Elidenſibus Olympias illa celebrata fuit, a qua tempora numerari coeperunt; ut illa proinde ab Hiſtoricis Olympias omnium *prima* vocari conſueverit. Perſpicue diſerteque id teſtatur Euſebius (1): Α'ισχύλυ τῷ δευτέρῳ ἔτει πληρυμένῳ, τῷ τρίτῳ αὐτῦ ἔτει, ὃς ἦν εἰκοςὸς ἔνατος βασιλεὺς Α'θηναίων, ἀπὸ τῦ πρώτυ αὐτῶν Κέκροπος τῦ Διφύεος, δωδέκατος δὲ τῶν διὰ βίυ Α'ρχόντων, ἡ πρώτη Ο'λυμπιὰς ἤχθη, ἣν ἐνίκησε Κόρυβος Η'λεῖος *completo iam ſecundo, labenteque tertio anno Aeſchyli, qui nonus ac viceſimus a primo Cecrope Diphye vocato Athenienſium rex erat, perpetuorum vero Archontum duodecimus, prima Olympias celebrata fuit, in qua Corybus Elienſis victor fuit*. Itaque facile vitiatus alter Euſebii locus (2) hinc corrigi debet ubi depravate nunc legitur: Α'ισχυλος Α'γαμνήςορος ἦρξεν ἔτη κγ'. ἐφ' ὗ ἔτει ιβ' πρώτη Ο'λυμπιὰς ἤχθη, ἣν ἐνίκα Κόρυβος Η'λεῖος ςάδιον *Aeſchylus Agamneſtoris filius imperavit annis* 23. *ſub quo anno* ipſius 12 *prima Olympias acta fuit, qua Corybus Elienſis ſtadio vicit*. Reſcribendum ἔτει β' *anno* 2; quum praeſertim Euſebius ipſe Alcmaeonis initium, adeoque Aeſchyli finem, in anno 3. Olymp. VI. collocaverit.

Coroebus Eleus *ſtadio* in Olympicis Ludis illis palmam obtinuit: quod ſolo nimirum curſu tunc certaretur. Pauſanias (3): Ε'ξ ὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς μνήμαις ἐπὶ ταῖς Ο'λυμπιάσιν ἐςὶ, δρόμυ μὲν ἆθλα ἐτέθη πρῶτον, καὶ Η'λεῖος Κόροιβος ἐνίκα *ex eo enim tempore, quo continuata eſt Olympiadum memoria, curſus primum propoſita ſunt praemia, quae Coroebus Eleus obtinuit*; alibique diſertius (4): Η'νίκα δὲ τὸν ἀγῶνα τὸν Ο'λυμπικὸν, ἐκλείποντα ἐπὶ χρόνον πολὺν, ἀνεσώσατο Ι'φιτος, καὶ αὖθις ἐξ ἀρχῆς Ο'λύμπια ἤγαγον. τότε δρόμυ σφίσιν ἆθλα ἐτέθη μόνον, καὶ ὁ Κό-

(1) Chr. Lib. I. pag. 36. & II. pag. 136. (2) Chr. (3) Eliac. I. c. 8. (4) Arcad. c. 26.

ὁ Κόροιβος ἐνίκησε *quum Olympicos Ludos olim intermiſſos Iphitus reſtituiſſet, & curſus dumtaxat certamina propoſuiſſet*, primis Ludis *Coroebus vicit*. Coroebus ipſe, veluti Olympiadis primae victor, ab Africano, Euſebio, & Strabone (1) memoratur; quin etiam ipſius victoris nomine, veluti charactere Olympias illa *prima* vocari, atque ab antiquiori *prima* diſtingui ſolet: quod nimirum Olympias illa, quae Coroebum victorem habuit, omnium *prima* numerari, non omnium *prima* celebrari, coeperit. Etenim Euſebius (2) ex Ariſtodemo Elienſi, Polybioque memorat quod ἀπὸ εἰκοστῆς καὶ ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος ἤρξαντο οἱ ἀθληταὶ ἀναγράφεσθαι, οἱ δηλαδὴ νικηφόροι. Πρὸ τοῦ γὰρ οὐδεὶς ἀνεγράφη ἀμελεσάντων τῶν προτέρων. Τῇ δὲ εἰκοστῇ ὀγδόῃ τὸ στάδιον νικῶν Κόροιβος Ἠλεῖος ἀνεγράφη πρῶτος, καὶ ἡ Ὀλυμπιὰς αὐτὴ πρώτη ἐτάχθη, ἀφ᾽ ἧς Ἕλληνες ἀριθμοῦσι τοὺς χρόνους *a ſeptima, ac viceſima Olympiade Athletae, ſcilicet ii, qui victoriam retulerant, deſcribi coeperunt. Etenim prius nemo inſcriptus fuerat, quum veteres id neglexiſſent. Coroebus autem Eleus octava ac viceſima Olympiade ſtadio vincens* omnium *primus deſcriptus fuit, & Olympias illa* omnium *prima conſtituta fuit, a qua Graeci tempora numerant.* Hinc Strabo loco ſuperius laudato de *Eleis* agens ait: Μέχρι τῆς ἕκτης καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος ἀπὸ τῆς πρώτης, ἐν ᾗ Κόροιβος ἐνίκα στάδιον Ἠλεῖοι τὴν προστασίαν εἶχον τοῦ ἱεροῦ, *uſque ad ſextam ac viceſimam Olympiadem a prima, in qua Coroebus Eleus ſtadio vicit Elei templo praefuerunt.*

Euſebius (3) huius Olympiadis I. anno 1. floruiſſe dicit Arctinum Mileſium, Ἀρκτῖνος Μιλήσιος ἐπὶ πολὺ ἤκμαζεν; quamvis Hieronymus, qui ad annum 2 huius Olymp. I. dixerat Arctinum floruiſſe, ad Olymp. III. annum 2. adnotaverit: *Eumelus Poëta, qui Bugoniam, & Europam, & Arctinus, qui Aethiopidam compoſuit, & Ilii Perſin, agnoſcuntur.* Tzetzes tamen Arctinum ipſum Homeri diſcipulum fuiſſe dicit (4).

Ἀρκτῖνος ὁ Μιλήσιος ἦν μαθητὴς Ὁμήρου

Arctinus Mileſius diſcipulus erat Homeri

Sic etiam Suidas ait: Ἀρκτῖνος Μιλήσιος ἐποποιὸς μαθητὴς Ὁμήρου, γεγονὼς κατὰ τὴν θ᾽ Ὀλυμπιάδα μετὰ τετρακόσια ἔτη τῶν Τρωϊκῶν *Arctinus Mileſius Poëta Homeri diſcipulus, vixit Olympiade*

(1) Lib. VIII. (2) Chr. Lib. I. pag. 216. (3) Chr. Lib. II. pag. 136. (4) Chili. XIII. ver. 642.

de nona, quadringentis annis poſt bellum Troianum. Itaque Arctinus ille ab Allatio, Voſſio, Salmaſio Poëtarum omnium antiquiſſimus habetur; quum praeſertim Dionyſius Halicarnaſſeus [1] de Palladio loquens dixerit Παλαιώτατος δὲ ὧν ἡμεῖς ἴσμεν ποιητὴς Ἀρκτῖνος *antiquiſſimus omnium, quos nos novimus, poëta Arctinus*: quibus Dionyſii verbis abrepti nonnulli putarunt Arctinum hunc Homeri tempora praeceſſiſſe. At Fabricius [2] optime obſervavit illud unum ex ſuperioribus Dionyſii verbis inferri quod Arctinus ille omnium primus *Palladii* mentionem iniecerit, longeque veriſimilius exiſtimat Arctinum inter Homeri diſcipulos habendum eſſe. Ego vero Suidae, ſive potius Artemonis Clazomenii, quem Suidas exſcripſit, verba ſic explicari poſſe putaverim, ut Arctinus Homeri *imitator*, non *auditor*, fuerit; adeoque illo longe aetate inferior ad Olympiadas iam numeratas referri debeat. Ac certe quidem Homerus ea aetate, qua Olympiades numerari coeperunt, iam e vivis exceſſerat; & quamvis etiam Olympiadum initio vixiſſe cum aliis exiſtimetur, Arctinus tamen illi ſuppar eſſe non potuit; ubi praeſertim cum Leſche Lesbio certaſſe concedatur, quod a Clemente aſſeritur, adeoque ad Olymp. XXX. referri debeat, ut accuratius ibi exponetur. Cyrillus [3] tamen Euſebium, opinor, ſequutus ait: *Prima Olympiade fuiſſe dicitur Arctinus Mileſius, Romuluſque, & Remus naſcuntur*.

Ceterum *Aethiopis* illa, quae ab Arctino ſcripta dicitur, auxilium a Memnone Aethiopum Rege Troianis praeſtitum complectebatur; adeoque in Iliaca Tabula apud Fabrettum Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον *Aethiopis iuxta Arctinum Mileſium* memoratur. At *Ilii Perſis*, hoc eſt Ἰλίου Πέρσις *Ilii excidium* narrabat, quod a Steſichoro quoque, Leſche, & Acate Argivo deſcriptum fuerat, ut ex Athenaeo [4] erudimur, qui ἐκ τῆς Ἀκάτου Ἀργείου Ἰλιοπέρσιδος *ex Acati Argivi Ilioperſide* Heroas Troiano equo incluſos memoravit. Quo quidem loco Σακάδου reſcribendum eſſe coniecit Meurſius, quod *Sacadas* Argivus veteribus Poëtis accenſeatur, ut ad Olymp. XLVIII. ann. 3. obſervabitur. Nihil ego tamen in Athenaei textu mutaverim; ſed ſolum ita vo-

(1) Antiq. Roman. Lib. I. pag. 55. (2) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 9. (3) Contra Iulian. Lib. I. (4) Lib. XIII.

ces diſtinxerim ἐκ τῆς Ἀκᾶ τῶ Ἀργείω. Etenim *Acas* quidam Poëta Tragicus a Suida memoratur, qui facile *Argivus* fuerit. Ac certe quidem Sacadas ille, qui ſaepius auloedia Pythiis vicit, non Poëta, ſed Cantor potius, fuiſſe dicitur, adeoque *Ilioperſida* edidiſſe non videtur.

OLYMPIAS II.

Anno 1. Per. Iul. 3942. ante Vrb. Cond. 19.
Aeſchylus Athenis Archon perpetuus anno 7.

Antimachus Elienſis *ſtadio* Olympiorum victor in Africani ſerie apud Euſebium reperitur. Philoſtratus [1] autem ait quod etiam Plutarchus quidam ἠγωνίζετο ἐν Ὀλυμπίᾳ πρὸς Ἑρμείαν τὸν Αἰγύπτιον τὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα ἐπὶ τὸς ἄνδρας τὴν πύγμην *contra Hermiam Aegyptium virorum pugilatu Olympiade ſecunda certavit*. Loydius tamen, ac Dodvellus id perperam a Philoſtrato memoratum aſſerunt; quum Olympiade II. ſolo *curſu* certaretur, ut ad Olymp. IV. Pauſaniae teſtimonio demonſtrabitur; ac *pugilatus* Olympiade ſolum XXIII. receptus fuerit. At fieri fortaſſe potuit, ut in Philoſtrati loco numeralibus antea notis expreſſo prior ex illis exciderit; aut certe *Olympiadis ſecundae* nomine ea ſolum a Philoſtrato intelligatur, in qua Plutarchus ipſe *ſecundo* certaverit; ut quum prius inter pueros palmam retuliſſet, τὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα ἐπὶ τὸς ἄνδρας *ſecunda Olympiade inter viros* vicerit.

Ann. 2. Aeſchylus Athenis Archon perpetuus anno 8.

Romulus, eiuſque frater Remus Martis, atque Iliae filii in lucem editi ſunt. Id ex Tarutii calculo, atque ſententia teſtatur Plutarchus [2]: Ἀπεφήνατο ὁ Ταρούτιος τὴν μὲν τῇ μητρὶ τῶ Ῥωμύλω γεγονέναι σύλληψιν ἔτει πρώτῳ τῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐν μηνὶ κατ᾽ Αἰγυπτίȣς Χοιὰκ τρίτῃ καὶ εἰκάδι *pronunciavit Tarutius Romulum conceptum a matre anno ſecundae Olympiadis primo, menſis, quem vocant Aegyptii Choeac, tertio & viceſimo die*. Itaque, ſi fratres illi *primo* huius Olympiadis anno concepti fuerant, ipſorum nativitas in *ſecundum* inci-

(1) In Heroic. c. 2. §. 6. (2) In Romulo.

inciderit. At Dionyſius Halicarnaſſeus [1], qui eiusdem Tarutii Firmani veſtigiis inſiſtit, uno ſerius anno conceptum illum deſignat. Etenim conceptus mortiſque tempora caeleſtibus characteribus exprimens ait: ἔν τε γὰρ τῷ βιασμῷ τῆς μητρὸς ἀυτᾶ εἴθ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρώπων τινὸς, εἴθ᾽ ὑπὸ θεᾶ, γινομένῳ τὸν ἥλιον ἐκλειπεῖν φασὶν ὅλον, καὶ σκότος παντελῶς ὥσπερ ἐν νυκτὶ τὴν γῆν κατασχεῖν ἔντε τελευτῇ ἀυτᾶ ταυτὸ συμβῆναι λέγασι πάθος *nam & quum matri eius inferretur vis, incertum ab homine, an Deo, deliquium ſolis factum, terriſque interdiu tenebras nocturnis ſimiles incubuiſſe aiunt: quod etiam necis ipſius tempore accidit*. Si conſtans illa utriuſque eclipſis memoria ac opinio, quae apud Romanos pervulgata fuerat, accurata cenſenda ſit, Romuli mors in annum P. I. 3999. & 1. Olymp. XVI. referri debebit, quum eo anno 26. Maii die ſolaris eclipſis contigerit; quumque Romulus ipſe πεντηκοϛὸν καὶ πέμπτον ἄγων ἔτος *anno aetatis quinquageſimo quinto* e vivis exceſſerit, ipſius conceptus in diem 5. Maii an. P. I. 3944. & 2. Olymp. II. revocandus erit, quo certe eclipſis alia contigiſſe debuit; ut proinde ipſius nativitas non 2. ſed 3. Olymp. eiusdem anno adſcribi debeat, qui fuit P. I. 3945. Quandoquidem tamen Tarutii calculus, atque ſententia nullo Veterum teſtimonio confirmatur, nativitatis annus adhuc incertus ſupererit; quum praeſertim Dionyſius ipſe ex monimentis aliis Romuli mortem in anno 2. Olymp. XVI. collocaverit. Hic obiter obſervandum quod Meurſius [2] Aegyptium *Choiac* Romano *Decembri* reſpondiſſe credidit, quemadmodum Scaliger [3] Aegyptios menſes a Tarutio nominatos *Actiacos* eſſe putavit. At Tarutii, hoc eſt Varronis & Ciceronis, aetate *Actiaci* menſes fixuſque Aegyptiorum annus nondum invectus fuerat; adeoque, ſi Tarutius in retrogrado Aegyptiorum anno calculum inſtituit, eamque Romani anni formam adhibuit, quae tunc temporis recepta fuerat, Romuli nativitas non 4. Nonas Februarii, ut alibi [4] Scaliger ipſe putavit, ſed ut Romani Martii die contigiſſet; cum eo anno P. I. 3944. neomenia Thoth in 4. Martii diem inciderit. Quo certe loco Petavii [5] quoque inconſtantia notari facile poterit, qui cum anno P. I. 3960. quo Roma con-

(1) Antiqu. Lib. II. (2) De Arch. Ath. Lib. I. c. 2. (3) In Notis ad Manil. Lib. IV. (4) Can. Iſag. Lib. III. pag. 337. (5) Lib. IX. c. 54.

condita fuit 9. Pharmuti diem Vrbi natalem in 4. Octobris incidiſſe dixerit, adeoque initium Thoth in 1. Martii diem optime collocaverit; anno tamen P. I. 3944. quo Romulus natus fuit, 23. Choeac Aegyptii in 26. Maii, adeoque 1. Thoth in 2. Februarii collocavit: perinde quaſi ſexdecim annorum ſpatio Aegyptii anni cardo ex uno in menſem alium Romanum transferri potuerit. Sed haec accuratius ex Prolegomenis intelligentur.

OLYMPIAS III.

Ann 1. Per. Iul. 3946. ante Vrb. Cond. 15.
Aeſchylus Athenis Archon perpetuus anno 11.

Androclus Meſſenius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano

Abaris Seuthi filius Apollinis Sacerdos hac Olympiade ex Hyperboreis Legatus in Graeciam veniſſe dicitur; quamvis hac in re ſcriptores mire diſſideant. Hinc Harpocration [1]: Α῎βαριν ἐξ Ὑπερβορέων πρεσβευτὴν ἀφικέσθαι λέγουσιν. Ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ παραγέγονε, διαφωνεῖται. Ἱππόστρατος μὲν γὰρ κατὰ τὴν τρίτην αὐτὸν Ὀλυμπιάδα λεγει παραγίνεσθαι: ὁ δὲ Πίνδαρος κατὰ Κροῖσον τῶν Λυδῶν βασιλέα. ἄλλοι δὲ κατὰ τὴν εἰκοστὴν καὶ πρώτην Ὀλυμπιάδα *Abarim ex Hyperboreis legatum veniſſe dicunt. Tempus autem, in quo is advenit, vario modo traditur. Etenim Hippoſtratus quidem ipſum tertia Olympiade veniſſe dicit. Pindarus autem Croeſi Lydorum regis aetate. Alii vero viceſima prima Olympiade.* Quin etiam Hieronymus Olymp. LXXXII. anno 4. id contigiſſe teſtatur. Inter varias, planeque diſſidentes eiuſmodi Scriptorum ſententias, Pindarum libentius hic ſequar; non modo, quod ille teſtis ceteris omnibus antiquior haberi debeat, verum etiam quod Proclus [2], Porphyrius, & Iamblichus Abarim Pythagorae coaevum fuiſſe teſtentur; quemadmodum Euſebius ipſe ad Olymp. LIV. an. 2. diſerte ſcribit: Α῎βαρις ἦλθεν ἐκ τῆς Σκυθίας εἰς Ἑλλάδα *Abaris ex Scythia in Graeciam advenit:* quod Croeſi, Pythagoraeque temporibus mire conveniet.

Aba-

(1) In Α῎βαρις. (2) In Tim. Lib. III.

Abaris autem huius ſcripta veteribus celebrata fuſe, accurateque recenſet Fabricius [1].

Ann. 2. Eumelus Amphilyti filius Corinthius hoc anno floruiſſe dicitur ab Hieronymo, quamvis hunc iterum ad Olymp. IX. an. 4. memoraverit. Ac certe Clemens [2] Eumelum ipſum ad Olympiadem XI. perveniſſe demonſtrat: Ε'υμηλος ὁ Κορίνθιος πρεσβύτερος ὢν ἐπιβεβληκέναι Α'ρχίᾳ τῷ Συρακέσας κτίσαντι *Eumelus Corinthius, quum antiquior eſſet, pervenit uſque ad tempora Archiae, qui Syracuſas condidit.* Itaque, quum Syracuſas colonia a Corinthiis Olymp. XI. deducta fuerit, Eumelus ea quoque aetate ſuperſtes erat. Ipſum tamen ante inſtitutas Olympiadas Poëticae artis gloria floruiſſe Pauſanias [3] oſtendit, qui ab Eumelo Προσώδιον ἐις Δῆλον *Cantum in Delum* Phintae Meſſeniorum Regis aetate ſcriptum fuiſſe memorat; quum deinde una poſt aetate Antiocho, & Androcle Phintae filiis iam regno potitis Meſſeniacum bellum exarſerit, quod ineunte Olymp. IX. contigiſſe erudimur. Itaque inſignem in Pauſaniae hiſtoria aut errorem, aut inconſtantiam deprehendiſſe videor ubi eximii operis Arcam fuſe accurateque deſcribit [4], quae in Elidenſi Templo a Cypſelidis dicata fuit quod in illa Cypſelus familiae princeps recens natus, atque a Bacchiadis ad necem conquiſitus a matre poſitus ſervatuſque foret. Quum enim ſingulas Arcae facies, fabulaſque iis inſculptas elegantiſſime deſcripſiſſet; ſubdit [5] inſcriptiones, quae in illa conſpiciuntur, ab Eumelo Corinthio factas eſſe: τῆς δὲ ὑπονοίας τὸ πολὺ ἐς Ε'ύμηλον τὸν Κορίνθιον ἐιχε ἥμιν ἄλλωνθ' ἕινεκα, καὶ τῦ Προσῳδιυ μάλιςα, ὃ ἐποίησεν ἐς Δῆλον *Hanc ego cum ex aliis eius Operibus, tum vero maxime ex eo Carmine, quod in Delum fecit, coniecturam ſumo.* Cypſeli mors ad annum 1 Olymp. XXXVIII., tyrannidis initium ad annum 2. Ol. XXXI. referri debet. Ergo, ſi Eumelus Cypſelidarum aetate epigraphas illas ediderat, ipſius mors ad Olymp. XL. differenda foret, quod a perſpicuis Hiſtoricorum, eiusdemque Pauſaniae teſtimoniis abhorret. Ceterum Eumelus ille *Bugoniam* de Apibus nimirum, ſcripſiſſe dicitur; itidemque *Europen*, ut

(1) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 10. (2) Strom. Lib. I. (3) Meſſen. c. 33. (4) Eliac. I. c. 17. (5) Cap. 19.

ut a Pauſania, ſive *Europiam*, ut a Clemente vocatur. Quin etiam *Corinthiacam Hiſtoriam* illi tributam eſſe teſtatur Pauſanias [1], atque ex illa verſus 8. a Pindari Scholiaſte [2], & Tzetze [3] proferuntur. Pauſanias tamen Eumelo nonniſi *Proſodion* certo adſcribi poſſe putavit. De Eumelo plura Scaliger ad Euſebianum annum 1250. Voſſius De Hiſtor. Graec. IV. c. 1. & de Poëtis c. 3.

OLYMPIAS IV.

Ann. 1. Per. Iul. 3950. ante Vrb. Cond. 11.
Aeſchylus Athenis Archon perpetuus ann. 15.

Polychares Meſſenius *ſtadio* vicit, Olympia, ut in Africani ſerie recenſetur. Ita Pauſanias [4]: *τετάρτην ὀλυμπιάδα ἦγον Ἠλεῖοι καὶ ἀγώνισμα ἦν ςαδίου μόνον, ὅτε ὁ Πολυχάρης Μεσσήνιος ἐνίκησε quartam Olympiadem, celebrarunt Elei, et unicum erat de ſtadio certamen, quum Polychares Meſſenius vicit*, eiusdemque victoris mentio iterum inferius ad Olymp. V. an. 1. proferetur.

An. 3. Euſebius hoc anno primam trierem Athenis conſtructam fuiſſe ſcribit Ἀθήνησι πρώτη ἐναυπηγήθη τριήρης ὑπὸ Μενοκλέους, hoc eſt, ut accurate reddit Scaliger, *prima trieris Athenis ab Aminocle conſtructa fuit*. Menocles autem ille, ſive potius Aminocles Corinthius fuit, neque Athenienſibus ſolum, ſed etiam Samiis, naves conſtruxerat. Thucydides [5]: *πρῶτοι δὲ Κορίνθιοι λέγονται ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου μεταχειρίσαι τὰ περὶ τὰς ναῦς, καὶ τριήρεις ἐν Κορίνθῳ πρῶτον τῆς Ἕλλαδος ναυπηγηθῆναι. φαίνεται δὲ καὶ Σαμίοις Ἀμεινοκλῆς Κορίνθιος ναυπηγὸς ναῦς ποιήσας τέσσαρας. Corinthii primi feruntur excogitaſſe naves, quae ad eam, quae nunc in uſu eſt, formam proxime accederent. Et Corinthi primum ex omni Graecia triremes aedificatae ſunt. Conſtat autem Aminoclem Corinthium naupegum Samiis etiam quatuor naves compegiſſe*. Quamvis autem Thucydides ab eiuſmodi navium ſtructura, quae a Plinio [6] quoque memorata fuit, ad ſua uſque tempora, hoc eſt Olymp. XC., *trecentos* an.

(1) Corinth. c. 1. (2) Ad Olymp. XIII. (3) In Lycophr. (4) Meſſen. c. 4.
(5) Libr. I. (6) Libr. VI. c. 57.

annos numeraverit, adeoque Aminocles circa XVI. Olympiadem naves ſtruxiſſe videatur, facile tamen Thucydides rotundum numerum expreſſit; adeoque Aminocles Olymp. XVI. antiquior cenſeri, atque Thucydides cum Euſebio componi poterit. Longe tamen prius trieres Corinthi exſtructas fuiſſe Euſebius ipſe teſtatur, qui decem annis ante Olympiades inſtitutas Corintho triremem navigaſſe iam dixerat; ſicuti Diodorus (1) etiam ait: *ἐν Κορίνθῳ ναυπηγηθῆναι τριήρη πρῶτον; primam Corinthi triremem exſtructam fuiſſe*; ſubditque (2) *πεντήρη quinquerem*, a Dionyſio primum conſtructam fuiſſe: quod tamen Neſichthoni Salaminio Plinius adſcribit; quod nimirum, ut opinor, Neſichthon ille una cum Graecis aliis artificibus, quos a Dionyſio ſtruendis navibus accitos eſſe Diodorus teſtatur, penterem hanc in Sicilia primus inſtruxerit.

OLYMPIAS V.

An. 1. Per. Iul. 3954. ante Vrb. Cond. 7.
Aeſchylus Athenis Archon perpetuus anno 19.

Aeſchines Elienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano; quamvis Meurſius (3) victorem hunc a Pauſania quoque memorari putaverit. Siquidem Aeſchines alter et ipſe Elienſis, qui a Pauſania (4) memoratur, a ſuperiori diſtingui debet, quippe quum iſte non *ſtadio*, ſed *pentathlo* ſemel iterumque vicerit, quod certaminis genus Olympiade ſolum XVIII. receptum fuit.

Huius Olympiadis anno 1. Ephoros Lacedaemone inſtitutos eſſe dicit Euſebius (5) *Ἐν Λακεδαίμονι πρῶτος Ἔφορος κατεστάθη Lacedaemone primus Ephorus conſtitutus eſt*; quamvis etiam in Olymp. VII. anno 1 eadem prorſus verba, adeoque primam Ephororum inſtitutionem, collocaverit. Sed varietas illa facile diſſimulari, componique poterit, quod nimirum Euſebius duplex Ephororum initium pro duplici variaque Scriptorum ſententia indicaverit. Id vero gravius quod Hieronymus Ephoros ipſos 350. annos viguiſſe dixerit, quum aliun-

(1) Libr. XIV. c. 43. (2) Loco cit. c. 42. (3) De Arch. Ath. Lib. I. c. 2. (4) Eliac. II. c. 14. (5) Chron. Lib. II. pag. 137.

aliunde tamen perſpicuum ſit Ephori dignitatem nonniſi ab Agide, & Cleomene Spartae Regibus circa Olymp. CXL. ſublatam fuiſſe. Itaque, ut nodum hunc dirimat, Scaliger (1) obſervavit quod Ephori dignitas Olymp LVI. inſtituta, atque Chiloni omnium primo collata fuit; ut illa proinde 350. annis floruiſſe merito videatur; ideoque *non Eclatus fuerit primus Ephorus, ſed Chilon*, *quod*, inquit, ille, *veriſſimum eſt*. Quandoquidem vero Euſebius ad Olymp. LV. an. 3. ait Χείλων ὁ τῶν ἑπτὰ σοφῶν Ἔφορος ἐν Λακεδαιμονίᾳ ἐγένετο, *Chilon ſeptem Sapientum unus Ephorus Lacedaemone fuit*, Scaliger (2) ibi obſervavit id de *Ephoro primo intelligendum*, *qui* ἐπώνυμος *dicebatur*, *cuiuſmodi primus omnium Eclatus creatus fuit*. Itaque ambiguus Euſebii locus, praeſertim vero fluxa Laërtii auctoritas Scaligero fraudi fuit, ut Ephororum dignitatem Olymp LV. inſtitutam putaret. Laërtius (3) quidem, ut ingenue fatear, perſpicue id aſſeruit: Γέγονε δὲ Ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα. Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην, καὶ πρῶτον Ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου, ὥς φησι Σωσικράτης, καὶ πρῶτος ἐσηγ'σατο Ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι *fuit autem Ephorus circa quinquageſimam & quintam Olympiadem. Porro Pamphila circa ſextam ait, primumque Ephorum fuiſſe ſub Euthydemo auctore Soſicrate, primumque inſtituiſſe ut Ephori regibus adiungerentur*. Itaque hunc Laërtii locum ita Caſaubonus, ac Meurſius emendarunt κατὰ τὴν πεντηκοστὴν πέμπτην *quinquageſima quinta*; Scaliger vero in ſequenti verſu legit κατὰ τὴν πέμπτην Olympiade *quinta*; Palmerius ibi reſcribit κατὰ τὴν ἑξῆς Olympiade *ſequenti*, ut Olympias LVII. exprimatur. Atque optime id quidem ſi Laërtii verba indicarent Chilonem ſemel iterumque Ephori munus geſſiſſe, eoque honore *primum* Euthydemo Athenis Archonte, hoc eſt anno 1 Olym. LVI. perfunctum eſſe. Verum, quum Laërtius Pamphilae ſententiam ſuperiori ſententiae veluti diverſam opponat; perſpicue apparet in prima periodo Olympiadem LVI memorati non poſſe, adeoque Pamphilae ſolum ſententiam fuiſſe, Chilonem Olymp. LVI. anno I. *primum* hoc eſt *Eponymum* Ephorum electum eſſe. Quod vero Laërtius ipſe mox ſubdit tunc primum Ephoros a Chilone inſtitutos eſſe, tantum abeſt ut *veriſſimum* cum Scaligero cenſeri debeat, ut perſpicuis po-

(1) Ad Chr. Euſ. num. 1257. (2) Ibid. ad num. 1459. (3) Lib. I. ſegm. 68.

potius, certiſque Veterum teſtimoniis refelli poſſit. Certe Plutarchus [1] Ephoros a Theopompo rege inſtitutos eſſe teſtatur: *πρῶτος ἐν Σπάρτῃ τοῖς βασιλεῦσι κατάμιξε τὺς Ἐφόρυς primus Spartae Ephoros regibus adiunxit*, Theopompus autem ille Nicandro patri in Spartae regno ſucceſſit anno 3. Olymp. II. quum 34. Nicandri anno Olympiades inſtitutae forent, ut Clemens [2] teſtatur, iiſque Nicander ipſe *quinquennio* ſuperſtes fuerit. Ita Pauſanias Theopompi aetate Ephoros iam inſtitutos eſſe demonſtrat ubi Polycharem Meſſenium, qui iampridem Olympiade IV. ſtadio vicerat, a Lacone quodam iniuria affectum ad Ephoros confugiſſe dicit; quumque infecta re Meſſenem rediiſſet, pluresque interea Lacedaemonios trucidaſſet, exinde quoque Meſſeniacum bellum contra Lacedaemonios exarſiſſe dicit, quod ineunte Olymp. IX. erupit. Denique, ne argumentis aliis immorer, Terpandri Muſici aetate Ephororum dignitas inſtituta iam fuerat, qui Terpandrum ipſum multarunt, quod ſeptichordi lyrae nervos alios adieciſſet, ſeveramque Laconum muſicam molliorem effeciſſet. Itaque, quum Terpander in Oxonienſi Chronico ad annum 4. Ol. XXXIII referatur, dubitari certe non poterit, quin ante Chilonis tempora Lacedaemone Ephori inſtituti forent. Itaque Laërtius hic certe fallitur; niſi fortaſſe cui libeat Ephoros poſt Terpandri tempora in deſuetudinem abiiſſe, moxque Chilone auctore iterum reſtitutos eſſe, quod Scriptoribus tamen illis repugnat, qui primum a Cleomene illos in ordinem redactos, atque interemptos eſſe teſtantur. Quod ſi prima Ephororum inſtitutio ad Olymp. V. vel VII., eorumque finis ad Olymp. CXL. referatur, perſpicuum fiet ipſorum dignitatem 550. annis viguiſſe; ut facile proinde in Euſebii textu pro annis TN reſcribi poſſit ΦN; quemadmodum facile Laërtii textus optime riteque ſanari poſſet, ſi in poſtrema ipſius parte legatur *Καὶ γὰρ Θεόπομπος πρῶτος ἐσηγήσατο Ἐφόρυς τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι Etenim Theopompus primus inſtituit Ephoros Regibus ſociari.*

Anno 3. In Oxonienſi Chronico Syracuſas Coloniam ab Archia Evagetae filio Corintho deductam fuiſſe legitur, quum id 21. Aeſchyli Archontis anno contigiſſe dicatur. Euſebius tamen, ac Hieronymus Naxum anno 1. Olympiadis

 XI. Con-

(1) Ad Princip. inerud. (2) Strom. Lib. I.

XI. conditam eſſe dixit, eiuſque Olymp. anno 3. Syracuſas, & Catanam aedificatas fuiſſe Hieronymus adnotavit. Thucydides [1] inter utriuſque natales annum unum interceſſiſſe ſcribit, Catanamque urbem quinto poſt Syracuſas anno aedificatam memorat [2]. Strabo [3] iisdem temporibus utramque inſtitutam ait. Τὰς δὲ Συρακέσας Α᾽ρχίας μὲν ἔκτισεν ἐκ Κορίνθε πλεύσας περὶ τὲς αὐτὲς χρόνες, οἷς ᾠκίσθησαν καὶ ἡ Νάξος, καὶ τὰ Μέγαρα *Ac Syracuſas quidem Archias condidit circa eadem tempora Corintho navibus diſcedens, quibus Naxus, & Megara aedificatae ſunt.* Exinde vero mutilum vitiatumque Stephani locum ſuppleri, ſanarique poſſe putaverim in quo legitur: Συρακῦσαι κτίσμα Α᾽ρχίε Κορινθίε, ἄποικος τῆς ἐν Σικελίᾳ, καὶ Νάξῳ ὁμόχρονος. *Syracuſae urbs ab Archia Corinthio aedificata colonus eius, quae in Sicilia eſt, & Naxo coaevus.* Scaliger [4] pro verbis illis, quae nihili ſunt, reſcribendum ait ἀποίκοις τοῖς ἐν Σικελίᾳ *colonis* illis, *qui in Sicilia ſunt.* At quis aperte non videat prorſus incommode Siciliae, & Naxi incolas ſic memorari, perinde quaſi Naxus ipſa in Sicilia non foret? Nullus hic dubito quin Stephanus Naxum, ſimulque urbem aliam in Sicilia ipſa poſitam memoraverit, adeoque fidenter ſuppleverim κτίσμα Α᾽ρχίε Κορινθίε ἀποίκε, τῆς ἐν Σικελίᾳ Νάξε, καὶ Μεγάρων ὁμόχρονον *urbs ab Archia Corinthio colono aedificata, eius quae in Sicilia eſt, Naxi, & Megarorum coaeva.*

OLYMPIAS VI.

An. 1. Per. Iul. 3958. ante Vrb. Cond. 3.
Aeſchylus Athenis Archon perpetuus anno 23.

Oebatas Dymaeus Oeniae filius *ſtadio* vicit Olympia ex Pauſania [5]. Ab Africano quoque victor vocatur, quamvis ab illo *Oibolas* nominetur. Meurſius [6] hunc perperam *Cumanum* vocavit. Sed Pauſanias Oebatam illum ex Dyme Achaeorum urbe ab Iliſſo fluvio 400. ſtadiis remota fuiſſe dicit, quae in Achaico bello Philippi regis partes ſequuta a Romanis ea de cauſſa direpta fuit: καὶ ἐπὶ τῇ αἰτίᾳ ταύτῃ Ὀλυμπικὸς ἡγεμὼν καὶ ἕτος Ρ᾽ωμαίων ἐπέτρεψε τῇ ϛρατίᾳ διαρπάσαι τὴν Δύμην *atque ea de cauſſa Olympicus & ipſe Romanorum Dux* Dy-

(1) Lib. VI. (2) Lib. V. (3) Lib. VI. (4) Ad Euſeb. an. 1283. (5) Eliac. II. c. 3. & Achaic. c. 17. (6) De Arch. Ath. Lib. I, c. 2.

Dymen militi diripiendam conceſſit. Sylburgius *Ulympicum* hunc Romanorum Ducem ſibi incognitum fatetur Khunius vero ex ſuperſtitibus in Pauſaniae textu literis verum Ducis, aut Imperatoris nomen exſculpere ſe poſſe putavit, legitque Ο ΛΟΥΚΙΟΣ quod nempe *Lucius Quintius Flaminius*, ſeu *Flamininus* Titi Quintii Flaminii Legatus, & frater claſſe Romana Dymas ceperit, ac diripuerit. Characteres autem inquit illi μ, & π, *vel potius* τ *ex margine videntur veniſſe in textum, quibus ſignis forte denotatum erat quaedam exemplaria velle Dymas abeſſe Lariſo per trecenta, alia per quadringenta ſtadia*. Poſtremam hanc doctiſſimi Viri coniecturam, quae levior, ac falſa videtur, nihil moror. Quod vero ad nomen in Pauſaniae textu reſtitutum attinet, minus accurate feliciterque reſtitutum putaverim; cum raro vel Pauſanias ipſe, vel Scriptores alii Romanos Cives ſolo *praenomine* deſignaverint. Itaque pro ΟΥΛΥΜΠΙΚΟΣ leviori mutatione ac diſcrimine olim in Pauſania ſcriptum, adeoque nunc reſcribendum exiſtimo Ο ΦΛΑΜΙΝΙΟΣ *Flaminius*: quum praeſertim Livius ipſe ſolo *Flaminii*, vel *Flaminini* nomine Romanorum ducem appellare conſueverit, qui Philippum regem debellavit. Hac Olympiade Oraculum de victoribus coronandis editum fuit, ut ſequentis Olympiadis initio obſervabitur.

An. 3. Alcmaeon Athenis Archon perpetuus anno 2.

Roma urbs Palilibus a Romulo, eiuſque fratre Remo condita fuit, hoc eſt 21. Aprilis Romani die; ut proinde primus Vrbis conditae annus in Varronis hypotheſi cum 4. huius Olympiadis anno concurrat. De celeberrima hac Aera, variiſque, Scriptorum ſententiis in illius exordio vel cardine definiendo fuse in *Prolegomenis* diſputatum. Illud unum hic addidiſſe iuverit, quod Romulus ubi Romanae Vrbis fundamenta iecit, ex accuratiſſimis Dionyſii (1) calculis *octavum decimum* aetatis annum agebat: Νέος γὰρ δὴ παντάπασιν ἔτυχε τῆς ἡγεμονίας ὀκτωκαιδεκαέτης, ὡς ἅπαντες ὁμολογοῦσιν οἱ τὰς περὶ αὐτοῦ συγγράψαντες ἱστορίας *porro iuvenis omnino principatum obtinuit decimo octavo aetatis anno, ut fatentur omnes, qui de ipſo hiſtorias conſcripſerunt*. Etenim, licet verba illa praeſeferant *octavum decimum* abſolutum

(1) Antiqu. Lib. I.

lutum fuiſſe, de affecto ſolum intelligi debent, ſi Romae origo, non ineunti 1. Olymp. VII. concedatur, ut putavit Dionyſius, ſed in exeuntem potius 3. Olympiadis VI. annum referatur; unde Scaliger (1) Romulo ſeptemdecim perfectos annos, treſque inſuper menſes concedit, quum aeternae Vrbis initia poſuit, quippe qui Romulum 2. Februarii menſis die natum putaverit. Antimachus Teius hac Olympiade floruiſſe dicitur a Plutarcho (2), ubi quum die, qua Roma condita fuit, ſolem defeciſſe memoraſſet, ait ἣν σύνοδον ἐκλειπτικὴν σελήνης πρὸς ἥλιον εἰδέναι καὶ Ἀντίμαχον οἴονται τὸν Τήϊον ἐποποιὸν ἔτει τρίτῳ τῆς ἕκτης Ὀλυμπιάδος συμπεσοῦσαν *quem defectum Antimachum vidiſſe Teium poëtam Lyricum arbitrantur quum incurrerit in tertium ſextae Olympiadis annum.*

Itaque perperam, ut obſervavit Fabricius (3) Antimachus iſte cum Antimacho Colophonio a Dacerio confunditur, qui Platoni coaevus fuit, atque ad Olymp. XCIII. referri debet.

OLYMPIAS VII.

Ann. 1. Per Iul. 3962. Vrb. Cond. 2.
Charops Athenis Archon decennalis I. anno 1.

Romulus Romanorum Rex I. anno 2.

Daicles Meſſenius *Stadio* vicit Olympia ex Africano. Nominat etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis (4): Ἔτους ἐνεστῶτος πρώτου τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Δαϊκλῆς Μεσσήνιος, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χάροπος ἔτος τῆς δεκαετίας πρῶτον *anno primo ſeptimae Olympiadis, qua ſtadio vicit Daicles Meſſenius, Archonte Athenis Charope, decennis eius principatus anno primo*: quumque Dionyſius ipſe Romam hoc ipſo anno conditam eſſe cenſeret, annum hunc Romuli, urbiſque conditae *primum* enumerat: πᾶσα ἀνάγκη τὸν πρῶτον ἄρξαντα τῆς πόλεος Ῥώμυλον ἔτει πρώτῳ τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος παρειληφέναι τὴν βασιλείαν, Ἄρχοντος Ἀθήνησι τῆς δεκαετίας Χάροπος ἔτον πρῶτον *una neceſſe eſt ut primus Romanorum Rex Romulus regnum auſpicatus ſit an-*

(1) Can. Iſagog. Lib. III. pag. 337. (2) In Romulo (3) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 570. (4) Antiqu. Lib. I.

anno primo ſeptimae Olympiadis, primo item Charopis decennalis Archontis Athenienſium. Rationes tamen, & argumenta ſingula, quae a Dionyſio proferuntur, perſpicue oſtendunt primum V. C. annum cum ſuperiori 4. Olymp. VI. concurrere, ut in Prolegomenis obſervavi. Daicles autem ille non modo victor renunciatus, ſed Apollinis etiam oraculo omnium primus coronatus eſt ex Phlegonte: Καὶ ἐςέφετο μὲν ὀδεὶς ἐπὶ πέντε Ὀλυμπιάδας. τῇ δὲ ἕκτῃ ἔδοξεν αὐτοῖς μαντεύσασθαι εἰ ςέμματα περιθῶσι τοῖς νικῶσι, καὶ πέμπȣσι τὸν βασιλέα Ἴφιτον εἰς θεȣ̃ .... Πρῶτος δὲ ἐςεφανώθη Δαϊκλῆς Μεσσήνιος, ὃς τῇ ἑβδόμῃ Ὀλυμπιάδι ςάδιον ἐνίκα *ac nemo quidem quinque* primis *Olympiadibus coronatus eſt. Sexta vero placuit oraculum conſulere num victoribus coronas imponerent, regemque Iphitum ad Dei Templum mittunt ... omnium autem primus coronatus eſt Daicles Meſſenius, qui ſeptima Olympiade ſtadio vicit.*

An. 2. Hieronymus hoc anno Thaletem Mileſium floruiſſe dicit: *Thales Mileſius Phyſicus Philoſophus agnoſcitur;* eodemque anno urbes Aradum, & Cyzicum aedificatas eſſe adnotavit. Utrobique tamen is certe fallitur, & quod Thaletem hunc *Mileſium* vocaverit, & quod ipſum Olym. VII. adſcripſerit. Etenim Thales ille, qui Poëticae artis, ac prudentiae laude floruit, non Mileſius ſed *Elyrius*, hoc eſt ex Elyro Cretae urbe fuit; quamvis alii Gnoſium, alii Gortynium fecerint. Quod vero ad ipſius aetatem attinet, is a Laërtio (1) ἀρχαῖος πάνυ κατὰ Ἡσίοδον, Ὅμηρον, καὶ Λύκȣργον *antiquus valde, Heſiodi, & Homeri, & Lycurgi aetate* vocatur, quemadmodum Strabo (2) teſtatur Lycurgum in Creta Θάλητι μελοποιῷ ἀνδρὶ, καὶ νομοθετικῷ *Thaleti, poëtae, legumque perito viro* converſatum eſſe; unde ab Ariſtotele (3) *Nomotheta*, Lycurgique praeceptor vocatur. Itaque, ſi Lycurgo coaevus ille fuit, centum ſaltem annis Olympiadas praeceſſit. De Thaletis huius hiſtoria, ac Poëmatis conſulendus Fabricius (4).

OLYM-

(1) Lib. I. ſeg. 39. (2) Lib. X. pag. 482. (3) Politic. Lib. II. c. 10. (4) Biblioth. Graec. Tom. I. pag. 236.

OLYMPIAS VIII.

An. 1. Per Iul. 3966. Vrb. Cond. 6.
Charops decennalis Athenis Archon I. anno 5.

Romulus Romae Rex I. anno 6.

Anticles Meſſenius *ſtadio* Olympia vicit ex Africano. Pauſanias vero [1], diſſimulato victoris nomine, Olympiadem hanc ab Elidenſibus repudiatam eſſe teſtatur, quod illa non ab ipſis, ſed a Piſaeis celebrata fuiſſet: Πισαῖοι δὲ ἐφειλκύσαντο αὐθαίρετον συμφοραν ἀπεχθανέμονοί τε Ἠλείοις καὶ σπουδὴν ποιούμενοι τιθέναι τον Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα ἀντὶ Ἠλείων. οἵγε Ὀλυμπιάδι μὲν τῇ ὀγδόῃ τὸν Ἀργεῖον ἐπηγάγοντο Φείδωνα τυράννων τῶν ἐν Ἕλλησι μάλιστα ὑβρίσαντα, καὶ τὸν ἀγῶνα ἔθεσαν ὁμοῦ τῷ Φείδωνι. τετάρτῃ δὲ Ὀλυμπιάδι καὶ τριακοστῇ στρατὸν οἱ Πισαῖοι καὶ βασιλεὺς αὐτῶν Πανταλέων ὁ Ὀμφαλίωνος παρὰ τῶν προσχώρων αθροίσαντες, ἐποίησαν ἀντὶ Ἠλείων τὰ Ὀλύμπια. ταύτας τὰς Ὀλυμπιάδας καὶ ἐπ᾽ αὐταῖς τὴν τετάρτην τε καὶ ἑκατοστὴν, τεθεῖσαν δὲ ὑπὸ Ἀρκάδων, Ἀνολυμπιάδας οἱ Ἠλεῖοι καλοῦντες, οὐ σφᾶς ἐν καταλόγῳ τῶν Ὀλυμπιάδων γράφουσι *ipſi quidem Piſaei vehementer irritatis Eleis, dum ſibi Olympicorum Ludorum condendi auctoritatem cupidius vindicare ſtudent, exitium ſtruxerunt. Olympiade enim octava Elei Phidonem Argivum impotentem tyrannum, & cunctae Graeciae invidia laborantem advocarunt; eiuſque maxime praeſidio ſubniſi, Ludos commiſerunt. Quarta deinde & triceſima Olympiade Piſaei comparatis undique finitimorum copiis, regem ſuum ſequuti Pantaleontem Omphalionis filium, ſubmotis Eleis; Olympicis ipſi Ludis praefuerunt. Has omnes Olympiadas, & praeterea quartam & centeſimam, quam Arcades condidere, Anolympiadas* (ac ſi dicas irritas Olympiadas) *vocantes Elei in Faſtos ſuos non referunt.*

An. 2. Ab hoc Olympiadis huius anno qui P. I. 3967. & V. C. 7. eſſe debet, initium ducit celeberrima *Nabonaſſari Aera*, quae a primo Aegyptii menſis Thot die exordium ſumpſerat, hoc eſt a 26. Februarii Iuliani die, ſi nempe Iuliani anni forma iis etiam temporibus extitiſſe concipiatur.

OLYM-

(1) Eliac. II. c. 22

OLYMPIAS IX.

An. 1. Per. Iul. 3970. Vrb. Cond. 10.
Charops decennalis Archon I. anno 10.

Romulus Rex I. anno 10.

Xenocles Meſſenius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Pauſanias tamen in verbis mox proferendis victorem hunc *Xenodochum* appellavit.

An. 2. Aeſimedes decennalis Archon II. anno 1.

Romulus Rex I. anno 11.

Hoc anno *vicennale* bellum inter Lacedaemonios, atque Meſſenios exarſit Pauſanias (1): Ταύτην Λακεδαιμόνιοι πρώτην ἐπὶ Μεσσηνίους ἔξοδον ἐποιήσαντο ἔτει δευτέρῳ τῆς ἐννάτης Ὀλυμπιάδος, ἣν Ξενοδόκος Μεσσήνιος ἐνίκα στάδιον...... τότε δὲ ὑπὸ τὴν κατάληψιν τῆς Ἀμφείας Αἰσιμήδης Ἀθηναῖος ἦρχεν ὁ Αἰσχύλου πέμπτον ἔτος *Haec prima fuerunt in eo bello ſuſcipiendo adverſus Meſſenios Lacedaemoniorum exordia, altero anno nonae Olympiadis, qua Meſſenius Xenodocus de ſtadio victor renunciatus eſt .... Quo itaque tempore Amphaea capta eſt, Aeſimedes Athenienſis Aeſchyli quintum iam annum ſummae reipublicae praeerat.* Illuſtrem hunc Pauſaniae locum in Faſtis Atticis (2) una cum pluribus aliis expoſui, ſimulque Pauſaniae textum temere a Meurſio, & Dodvello ſollicitatum vindicavi. Oſtendi nimirum Pauſaniam in contexenda Archontum decennalium ſerie, eorumque aetate cum Olympicis annis conferenda *quadriennio* integro a Scriptoribus aliis diſſidere; ut proinde immerito Pauſaniam hac in parte cum ceteris componere Meurſius, atque Dodvellus tentaverit. Itaque Meſſeniaci belli initium non Aeſimedis *quinto*, ut Pauſanias putavit, ſed anno *primo* contigerat. Bellum tamen ipſum hac Olympiade & Olympiadis anno exarſiſſe tum ſuperior Pauſaniae locus, tum locus etiam alter oſtendit, in quo perſpicue is dicit *vi-*

(1) Meſſen. c. 5. (2) Tom. I. pag. 8. II. pag. 84.

tceſimum fere huius belli annum, Ithomeſque excidium in annum 1. Olymp. XIV. incidiſſe; quemadmodum alibi ab excidio illo, primique belli fine ad annum 1. Olymp. XXIII. quo *ſecundum* Meſſeniacum bellum incepit, 39. annos enumerat.

Alyattes Lydorum Rex apud Euſebium regnum iniiſſe dicitur, ipſumque 14. annis tenuiſſe.

OLYMPIAS X.

An. 1. Per. Iul. 3974. Vrb. Cond. 14.
Aeſimedes decennalis Archon II. anno 4.

Romulus Rex I. anno 14.

Dotades Meſſenius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS XI.

An. 1. Per. Iul. 3978. Vrb. Cond. 18.
Aeſimedes decennalis Archon II. anno 8.

Romulus Rex I. anno 18.

Leochares Meſſenius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Eodem anno 1. huius Olympiadis Euſebius Naxum conditam fuiſſe dicit. Eius autem urbis aedificator Theocles origine Athenienſis erat, ut perſpicue docet Marcianus [1], ubi conditae Naxus tempus oſtendit.

. . . . εἶθ' Ἑλληνικὰς
Ἔσχεν πόλεις, ὥς φασιν, ἀπὸ τῶν Τρωϊκῶν
Δεκάτῃ γενεᾷ μετὰ ταῦτα, Θεοκλέους στόλον
Παρὰ Χαλκιδέων λάβοντος. Ἦν δ' οὗτος γένει
Ἐκ τῶν Ἀθηνῶν. καὶ συνῆλθον, ὡς λόγος,
Ἴωνες, εἶτα Δωριεῖς οἰκήτορες.
Στάσεως δ' ἐν αὐτοῖς γενομένης, οἱ Χαλκιδεῖς
Κτίζουσι Νάξον, οἱ Μεγαρεῖς δὲ τὴν Ὕβλαν.

..... *Grae-*

(1) Perieger.

. . . . Graecas
Habuit Vrbes, ut dicunt, poſt Troica
Decima generatione, quum Theocles claſſem
A Chalcidenſibus accepiſſet. Erat autem hic origine
Ex Athenis; & una ſimul venerunt, ut fertur,
Iones, deinde Dorienſes habitatores.
Seditione autem inter ipſos orta, Chalcidenſes
Condunt Naxum, Megarenſes vero Hyblam.

Theoclem hunc Naxi conditorem Thucydides etiam (1) memoravit, annoque ſequenti poſt conditam Naxum Syracuſas ab Archia Corinthio aedificatas eſſe teſtatur; quintoque poſt Syracuſas anno Leontinorum urbem, & Catanam ab Archiae ſociis habitatam ſcribit. Ita Strabo (2) Theoclem adſcita Chalcidenſium, Ionum, ac Dorienſium manu in Siciliam traieciſſe dicit; ibique a Chalcidenſibus Naxum, Megara a Dorienſibus aedificatas eſſe, a quibus etiam Hyblam conditam eſſe Marciano teſte iam vidimus.

An. 4. Clidicus decennalis Archon III. anno 1.

Romulus Rex I. anno 21.

OLYMPIAS XII.

An. I. Per Iul. 3982. Vrb. Cond. 22.
Clidicus decennalis Archon III. anno 2.

Romulus Rex I. anno 22.

Oxythemis Coronaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS XIII.

An. 1. Per Iul 3986. Vrb. Cond. 26.
Clidicus decennalis Archon III. anno 6.

(1) Lib. VI. (2) Lib. VI.

Romulus Rex I. anno 26.

Diocles Corinthius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS XIV.

Per. Iul. 3990. Vrb. Cond. 30.
Clidicus decennalis Archon. III. anno 10.

Romulus Rex I. anno 30.

Daſmon Corinthius *ſtadio* vicit Olympia ex Pauſania [1], ſimulque Africano, a quo tamen ille *Deſmon* vocatur.

Hypenus etiam Piſaeus *diaulo* tunc inſtituto victor fuit. Pauſanias [2]: Ὀλυμπιάδι δὲ ὕϛερον τετάρτῃ κ̀ δεκάτῃ προσετέθη σφίσι δίαυλος. Ὕπηνος δὲ ἀνὴρ Πισαῖος ἀνείλετο ἐπὶ τῷ διαύλῳ τὸν κότινον: *Olymdiade vero quartadecima additus eſt duplicati ſtadii curſus: e quo, accepta ex oleaſtro corona, victor diſceſſit Hypenus Piſaeus.*

Africanus etiam victorem illum enumerat, ſed *Eleum* vocat: Προσετέθη κ̀ δίαυλος, κ̀ ἐνίκα Ὕπηνος Ἠλεῖος *additus eſt etiam iteratus curſus, vicitque Hypenus Elienſis*. Sed facile diſſidium illud componitur, quum Piſaeorum, ac Eleorum fines ſaepius turbati fuerint, ideoque alterutrius Vrbis civis vocari potuerit.

Huius Olympiadis anno 1. Meſſeniacum bellum Ithome a Lacedaemoniis expugnata finem accepit. Pauſanias [3]: ὁ δὲ πόλεμος ἔλαβεν ὕϛερον τέλος ἔτει πρώτῳ τῆς τετάρτης κ̀ δεκάτης Ὀλυμπιάδος, ἣν Δάσμων Κορίνθιος ἐνίκα ϛάδιον, Ἀθήνῃσι Μεδοντιδῶν τὴν ἀρχὴν ἔτι ἐχόντων τὴν δεκέτιν, κ̀ ἔτους Ἱππομένους τετάρτου τῆς ἀρχῆς ἠνυσμένου: *Finem habuit bellum hoc anno primo quartae & viceſimae Olympiadis, qua Daſmon Corinthius in ſtadio vicit, quum apud Athenienſes Medontidae decennale adhuc imperium obtinerent, & Hippomeni quidem quartus iam exactus eſſet imperii annus.*

Quo quidem loco Pauſaniam in digerendis Archontum Athenienſium temporibus a Scriptoribus aliis diſſidere iam monui; quum primus hic Oly. XIV. annus non in *quintum* Hippomenis, ut ille

(1) Meſſen. c. 13. (2) Eliac. I. c. 8. (3) Meſſen. c. 13.

ille cenſebat, ſed in *decimum* Clidici praedeceſſoris, aut primum Hippomenis ipſius annum inciderit. Illud autem optime a Pauſania traditum quod bellum hoc *vicennale* fuerit; quumque Pauſanias ipſius initium in anno 1. Olym. IX. collocaverit, eius finem huic anno adſcribit, quamvis illud novemdecim ſolum ſolidos annos duraſſe, viceſimoque demum diremptum eſſe videatur. Etenim Tyrtaeus coaevus Poëta, Laconumque dux ita de bello ipſo cecinit (1).

Εἰκοςῷ δ' οἱ μὲν κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες
Φεῦγον Ἰθωμαίων ἐκ μεγάλων ὀρέων
Anno bis decimo linquentes pinguia culta,
Montis Ithomaei deſeruere iuga.

Ithomeſque obſidionem deſcribens ait

Ἀμφ' αὐτὴν δ' ἔμαχοντ' ἐννεακαίδεκ' ἔτη
Circum ipſam autem certarunt decem ac novem annos.

An. 2. Hippomenes decennalis Archon IV. anno I.

Romulus Rex I. anno 31.

Hippomenes ille a Suida (2) quoque memoratur; niſi quod ipſe perperam exiſtimavit quod Hippomenes *ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς, καὶ τελευταῖος ἐβασίλευσε excidit ex principatu, poſtremuſque regnavit*, quorum utrumque perſpicuis Veterum teſtimoniis repugnat; quibus, ut opportune obſervavimus, decennalium Archontum ſingulis integrum decennii tempus adſcribitur; quamvis Meurſius Eryxiae ipſorum poſtremo *ſeptem* ſolum annos conceſſerit.

OLYMPIAS XV.

An. 1. Per. Iul. 3994. Vrb. Cond. 34.
Hippomenes decennalis Archon IV. anno 4.

Ro-

(1) Apud Pauſan. ibi & Strab. Lib. VI. (2) In Ἱππομένης, & παρ' ἵππον.

Romulus Rex I. anno 34.

Orſippus Megarenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Pauſania (1). Ὄρσιππος, ὃσ περιεζώσμενος εν τοῖς ἀγῶσι κατὰ δὴ παλαιὸν ἔθος τῶν ἀθλητῶν, ὀλύμπια ἐνίκα ςάδιον δραμὼν γυμνὸς..... δοκῶ δε οἱ καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ τὸ περίζωμα ἑκόντι περυρυῆναι, γνόντι ὡς ἀνδρὸς περιεζωσμένε δραμεῖν ῥᾴων ἐςὶν ἀνὴρ γυμνός. *Orſippus, qui quum veteri Athletarum more cum ſubligaculo gymnicos ludos obire conſueſſet, in Olympico tamen curriculo nudus vicit .... Non invito crediderim Olympiae ſubligaculum delapſum, nempe qui noſſet, ſine eo multo quemvis eſſe ad curſum expeditiorem.*

Itaque hic omnium primus in ſtadio nudus viciſſe dicitur etiam a Thucydidis Scholiaſte (2): Ἀπὸ Ὀρσίππε Μεγαρέως ἐγυμνώθησαν ἐν τοῖς ἀγῶσιν, *poſt Orſippum Megarenſem nudi in Agonibus certarunt*; longeque clarius id expreſſum conſpicitur in Epigrammate de Orſippo Megarenſi, quod Scholiaſtes ille mox ſubdit

> Πρῶτός θ' Ἑλλήνων ἐν Ὀλυμπίᾳ ἐςεφαν'θη
> Γυμνὸς, ζωννυμένων τῶν πρὶν ἐπὶ ςαδίῳ.
> *Primuſque Graecorum in Olympia coronatus fuit*
> *Nudus*, quum *cincti* fuiſſent *qui antea in ſtadio* certaverant.

Euſtathius tamen a Scriptoribus aliis Orſippum non victorem, ſed victum tradi teſtatur: Περὶ δὲ τῦ ζώματος φέρεται ἱςορία, ὅτι μετὰ τὴν ιδ' Ὀλυμπιάδα συνέβη Ὄρσιππόν τινα, ἐμποδισθέντα ὑπὸ τῦ περιζώματος, πεσεῖν, καὶ τελευτῆσαι. ἢ κατά τινες, νικηθῆναι, ὅθεν ἐθεσπίσθη, γυμνὲς τὲς τοιέτες ἀγωνίζεσθαι *de ſubligaculo fertur haec hiſtoria, quod poſt XIV Olympiadem accidit Orſippum quemdam a ſubligaculo impeditum cecidiſſe, atque obiiſſe; vel iuxta quosdam victum fuiſſe: quamobrem ab oraculo praeceptum fuit, ut athletae eiuſmodi nudi certarent.*

Idemque prorſus in Homeri Scholiis traditur, niſi quod Orſippus ille *Lacedaemonius*, & Oly. XXXII victor vocatur: Κατὰ τὴν τριακοςὴν καὶ δευτέραν Ὀλυμπιάδα Ὀρσίππε τῦ Λακεδαιμονίε λυθὲν ἀγωνιζομένε τὸ περίζωμα αἴτιον αὐτῷ ἥττης ἐγένετο ἐξ ὃ νόμος ἐτέθη γυμνὲς τρέχειν *Oympiade vero triceſima ſecun-*

(1) Attic. c. 44. (2) Add. Lib. I.

cunda cum Orſippi Lacedaemonii in curſu certantis perizoma ſolutum eſſet, in cauſſa fuit ut ipſe ſuperaretur; unde lex poſita fuit ut nudi currerent.

Eadem hiſtoria ab Etymologo [1] quoque memoratur; niſi quod ipſe legerat *αἴτιον ἀυτῷ λύπης ἐγένετο ipſi moeroris cauſſa fuit.* Vterque tamen perſpicue fallitur, non modo quod a melioribus Scriptoribus aliis Orſippus Oly. XV. victor dicatur; verum etiam quod Oly. XXXII. Cratinus Megarenſis *ſtadio* palmam retulerit. Dionyſius vero Halicarnaſſeus [2] non Orſippum, ſed Acanthum, omnium primum nudato corpore cucurriſse dicit: Ὁ *δὲ πρῶτος ἐπιχειρήσας ἀποδυθῆναι τὸ σῶμα κ̀ γυμνὸς* Ὀ*λυμπιάσι δραμὼν ἐπὶ τῆς πεντεκαιδεκάτης* Ὀλυμπιάδος Ἄκανθος ὁ *Λακεδαιμόνιος ἦν primus autem nudavit totum corpus in Olympiaco ſtadio decurrens Acanthus Lacedaemonius Olympiade quintadecima.*

Facile tamen Dionyſius ipſe cum ceteris antea laudatis componi poterit: quod nimirum Orſippus perizomate praecinctus curſum inceperit, lapſoque deinde cingulo metam nudus attigerit. At lege interim a Iudicibus conſtituta quod Athletae nudi certarent, Acanthus Lacon, qui non *ſtadio*, ſed *dolicho*, palmam obtinuit, omnium primus nudato corpore curſum inceperit. Certe Acanthus ille non *ſtadio*, ſed *dolicho* victor ab Africano quoque, & Pauſania dicitur, qui quum praemiſiſſet Oly. XIV. *diaulo*, ſeu *dolicho* tunc inſtituto Hypenum Piſaeum palmam retuliſſe, ſubdit: *τῇ δ' ἔξης* Ἄκαν*θος ſequenti vero Acanthus*. Africanus tamen *diaulon*, a *dolicho* diſtinguit; quumque ad Oly. XIV. dixiſſet Προσετέθη κ̀ *δίαυλον*, κ̀ *ἐνίκα* Ὕπηνος Ἠλεῖος *additus eſt iteratus curſus, vicitque Hypenus Eleus*, ad Oly. XV. adnotavit: Προσετέθη *δόλιχου, καὶ γυμνοὶ ἔδραμον, ἐνίκα* Ἄκανθος *Λάκων additus eſt longior curſus, nudique cucurrerunt. Vicit Acanthus Lacon*. Quibus tamen verbis non obſcure innuitur ſolis dolicho certantibus tunc primum conceſſum eſſe ut nudi curſum inciperent: quum antea Orſippus ſubligaculo pro veteri more praecinctus curſum inchoaſſet; licet deinde nudus metam attigiſſet. Conjecturam hanc meam, diſſidiique componendi rationem praeclare confirmat Thucydides, qui [3] Lacedaemonios omnium primos nudos certaſſe teſtatur: *ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι, κ̀ ἐς τὸ φανερὸν* ἀπο-

(1) In Γυμνάσια. (2) Lib. VII. (3) Libr. I. c. 6.

ἀποδύντες λίπα μετὰ τῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο τόδε πάλαι ϗ ἐν τῷ ὀλυμπιακῷ αγῶνι διαζώματα ἔχοντες περι τὰ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο, ϗ ὀ πολλὰ ἔτη ἐπειδὴ πέπαυνται iidem etiam primi corpora nudaverunt, veſtes palam exuerunt certaturi ſeſe oleo unxerunt. Olim vero in Olympico certamine athletae ſubligacula circum pudenda geſtantes certabant, nec multi ſunt anni ex quo haec geſtari deſierunt. Itaque, licet Thucydidis Scholiaſtes (1) verbis verſibuſque ſuperius prolatis memoret Orſippum omnium primum nudato corpore certaſſe, perſpicuum eſt tamen Thucydidem id Acantho potius Lacedaemonio conceſſiſſe; quum praeſertim Scholiaſtes ipſe dicat Orſippum nudum *coronatum eſſe* non *dimicaſſe*; & ἀπὸ Ὀρσίππυ, hoc eſt poſt ipſius victoriam, morem illum irrepſiſſe. Atque exinde factum putaverim, ut quum a pluribus Orſippum omnium primum ſine cingulo viciſſe proditum foret, moremque illum a Lacedaemoniis invectum eſſe plurimi aſſererent, Orſippum ipſum nonnulli non *Megarenſem*, ſed *Lacedaemonium*, exiſtimarent.

Quod vero ad poſtrema Thucydidis verba attinet ϗ ὀ πολλὰ ἔτη ἐπειδὴ πέπαυνται, Meurſius (2) omnino cenſet particulam ὀ delendam eſſe, quod nimirum ab Orſippi aetate ad Thucydidis tempora tercenti ſaltem anni interceſſerint. Atque id optime quidem ſi cum Valla interprete reddendum foret *nec ita multi anni ex quo illa* (ſubligacula) *haberi ſunt deſita*, ille nimirum annorum numerus a Thucydide indicaretur, qui a more deſito ad Thucydidem uſque fluxerunt. Mihi vero fortaſſe potius in Thucydide non ἐπειδὴ, ſed ἔπειτα *poſtea* legendum eſſe videtur. Ita nimirum verba illa ϗ ὀ πολλὰ ἔτη *& non multos annos* non ad πέπαυνται *deſitum eſt*, ſed ad ἠγωνίζοντο *certabant* referri facile poſſent, ut nimirum exprimatur non diu, multiſque annis ſubligaculorum uſum viguiſſe, ſed brevi potius ſublatum fuiſſe, cum certe primis ſolum 14. Olympiadibus ritus ille obtinuerit. Atque ea ratione obſcurus, ſed accuratiſſimus auctor Thucydides morem illum & *antiquum* fuiſſe, & *cito* ſublatum eſſe dixiſſet.

Hac ipſa Olympiade annoque primo Scaliger adnotavit Archilochum iuxta Dionyſium floruiſſe, Thaſumque urbem conditam fuiſſe. Ac de Thaſi quidem Vrbis origine per-

(1) Lib. I. c. 16. (2) De Arch. Ath. Lib. I. c. 3.

perſpicuus Clementis [1] locus : *Ξάνθος ὁ Λυδὸς περὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς δὲ Διονύσιος περὶ τὴν πεντεκαιδεκάτην Θάσον ἐκτίσθαι Xanthus Lydus decima octava Olympiade , Dionyſius vero quintadecima Thaſum* Vrbem *aedificatam eſſe* teſtatur. Quandoquidem vero de Thaſo condenda oraculum, Archilocho redditum memoratur, Archilochus ipſe ad Olympiadem illam ſpectavit; quamvis a Scriptoribus aliis ad Olympiadem XXIII. referatur. Opportune tamen hic obſervandum *κτίσεως* nomine non Vrbis huius *aedificationem*, primamque originem indicari, ſed coloniam potius eo deductam. Siquidem Thaſus Herculis etiam aetate florebat, ut in eximio Farneſiano Marmore legitur, quod a me reſtitutum, ſuppletum, ac illuſtratum fuit. Quin etiam Stephanus urbem illam *generationibus decem*, hoc eſt ſaltem 330. annis, Hercule vetuſtiorem eſſe teſtatur.

OLYMPIAS XVI.

An. 1. Per. Iul. 3998. Vrb. Cond. 38.
Hippomenes decennalis Archon IV. anno 8.

Romulus Rex I. anno 38.

Pythagoras Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Dionyſio Halicarnaſſeo [2].

An. 2. Quum Romulus 37 ſolidos annos regnaſſet, concionemque ad Capreae paludem haberet, ex hominum oculis oborta tempeſtate, obſcuratoque ſole ereptus fuit. Itaque, quum ſolis eclipſis hoc anno 26. Maii Iuliani die contigerit, [3] Romuli mors in diem illum conferri poterit. Ceterum annos a Romulo in regno exactos nitide expreſſit Dionyſius [4]: *ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη βασιλεύσας quum annos* 37. *regnaſſet*, quintumque ac quinquageſimum aetatis annum ageret *πεντηκοστὸν καὶ πέμπτον ἄγων ἔτος*. Exſtincto Romulo per annum integrum interregnum fuit, eoque exacto Numa Pompilius in regno ſucceſſit. Dionyſius de Interrege loquens ait : *ἀπέστειλε τοὺς*

(1) Strom. Lib. I. (2) Lib. II. num. 58. (3) Scalig. de Emend. Temp. Lib. V. pag. 395. Petav. Lib. X. c. 20. (4) Lib. II. num. 58.

παραληψομένους τὸν ἄνδρα (Νυμᾶν Πομπίλιον) ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐνιαυτῷ τρίτῳ τῆς ἑκκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος, ἐν ᾗ ἐνίκα ςάδιον Πυθαγόρας Λάκων *Legatos miſit, qui hominem (Numam Pompilium) ad regnum ineundum adducerent, anno 3 ſextaedecimae Olympiadis, qua ſtadium vicit Pythagoras Lacedaemonius*; paucisque interiectis de Numa ſcribit: ἐπὶ τῆς ἑκκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος μεσούσης τὴν Ρωμαίων βασιλείαν παρέλαβε *circa medium ſextaedecimae Olympiadis Romae regno potitus eſt*.

An. 4. Leocrates decennalis Archon V. anno 1.

Numa Pompilius Rex II. anno 2.

OLYMPIAS XVII.

An. 1. Per. Iul. 4002. Vrb. Cond. 42.
Leocrates decennalis Archon V. anno 2.

Numa Pompilius Rex II. anno. 3.

Polus Epidaurius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Aſtacon Vrbem hoc anno a Megarenſibus aedificatam eſſe teſtatur Memnon [1], quae deinde ex Nicomede rege *Nicomedia* vocata fuit: Τὴν Ἄςακον δὲ Μεγαρέων ᾤκισαν ἄποικοι Ὀλυμπιάδος ιζʹ ἱςαμένης Ἄςακον ἐπίκλην κατὰ χρησμὸν θέμενοι *Aſtacon Megarenſium coloni aedificarunt, labente Olympiade XVII.* hoc *Aſtaci nomen iuxta* acceptum *oraculum imponentes*. Memnon ipſe Zypoeten quemdam Thracem Bythiniae Regem, eiusque Nicomedis patrem fuiſſe ſubdit; idemque prorſus a Tzetze [2] aſſeritur:

Ὁ τοῦ Ζιποίτου μὲν υἱὸς ἐκεῖνος Νικομήδης
Ὁ κτίσας Νικομήδειαν πατὴρ ὁ τοῦ Προυσίου
Zipoeti quidem filius ille Nicomedes,
Qui condidit Nicomediam pater Pruſiae

Vn-

(1) Apud Phot. pag. 374. (2) Chil. III. hiſt. 115. ver. 950.

Vnde Pauſanias [1] facile cum Scriptoribus aliis componi poterit, quum ipſe quoque Nicomediam a Zypoete primum aedificatam, atque a Nicomede mox appellatam fuiſſe memoret. Hieronymus tamen Aſtaci, ſive Nicomediae, aedificationem in anno 3. huius Olympiadis collocavit, quamvis illa in Petaviano Euſebii codice anno 2. tribuatur.

OLYMPIAS XVIII.

An. 1. Per. Iul. 4006. Vrb. Cond. 46.
Leocrates decennalis Archon V. anno 6.

Numa Pompilius Rex II. anno 7.

Tellis Sicyonius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Lampis etiam, & Eurybatus uterque Lacedaemonius eadem Olympiade palmam reportarunt, ille quidem *quinquertio*, hic vero *lucta*, quum utrumque certaminis genus tunc primum ab Elidenſibus invectum eſſet. Africanus: Προσετέθη πάλη, καὶ ἐνίκα Εὐρύβατος Λάκων. Προσετέθη καὶ πένταθλος, καὶ ἐνίκα Λαμπίας Λάκων *addita fuit lucta, vicitque Eurybatus Lacon; additum fuit quinquertium, & vicit Lampias Lacon*. Pauſanias [2]: Ἐπὶ δὲ τῆς ὀγδόης καὶ δεκάτης Ὀλυμπιάδος πεντάθλου καὶ πάλης ἀφίκοντο ἐς μνήμην. καὶ τοῦ μὲν Λάμπιδι ὑπῆρξεν. Εὐρυβάτῳ δὲ ἡ νίκη τῆς πάλης Λακεδαιμονίοις καὶ τούτοις: *at decima octava Olympiade, quae iam exoleverant certamina quinquertii & luctae, reſtituta ſunt: quinquertii Lampidi, luctae praemium Eurybato (utrique Lacedaemonio) obtigit.*

Eurybatus autem hic ab *Eurybate* diſtinguendus, qui *tethrippo* victor ab Herodoto [3] memoratur, ut in Olympionicarum ſerie obſervavi; quum ille Marathoniae pugnae interfuerit, adeoque Olymp. LXXII. attigerit.

Hieronymus hoc anno a Partheniis Tarentum, atque a Corinthiis Corcyram aedificatam eſſe adnotavit. Ac de Tarento quidem notiſſimum eſt [4] Vrbem illam a Partheniis Phalanto duce illuc e Sparta digreſſis habitatam fuiſſe, quum a Taran-

(1) Eliac. I. c. 12. (2) Eliac. I. c. 8. (3) Lib. VI. c. 92. (4) Vid. Pauſan. Phoeic. c. 10. Iuſtin. Libr. III.

te Heroe nomen accepiſſet. Tempus etiam, ac Partheniorum aetas mire conſentit. Siquidem Strabo [1] Parthenios ipſos exacto iam *decimo*, ſive potius *undecimo* Meſſeniaci belli anno, adeoque Olymp. XI. natos eſſe teſtatur. Ergo, ſi legitimum tempus addatur, quo ipſi adoleſcere, atque una cum Hilotis ſeditionem adverſus Lacedaemonios movere, tandemque in Italia novas ſibi ſedes inquirere poſſent, ad Oly. XVIII. pervenietur.

De Corcyra vero Thucydides [2] narrat anno poſt conditam Naxum Archiam, interim dum Syracuſas concederet, Cherſicratem in Corcyram dimiſiſſe, adeoque utramque Corinthiorum coloniam uno eodemque tempore, hoc eſt iuxta Oxonienſe Marmor anno 3 Olymp. V. deductam fuiſſe. Eadem quoque Strabo: *πλέοντα δὲ τὸν Α᾽ρχίαν ἐις τὴν Σικελίαν καταλιπεῖν μετὰ μέρȣς τῆς ϛρατείας τȣ̃ τῶν Η῾ρακλειδῶν γένȣς Χερσικράτην, συνοικȣ̃ντα τὴν νῦν Κέρκυραν καλȣμένην, πρότερον δε Σχερίαν porro Archiam, quum in Siciliam navigaret, cum parte exercitus reliquiſſe Cherſicratem, genus ab Herculis poſteritate ducentem, qui occuparet pro domicilio ſuis Corcyram, quae ante Scheria fuit nominata*. Itaque praeclare fallitur Timaeus qui Corcyram 600 poſt Troica annis deductam memorat: *Τίμαιος δέ φησι μετὰ ἔτη ἑξακόσια τῶν Τρωϊκῶν Χερσικράτη ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, ἔιτε ἐκπεσόντα τῆς Κορίνθȣ, ἔιτε καὶ ἑκόντα ἀπελθεῖν διὰ ἀτιμίαν καὶ κατῳκέναι τὴν νῆσον Timaeus ait ſexcentis poſt Troica tempora annis Cherſicratem ex Bacchiadarum familia, ſeu Corintho eiectum, ſeu inde ſponte ſua ignominiae cauſſa digreſſum, inſulam inhabitaſſe*. Etenim, ut argumenta cetera diſſimulem, Periander Cypſeli filius ante Olymp. XL. tum Corinthi, tum Corcyrae imperabat; adeoque longe prius Corinthiorum colonia Corcyram appulerat. At, ſi 600. a Troicis anni ſupputentur, deductio illa in Olymp. LXV. incidiſſet.

An. 3. Leocrates decennalis Archon V. anno 4.

Numa Pompilius Rex II. anno 9.

Croton a Miſcelo condita fuit. Dionyſius Halicarnaſſenſis [3]: *Καθ᾽ ὃν χρόνον ὁ Νυμᾶς ἐπὶ τὴν βασιλείαν ἐκαλεῖτο ὑπὸ*

Ρ῾ω-

(1) Libr. VI. (2) Libr. VI. (3) Lib. II.

Ῥωμαίων ἔπω πόλις ἦν ὁ Κρότων. τέσσαρσι γὰρ ὅλοις ὕϛερον ἔτεσι ἢ Νυμᾶν ἄρξαι Ῥωμαίων, Μύσκελος αὐτὴν ἔκτισεν ἐνιαυτῷ τρίτῳ τῆς ἑπτακαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος *nondum erat Crotonienſium urbs quando Numa Romam ad Regnum accitus eſt; integro enim quadriennio poſt aſſumptum a Numa Principatum Myſcelus eam condidit, XVII. Olympiadis anno tertio.*

Hieronymus tamen Crotonis, Pari, Sibariſque originem in anno 2. Olymp. XIX. collocavit, unde Petavius inter extremas mediam ſententiam amplexus id anno 1. Olymp. XVIII. adſcribit. At Strabo (1) Sybarim quidem ante Crotonem aedificatam eſſe teſtatur; ſed Crotonis, & Syracuſarum aedificationem uno eodemque tempore contigiſſe voluit; ut proinde Crotonis origo ad antiquiora tempora referenda videatur.

OLYMPIAS XIX.

An. 1. Per. Iul. 4010. Vrb. Cond. 50.
Leocrates decennalis Archon V. anno 10.

Numa Pompilius Rex II. anno 11.

Menon Megarenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. 2. Apſander decennalis Archon VI. anno 1.

Numa Pompilius Rex anno 12.

OLYMPIAS XX.

An. 1. Per. Iul. 4014. Vrb. Cond. 54.
Apſander decennalis Archon VI. anno 4.

Numa Pompilius Rex II. anno 15.

Atheradas Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYM-

(1) Lib. VI.

OLYMPIAS XXI.

An. 1. Per. Iul. 4018. Vrb. Cond. 58.
Apſander decennalis Archon VI. anno 8.

Numa Pompilius Rex II. anno 19.

Pantacles Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS XXII.

An. 1. Per. Iul. 4022. Vrb. Cond. 62.
Eryxias decennalis Archon VII. anno 2.

Numa Pompilius Rex II. anno 21.

Pantacles Athenienſis iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS XXIII.

An. 1. Per. Iul. 4026. Vrb. Cond. 66.
Eryxias decennalis Archon VII. anno 6.

Numa Pompilius Rex II. anno 28.

Icarius Hypereſienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, ſimulque Pauſania, cuius teſtimonium in anno 3. mox proferetur.

Onomaſtus etiam Smyrnaeus *pugilatu* tunc inſtituto palmam obtinuit, eiuſque certaminis leges praeſcripſit. Africanus: Προσετέθη πυγμὴ, καὶ Ὀνόμαστος Σμυρναῖος ἐνίκα, ὁ καὶ τῇ πυγμῇ νόμους θέμενος *additus eſt pugilatus, vicitque Onomaſtus Smyrnaeus, qui pugilatus etiam leges conſtituit.* Pauſanias [1]: Τρίτῃ δὴ Ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ πυγμῆς ἆθλα ἀπέδοσαν, Ὀνόμαστος δὲ ἐνίκησεν ἐκ Σμύρνης *tertia dehinc & viceſima Olympiade caeſtuum ludicrum inſtitutum: victor exſtitit Onomaſtus Smyrnaeus.*

Olym-

(1) Eliac. I. c. 8.

Olympiadis huius anno 1. notat Hieronymus Hipponactem floruiſſe. At certe fallitur, quum Poëta ille ad Olymp. LX. ſpectaverit; ut opportunius ibi oſtendetur.

Archilochus etiam Parius Teleſiclis filius floruiſſe dicitur a Tatiano (1): Ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμαζε περὶ Ὀλυμπιάδα τρίτην, καὶ εἰκοστὴν κατὰ Γύγην τὸν Λυδὸν τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι πεντακοσίοις *Archilochus vero floruit circa Olympiadem tertiam ac viceſimam; Gygis Lydii* regis *aetate, quingentis annis poſt Iliaca*. Ac certe quidem, quum ab Ilii excidio ad Olympiades inſtitutas 406. anni numerari conſueverint, ſi Archilochus XXIII. Olympiade floruit, ab Ilii excidio ad Archilochi tempora 500. circiter anni intercesſerunt. Herodotus (2) etiam, quem exſcripſiſſe videtur Tatianus, Archilochum Gygis aetate vixiſſe tradit. Clemens (3) quoque Archilochum ipſum κατὰ τὴν εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα *circa viceſimam Olympiadem* vixiſſe ſcribit, quod ſuperiori teſtimonio mire conſentit. Denique graviſſimus auctor Cicero (4) Archilochum regnante Romulo vixiſſe refert: ut proinde ipſius aetas circa Olymp. XV. manifeſtiſſime collocari debeat. Calculum, ſententiamque hanc apprime confirmat coloniae tempus in Thaſum a Pariis deductae, cui Archilochus ipſe vel praefuit, vel una cum Teleſicle patre interfuit, ut ex Apollinis oraculo apparet, quod a Stephano (5) profertur. Itaque, quum Thaſus condita vel potius inſtaurata fuerit Olymp. XV. exinde quoque Archilochi aetas ſuperius conſtituta confirmatur. Ipſum in bello a Chalonda quodam occiſum fuiſſe in Suida obſervavi. Ceterum de Archilochi ingenio, verſibuſque fuſe Fabricius *in Biblioth. Graeca Tom. I. pag.* 572.

An. 4. Eryxias decennalis Archon VII. anno 9.

Numa Pompilius Rex II. anno 31.

Meſſeniacum II. Bellum hoc anno incepiſſe dicit Pauſanias (6) aſſerens quod Meſſenii ἀπέστησαν ἔτει τριακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν, τετάρτῳ δὲ τῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς, ἣν Ἰκάριος Ὑπερησιεὺς ἐνίκα στάδιον. Ἀθήνησι δὲ οἱ κατ' ἐνι-

(1) Orat. I. adv. Graec. (2) Lib. I. c. 12. (3) Strom. Lib. I. (4) Tuſc. I. c. 1. (5) In Θάσος. (6) Meſſen. c. 15.

ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤδη τότε Ἄρχοντες, καὶ Ἀθηναίοις Τλησίας ἦρχεν *defecerunt Meſſenii undequadrageſimo poſt Ithomes excidium anno, qui quartus fuit tertiae, & vigeſimae Olympiadis, qua vicit ſtadio Hypereſienſis Icarius: Athenienſium vero Reſpublica annuis iam erat Magiſtratibus reſtituta; ac tunc quidem Tleſias Athenis praetor erat.* Atque optime id quidem, feliciter, accurateque Pauſanias quod Meſſeniorum a Lacedaemoniis defectionem, adeoque II. Belli principium in Olymp. XXIII an. 4. collocaverit; quum primi finem anno 1. Olymp. XIV. iam adſcripſerit, pacemque inter illos initam 39. demum poſt Ithomes cladem anno diremptam aſſerat. Quod vero Pauſanias hac Olympiade, bellique initio Archontes annuos Athenis iam inſtitutos eſſe putavit, adeoque Tleſiam huic anno adſcripſit, ab Oxonienſi Chronico, ceteriſque Scriptoribus plurimum diſſidet, a quibus Creon annuorum Archontum primus in anno 1. Olymp. XXIV. perſpicue collocatur.

Tyrtaeus Athenienſis Poeta hac Olympiade floruit. Etenim ille, ut Pauſanias [1], aliique tradidere, Lacedaemoniis alterum hoc Bellum contra Meſſenios inſtaurantibus imperator ab Athenienſibus conceſſus fuit, militeſque ſuos elegis atque anapaeſtis ad virtutem bellicam excitavit; unde Tyrtaei verſus προτρεπτικὰ πρὸς πόλεμον ἀσμάτων μέλη Tzetzes [2] vocavit. Quinetiam, ſi Suidae [3] fides, Tyrtaeus ipſe πολιτείαν Λακεδαιμονίοις, καὶ ὑποθήκας δι' ἐλεγίας, καὶ μέλη πολεμιστήρια βιβλία έ reliquit. Scriptores omnes, qui Tyrtaeum memorarunt, recenſet Fabricius [4]. Ceterum licet Pauſanias nitide diſerteque dixerit, Meſſeniacum bellum Olymp XXIII exarſiſſe, Euſebius tamen illud in anno 3. Olym. XXXV. collocavit; quemadmodum Iuſtinus [5] inter primi finem, ſecundique initia 80 annos fluxiſſe dicit. Hinc Valeſius Euſebii, Iuſtinique calculum Pauſaniae teſtimonio praetulit, quum praeſertim Pauſanias ipſe ex Tyrtaei teſtimonio dicat quod ὕστερον τρίτῃ γενεᾷ τὸν πόλεμον οἱ Μεσσήνιοι τόνδε ἐπολέμησαν *tertia demum poſt* primum bellum *aetate Meſſenii bellum hoc geſſerunt.* Mihi tamen Pauſaniae auctoritas longe gravior videtur, quippequae perſpicuis adeo characteribus confirmata ſit; niſi quod in

(1) Meſſen. c. 5. (2) Chil. II. num. 26. (3) Suidas in Τυρταῖος. (4) Biblioth. Graec. Tom. I. pag. 449. (5) Lib. III. c. 5.

in Auctore, quem Pauſanias exſcripſit, numeros temere tranſpoſitos fuiſſe ſuſpicor; quumque belli principium, & Tleſiae Archontis magiſtratus in an. 3. Olymp. XXIV. collocari deberet, viciſſim in annum 4. Olymp. XXIII. tranſlatus fuit: atque deinde, ut cetera conſpirarent, *Icarius Hypereſienſis* eius Olympiadis victor nominatus, quum ſequentis potius Olympiadis XXIV. victor *Cleopolemus Lacon* exprimendus eſſet. Ceterum bellum ipſum ad Olymp. XXXV. cum Euſebio, Iuſtino, ceteriſque ſuperius laudatis differri non poſſe tum Oxonienſis Chronici teſtimonium, tum Autoſthenis, & Diſniceti Archontis nomen a Pauſania una cum Olympiadum numero expreſſum perſpicue oſtendit, ut in ſequenti Olympiade demonſtrabitur.

Quandoquidem vero Tyrtaeus ille a Strabone [1] *Aphidnis* Lacedaemonem veniſſe dicitur, ſuſpicor illum *Aphidnaeum*, hoc eſt ex *Aphidnarum* Populo, fuiſſe; quamvis id a Veterum nullo traditum, vel a recentiore Scriptore obſervatum fuerit.

OLYMPIAS XXIV.

An. 1. Per. Iul. 4030. Vrb. Cond. 70.
Eryxias decennalis Archon VII. anno 10.

Cleoptolemus Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. 2. Creon Archontum annuorum I.

Numa Pompilius Rex II. anno 32.

Creontis huius, qui annuorum Archontum agmen ducit, nomen, atque annus pluribus, iiſque certis Veterum teſtimoniis oſtendi poteſt. Ac primo quidem Marmorei, vel Oxonienſis Chronici teſtimonium nobis occurrit, in quo reperitur [2]: *Ἀφ' οὗ κατ' ἐνιαυτὸν ἦρξεν ὁ Κρέων ἔτη* ΗΗΗΗΔΔ. *Ex quo annuus Archon primus Creon fuit*, *anni* 420. . Itaque ex antiquiſſima Scriptoris huius ſententia Creon ad annum I. Olymp. XXIV. referri debet; quum citima Marmoris e-

(1) Lib. VIII. (2) Epoch. 33. lin. 48.

iuſdem Epocha, aut annus, ad quem veluti terminum anni in Marmore expreſſi referuntur, in anno primo Oly. CXXIX. collocetur. Euſebius (1) Olympiadem ipſam XXIV. memoravit, neque tamen ipſius annum expreſſit: Ἔδοξεν αἱρεῖσθαι ἄρχοντα κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ πρῶτος ἡγήσατο ἐνιαύσιος Ἄρχων Κρέων ἐπὶ τῆς εἰκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος, μεθ' ὃν κατ' ἕκαστον ἔτος εἷς τις παρ' αὐτοῖς ἦρχεν *ſingulis annis Archontem eligi placuit; primuſque annuus Archon electus eſt Creon viceſima quarta Olympiade; poſt quem unus quiſpiam quotannis apud illos imperavit.* Quinetiam alibi diſſidium apud Auctores eſſe adnotavit: Ἡ δὲ τῶν ἐνιαυσίων ἀρχὴ ἤρχθη, Κρέοντος πρώτου ἄρχοντος ἡγησαμένου ἐπὶ τῆς ιθ' Ὀλυμπιάδος, οἱ δὲ ἐπὶ κέ. *annuorum vero Archontum imperium obtinuit, quum Creon Archontum primus electus eſſet XIX. Olympiade, vel ut alii dicunt, XXV.* At in perenni Olympiadum ſerie ad Olymp. XXIV. annum 1. ait: Μετὰ τοὺς Βασιλεῖς Ἄρχοντες ἐνιαυσιαῖοι ἡρέθησαν ἐξ Εὐπατριδῶν, ἐννέατε Ἀρχόντων Ἀθήνησιν ἀρχὴ κατεστάθη: *poſt Reges annui Archontes electi ſunt ex patriciis; novemque Archontum Magiſtratus Athenis conſtitutus eſt* Ex Latinis Velleius (2) ſolum Creontis nomen expreſſit: *Ex annuis Archontibus primus Creon*; & in Excerptis Latino-Barbaris, quae mox proferentur, Creon ipſe ad hanc Olympiadem revocatur. Itaque dubitari non poteſt quin Creon ipſe ſublatis *decennalibus*, adeoque expleto Eryxiae principatu, omnium primus annuum hunc magiſtratum ſuſceperit, idque circa Olympiadem XXIV. contigerit. Qua vero Olympiade, ac Olympiadis anno Creon imperaverit, ambiguum, atque a variis Scriptoribus varie traditum eſſe conſpicimus. Pauſanias, ut alibi (3) iam demonſtravi, Archontes annuos Olymp. XXIII. anno 4. iam inſtitutos eſſe putavit, quippe qui Tleſiam hoc anno collocaverit, atque ex ipſius hypotheſi Creon ipſorum primus in anno 2. Olymp. XXIII. conſtitui debeat, quum Pauſanias ipſe *quartum* Hippomenis annum cum anno I. Olymp. XIV. commiſerit. Ex Dionyſii calculo, qui Charopis initium cum anno I. Olymp. XII. coniungit, decimus Eryxiae decennalis annus in 2. Olymp. XXIV. adeoque Creon in 3. Olymp. ipſius incideret. Oxonienſe Marmor, ut antea vidimus, Creontem ipſum anno

(1) Chr. Libr. I. pag. 39. (2) Lib. I. (3) Faſt. Attic. Tom. 1. pag. 9.

no $\frac{1}{2}$ Oly. XXIV. collocavit, ne Scriptores illos hic memorem, qui Euſebio teſte Creontem Olymp. XIX. vel XXV. conceſſere.

Atque ex eiusmodi quidem Veterum ſententiis Pauſaniae calculum refellendum eſſe iam monui; longeque facilius Scriptoris illius opinio, calculuſque refellendus erit, qui Creontis imperium ad Olymp. XIX. revocavit. Itaque eo demum res referri, iiſque terminis Creontis imperium circumſcribi debet, ut is ad annum aliquem Olymp. XXIV. certiſſime referatur. Non alteri vero, quam exeunti *primo*, *ſecundoque* ineunti, Olympiadis anno Creontem tribuendum eſſe putaverim: quum civilis, & Archonticus annus ante Olymp. LXXXVII. a Gamelione menſe inciperet; adeoque cum duobus Olympicis annis concurreret, ut in Prolegomenis obſervavi. Perſpicue id primum graviſſimo Oxonienſis Chronici teſtimonio demonſtratur, in quo Creontis annus citimam Marmoris Epocham, hoc eſt annum 1. Olymp. CXXIX 420. annis, integris nimirum 105. Olympiadibus, praeceſſiſſe dicitur; ut proinde Creontis imperium labente 1. Olymp. XXIV. incepiſſe, primamque ſequentis anni 2. partem occupare debuerit. Euſebii quoque calculus, atque ſententia mire conſpirat. Siquidem ille *labente tertio* Aeſchyli Archontis anno Olympiades inſtitutas aſſerit, quarum initio Aeſchylus 20. annis ſuperfuerit, ipſique Alcmaeon perpetuorum ultimus 2. annis ſucceſſerit; ut proinde Charops decennalium Archontum primus anno 3 Olymp. VI. inceperit. Itaque poſt ſeptem decennalium Archontum annos, hoc eſt annum 4 Olymp. XXIII. in quem poſtremus Eryxiae annus inciderat, Creontis imperium anno $\frac{1}{2}$. Olymp. XXIV. incepit. Hinc optime tum in Graeca Olympiadum ſerie ab Euſebio contexta, tum in Latina Hieronymi interpretatione Creon ipſe Archontum annuorum primus in anno 1. Olymp. XXIV. collocatur. Ita in Excerptis etiam Latino-Barbaris poſtquam dictum fuerat: quod *Aeſchylo anno ſecundo prima Olympiada deducta eſt a Graecis*, atque ab initio Cecropis ad Olympiadem ipſam anni 824. fluxerant, ſubditur [1]: *Et ceſſavit regnum Athineorum in Olympiada viceſima quarta. Fiunt vero omnem Athineorum*

(1) Apud Scalig. pag. 62.

fortitudinem a Cecropo uſque Oxurium anni nongenti ſeptem: quo plane fieri oportet ut ex antiqui Scriptoris calculo ſubductis 20. Aeſchyli annis poſt Olympiades inſtitutas, & 2. Alcmaeonis, & 70. Archontum decennalium, primus annuorum, hoc eſt Creontis, annus in $\frac{1}{2}$. Olymp. XXIV. inciderit.

Idipſum ex integra Archontum annuorum ſerie, vel numero deduci poteſt, qui ab Africano apud Euſebium ipſum contexitur. Quum enim Creontem omnium primum fuiſſe dixiſſet, repente ſubdit (1): *ἀφ' οὗ ἐπὶ σν̄ Ὀλυμπιάδα Ἄρχοντες ϡγ μέχρι Φιλίνου. καθ' ὃν ὑπάτευον Γρᾶτος Σαβινιανὸς Ῥωμαίων καὶ Σέλευκος ἀπὸ τῶν περὶ Βροῦτον μετὰ τοὺς βασιλεῖς ὑπατευσάντων ψκέ καταριθμούμενοι.... ὅπερ ἦν Ἀντωνείνου καὶ Αὐγέντου ἔτος γ̄*: *a quo ad* 250. *Olympiadem Archontes* 903. *ad Philinum uſque* fuerunt, *cuius* Archontis *anno Romanorum Conſules fuerunt Gratus Sabinianus, & Seleucus, qui a Bruto poſt* exactos *Reges* 725. *loco in Conſulum ſerie numerantur ..... annuſque ille Antonini & Augenti tertius erat*. Conſules illi perſpicuis certiſque characteribus inſigniti anno 1. Oly. CCL. V C. 975. conveniunt. Ergo, ſi Philinum eius anni Archontem Archontes alii 903. praeceſſerant, adeoque ante Philini annum, ſive Olymp. CCL. annum 1. 903. anni iam fluxerant, Creontis annus ad annum $\frac{1}{2}$. Olymp. XXIV. referendus erit.

An. $\frac{2}{3}$. Tleſias Athenis Archon II.

Numa Pompilius Rex II. anno 34.

Tleſiae Archontis nomen illuſtris unus Pauſaniae locus oſtendit, quem ſemel iterumque in Faſtis Atticis (2) expoſui, ubi de Meſſeniaci II. belli initio loquens ait (3) quod Meſſenii a Lacedaemoniis *ἀπέστησαν ἔτει τετάρτῳ τῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς ἣν Ἴκαρος Ὑπερησιεὺς ἐνίκα στάδιον. Ἀθήνησι δὲ οἱ κατ' ἐνιαυτὸν ἦσαν ἤδη τότε Ἄρχοντες, καὶ Ἀθηναίοις Τλησίας ἦρχεν defecerunt anno quarto tertiae & viceſimae Olympiadis, qua vicit in ſtadio Hyperienſis Icarus. Athenienſium vero*

(1) Chr. Libr. I. apud Scalig. p. 39. (2) Tom. I. pag. 7. & Tom. II. pag. 64.
(3) Meſſen. c. 15.

ro Reſpublica annuis iam erat Magiſtratibus reſtituta: ac tunc quidem Tleſias Athenis praetor erat. Quo quidem loco Pauſanias ipſe ſibi mirifice conſtat, ut proinde nihil in ipſius textu mutandum eſſe contra Meurſium, atque Dodvellum oſtenderim. Itaque Tleſias, poſt annuorum Archontum inſtitutionem, adeoque Creontem ipſorum primum, certiſſime conſtitui debet. Quod vero ad Olympicum annum hunc ſpectaverit, Oxonienſis Marmoris praeſidio iampridem conieceram, in quo Lyſias Archon *biennio* poſt Creontem imperaſſe dicitur, reſque Lyſiae Archontis anno in Marmore conſignatae uno ſerius anno contigiſſe videntur, quam quae Tleſiae Archontis anno contigerant. Etenim, ſi rite feliciterque laceri Marmoris lacunas ſupplevit Lydiatus, Lyſiae Archontis anno Τυρταῖος Λακεδαιμονίοις συνεμάχησεν *Tyrtaeus una cum Lacedaemoniis dimicavit*. Tyrtaeus autem ille una cum Lacedaemoniis militavit ἔτει πρώτῳ μετὰ τὴν ἀπόστασιν *anno primo poſt defectionem*, qua Meſſenii a Lacedaemoniis Tleſiae Athenis Archontis anno receſſerunt. Id ego nitide diſerteque a Pauſania traditum obſervavi, qui quum Meſſenios a Lacedaemoniis deficientes bellum inſtauraſſe dixerat, ſubdit illos ἔτει πρώτῳ μετὰ τὴν ἀπόστασιν *anno primo poſt defectionem* prope Deras cum Lacedaemoniis feliciter dimicaſſe. Mox narrat Lacedaemonios oraculi monitu ducem ab Athenienſibus petiiſſe, Tyrtaeumque Vatem ab iis conceſſum, qui verſibus Laconas ad arma concitavit. Varios deinde belli caſus deſcribens ait ἐνιαυτῷ δὲ ὕστερον τοῦ περὶ τὰς Δέρας ἀγῶνος *anno vero proximo poſt certamen ad Deras* vere ad Apri monimentum pugnatum eſſe; τρίτῳ δὲ ἔτει τοῦ πολέμου *tertioque belli anno* Meſſenios ad Taphron vel Magnam Foſſam Ariſtocratis perfidia ſuperatos eſſe [1]; eos tamen in Iram ſecedentes μετὰ τὴν ἐν Τάφρῳ συμφορὰν ἕνδεκα ἔτεσιν *poſt cladem in Taphro acceptam annis undecim* obſidionem toleraſſe, tandemque [2] ἐνδεκάτῳ ἔτει τῆς πολιορκίας *undecimo obſidionis anno* Iram ipſam a Lacedaemoniis occupatam, Meſſenios in ſervitutem abductos, bellumque tandem diremptum fuiſſe [3]: Ἑάλω δὲ Εἶρα καὶ ὁ πόλεμος ὁ δεύτερος Λακεδαιμονίων καὶ Μεσσηνίων τέλος ἔσχεν Ἀθηναίοις Ἄρχοντος Αὐτοσθένους ἔτει πρώτῳ τῆς ὀγδόης τε καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Χίονις Λάκων:

Ira

(1) Ibi c. 17. (2) Cap. 20. (3) Cap. 23.

Ira capta finem habuit Meſſeniorum & Lacedaemoniorum ſecundum bellum, gerente Athenis ſupremum civitatis honorem Autoſthene, anno primo octavae & viceſimae Olympiadis, cuius victor extitit Chionis Laco.

Qui accuratiſſimam rerum ſeriem hic a Pauſania contextam, ſubiectiſque etiam Tyrtaei verſibus confirmatam inſpexerit, facile intelliget a Meſſeniorum defectione, adeoque Tleſiae Archontis anno ad Irae excidium, bellique finem alterutro etiam ex extremis annis computato, nonniſi 14. annos, eoſque facile non abſolutos, intercedere potuiſſe; ut proinde, ſi belli finis, Iraeque clades in annum 1. Olymp. XXVIII. cum Pauſania conſtitui debet, Meſſeniorum defectio, Tleſiaeque magiſtratus ex eiuſdem Pauſaniae calculo ſive ſententia ad annum $\frac{2}{3}$. Olymp XXIV, certiſſime referri debeat; quamvis Pauſanias ipſe ſibi non conſtans utrumque in anno 4 Olymp. XXIII. collocaverit.

Petavius quidem cum Tleſiae principatum, ſecundique belli principium anno 4. Olymp XXIII. adſcripſiſſet, belli finem ad annum 1. Olymp. XXVII. referendum eſſe putavit, adeoque in Pauſaniae textu pro ὀγδόης reſcribendum aſſerit ἑβδόμης. Graviſſima tamen Oxonienſis Marmoris, aliorumque Scriptorum auctoritas perſpicue oſtendit Tleſiae principatum ad Olymp. XXIV. referendum eſſe. Ita pulcherrimo Strabonis loco ad Olymp. XXVIII oſtendam Meſſeniacum bellum Olymp. XXVIII. diremptum fuiſſe; quemadmodum ex altero quoque Pauſaniae loco, qui mox proferetur, perſpicue apparet Irae cladem ad Oly XXVII. revocari non poſſe. Denique, quum prima *Chionis* victoria in Olymp XXVIII. certiſſime inciderit, Irae expugnatio huius Olympionicae nomine inſignita ad ſuperiorem Olympiadem XXVII. transferri non debet. Itaque Pauſanias non in definiendo Irae excidio, ſed in obſidionis bellique initio conſtituendo, fallitur. Ita quoque Pauſanias ipſe vel fallitur, vel error aliquis in ipſius textum irrepſit ubi Meſſeniis poſtliminio in patriam reſtitutis ait [1]: Κατῆλθον δὲ ἐς Πελοπόννησον οἱ Μεσσήνιοι, καὶ ἀνεσώσαντο τὴν αὐτῶν, ἑπτὰ καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ διακοσίοις ἔτεσιν ὕϛερον μετὰ Εἴρας ἅλωσιν Δυσκινήτου μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, τρίτῳ δὲ ἔτει τῆς δευ-

(1) Meſſen. c. 28.

δευτέρας καὶ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Δάμων Θούριος τὸ δεύτερον ἐνίκα *Rediere in Peloponneſum Meſſenii, reſque ſuas poſtliminio recepere, ducentis ipſis & octoginta ſeptem annis poſt Irae expugnationem, Dyſcineto Athenienſium ſupremum magiſtratum gerente, Olympiadis centeſimae ſecundae anno tertio, qua Damon Thurius victor iterum renunciatus eſt*. Omnino reſcribendum ἐννενήκοντα *nonaginta*; nam ab anno 1. Olymp XXVIII. qua Ira direpta fuit, ad annum 3. Olymp. CII. 297. ſolidi anni interceſſere.

Denique corrigendus hic obiter Euſebii locus, ubi ad Olymp XXXVI. annum 3. Poëta *Myrtaeus* vocatur. Μυρταῖος Ἀθηναῖος ποιητὴς ἐγνωρίζετο *Myrtaeus Athenienſis Poëta agnoſcitur*. Reſcribendum Τυρταῖος, ut ex Pauſaniae, aliorumque teſtimoniis apparet.

An. $\frac{3}{4}$. Lyſias Athenis Archon III.

Numa Pompilius Rex II. anno 35.

De Lyſiae nomine ſimulque ſitu in Archontum Faſtis tum ſuperiori loco, tum in Faſtis Atticis [1] fuſe diſputatum: ubi perſpicuis certiſque rationibus contra Palmerium, Lydiatum, Prideauxium oſtendi Lyſiam hunc in Oxonienſi Marmore nominatum cum Tleſia a Pauſania memorato confundi non poſſe, eiuſque principatum ad annum $\frac{3}{4}$. Olymp. XXIV. referendum eſſe, quo Tyrtaeus Lacedaemonios ferro dimicantes anapaeſtis, elegiſque in Meſſenios incitavit.

OLYMPIAS XXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4034. Vrb. Cond. 74.
. . . . Athenis Archon IV.

Numa Pompilius Rex II. anno 36.

Thalpius Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Quumque *tethrippi* certamen adiectum foret, primus in illo palmam obtinuit Paton Thebanus, ut Africanus ipſe

(1) Tom. II. pag. 84.

ipſe teſtatur: Προσετέθη τέθριππον, καὶ ἐνίκα Πάτων Θηβαῖος *additus eſt tethrippi*, ſive quadrigae, *certamen*, *vicitque Paton Thebanus*. Ita Pauſanias [1]: Πέμπτῃ δὲ ἐπὶ ταῖς εἴκοσι κατεδέξατο ἵππων τελείων δρόμον. καὶ ἀνηγορεύθη Θηβαῖος Παγώνδας κρατῶν ἅρματι *quinta ſupra viceſimam Agon Olympiacus iuſtae aetatis equorum curſum admiſit, curru vicit Pagondas Thebanus*. Vbi vides non modo victorem illum non *Patonem*, ſed *Pagondam*, vocari; verum etiam illud certaminis genus, quod ab Africano *tethrippus* vocatur, a Pauſania *perfectorum equorum curſum* appellari.

An. 4. Hoc anno Gelam in Sicilia, atque Phaſelidem in Pamphylia aedificatas eſſe ſcribit Hieronymus. Vtrumque nitide ab Athenaeo [2], Pauſania [3], Herodoto [4], aliiſque traditur, qui ab Antiphemo Lindio Gelam, a Lacio ipſius fratre Phaſelida coloniam deductam eſſe memorarunt.

Hieronymus ipſe hoc eodem anno adnotavit: *Glaucus Chius primus ferri inter ſe glutinum excogitavit, & iunxit*. Pauſanias quoque ubi ex Herodoto donaria a Lydorum Regibus Apollini Delphico oblata memoravit, ferream eius crateris baſim ſua quoque aetate ſuperſtitem fuiſſe dicit [5], qui ab Alyatte rege dicatus fuerat: τῦτο Γλαύκȣ μὲν ἐςὶν ἔργον τȣ̃ Χίȣ, σιδήρȣ κόλλησιν ἀνδρὸς εὕροντος *eam fecit Glaucus Chius, qui primus ferri artem ferruminandi excogitavit*. Alyattis Regis initium in Euſebii Chronico ad annum 2. Olymp. IX. revocatur, quo Glaucus ille Chius floruiſſe poterat; donarium tamen illud ante annum. 4. Oly. XII. oblatum fuerit, qui cum 14. poſtremoque Alyattis concurrit. Quod ſi Crater ille a Salyatte Ardys filio dicatus dicatur, Salyattes Euſebio teſte anno 2. Oly. XXXVIII. regnum ſuſcepit, quo Glaucus adhuc ſuperſtes eſſe poterat. Corrigendus autem hic obiter Stephanus [6], qui Glaucum hunc modo *Lemnium*, modo *Samium* appellat.

OLYM-

(1) Eliac. I. c. 8. (2) Lib. VIII. (3) Arcad. c. 46. (4) Polyhymn. (5) Phoc. c. 16. (6) In Αἰθάλια.

OLYMPIAS XXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4038. Vrb. Cond. 78.
. . . . Athenis Archon VIII.

Numa Pompilius Rex II. anno 40.

Calliſthenes Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Philombrotus etiam & ipſe Lacon *pentathlo* tribus Olympiadibus ab Africano viciſſe dicitur.

Africanus hac Olympiade *Carnia*, hoc eſt citharoedicum certamen, in Carniorum feſto Lacedaemone inſtitutum eſſe ſcribit; *Κάρνια ἐτέθη πρῶτον ἐν Λακεδαίμονι κιθαρῳδῶν ἀγών. Carnia, citharoedorum certamen, Lacedaemone primum conſtitutum fuit.* Celeberrimi Feſti huius originem graviori Athenaei[1] teſtimonio confirmaſſe iuverit, qui de Anacreontis, ac Terpandri aetate diſſerens ait: *ὅτι δὲ καὶ Τέρπανδρος ἀρχαιότερος Ἀνακρέοντος, δῆλον ἐκ τούτων. τὰ Καρνεῖα πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ, ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνεονίκαις κἀν τοῖς καταλογάδην. ἐγένετο δὲ ἡ θέσις τῶν Καρνείων κατὰ τὴν ἕκτην, καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὡς Σώσιμός φησιν ἐν τῷ περὶ Χρόνων Anacreonte vero Terpandrum eſſe vetuſtiorem, hoc argumento eſt, quod in Carneis omnium primus vicerit, ut ſcribit Hellanicus in ſuis metris ſigillatim recenſens in Carneis victoriam aſſequutos. Sunt autem Feſti dies illi viceſima ſexta Olympiade inſtituti, ut ait Soſimus Libro de Temporibus.*

Quo vero anni tempore feſtum illud perageretur, adeoque quem locum in civilibus Athenienſium annis *Carnius* Laconum menſis obtineret, perſpicuis Herodoti, & Plutarchi teſtimoniis in Faſtis Atticis[2] demonſtravi. Illud unum hic obſervaſſe nunc libet, quod *Carniorum* feſta Cyrene quoque in Lybia celebrari conſueverant, quum Lacedaemonii Batto duce prius in Calliſtem, vel Theram inſulam, deinde ex Thera ipſa Cyrenem in coloniam migraſſent, adeoque ibi quoque patria Laconum Feſta celebrarent. Vario tamen diſtinctoque anni tempore a Cyrenenſibus, atque Laconibus

(1) Lib. XIV. c. 9. (2) Tom. II. pag. 452.

unum idemque *Carniorum* Feſtum peragi conſueviſſe obſervavi. Siquidem Plutarchus [1] de Carneadis Cyrenenſis ortu loquens ait: ὁ δὲ Φλῶρος γὰρ Καρνεάδην ἀπαξιῶν ἔφη μνήμης ἐν τοῖς Πλάτωνος γενεθλίοις, ἄνδρα τῆς Ἀκαδημίας εὐκλεέστατον ὀργιαστήν. Ἀπόλλωνος γὰρ ἀμφοτέρους ἑορτῇ γενέσθαι. τὸν μὲν γὰρ Θαργηλίοις Ἀθήνησι, τὸν δὲ Κάρνεια Κυρηναίων ἀγόντων. ἑβδόμῃ δὲ ἀμφοτέρας ἑορτάζουσι, καὶ τὸν θεὸν, ὡς ταύτῃ γενόμενον, ὑμεῖς (εἶπε) οἱ προφῆται, καὶ οἱ ἱερεῖς ἑβδομαγένην καλεῖτε. *Florus autem Carneadem quoque nolebat praeteriri in Platonis natalitiis, Academiae nobiliſſimum Antiſtitem. Ambos enim natos Feſto Apollinis die: Platonem Athenis quum Thargelia agerentur; Carneadem Cyrene quum ibi Carnia celebrarentur. Vtrumque Sacrificium in ſeptimam diem incidit, & vos Vates, atque Sacerdotes Apollinem, ut ea die natum, Hebdomagenem quaſi ſeptima natum appellatis.* Itaque, ſi una eademque *ſeptima* Thargelionis Attici die Apollo, Plato, & Carneades nati dicantur, Carnia Feſta Cyrene *ſeptima* Thargelionis Attici die celebrata cenſeri debent; quum tamen ea Spartae non *ſeptima*, ſed *quartadecima* menſis die, hoc eſt plenilunio, ſecundoque Attico menſe, vel Metagitnione, peragerentur.

OLYMPIAS XXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4042. Vrb. Cond. 82.
. . . . Athenis Archon XII.

Numa Pompilius Rex II. anno 44.

Eurybus Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Pauſanias [2] tamen victorem hunc *Euribotum* vocavit, ut in anno 4. mox oſtendetur; atque ille in Dionyſio mox ad annum 2. proferendo *Eurybates* appellatur.

An. $\frac{1}{2}$. Leoſtratus Athenis Archon XIII.

Tullus Hoſtilius Rex III. an. 1.

Vtrumque nitide, diſerteque tradit Dionyſius Halicarnaſſeus [3]: Οὗτος δὲ ἦν, ἐν ᾧ τὴν ἡγεμονίαν (ὁ Τύλλος Ὁστίλιος)

(1) Symp. Lib. VIII. qu. 1. (2) Corinth. c. 24. (3) Lib. III. num. 1.

λιος) παρέλαβεν ὁ δεύτερος ἐνιαυτὸς τῆς ἑβδόμης καὶ εἰκοςῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ενίκα ςάδιον Εὐρυβάτης Ἀθηναῖος Ἄρχοντος Λεοςράτȣ annus autem *hic quo regnum* Tullus Hoſtilius *adeptus eſt, fuit ſecundus viceſimae ſeptimae Olympiadis, qua in ſtadio vicit Eurybatus Athenienſis.*

An. 3. Euſebius ad annum hunc adnotavit: Γύμνη παιδεία πρῶτον ἐν Λακεδαίμονι ἤχθη *Gymnopaedia primum Lacedaemone acta fuit*. Ac certe quidem Gymnopaedias Lacedaemone agitari conſueviſſe non modo Heſychius (1), Suidas (2), Plutarchus (3), ſed Pauſanias (4) quoque omnium accuratiſſime demonſtravit, qui quum ſupra forum Spartae Apollinis, Dianae, ac Letûs ſtatuas collocatas eſſe dixiſſet, ſubdit: Χορὸς δὲ ἔτος ὁ τόπος καλεῖται πᾶς, ὅτι ἐν ταῖς Γυμνοπαιδίαις (ἑορτὴ δὲ, εἴτις ἄλλη, καὶ αἱ Γυμνοπαιδίαι διὰ σπȣδῆς Λακεδαιμονίοις εἰσίν) ἐν ταύταις ȣν οἱ ἔφηβοι χορȣς ἱςᾶσι τῷ Ἀπόλλωνι *Chorus autem tota ea fori pars dicitur, ob eam cauſſam quod Gymnicis puerorum ludis* (Gymnopaedias ipſi vocant) *qui maxime ſolennes ſunt, puberes Apollini choros agitant*. Itaque, ſi Chorus ille, vel Ephebørum nudorum cantus hac Olympiade inſtitutus fuit, praeclare fallitur Suidas, qui id a Lycurgo inſtitutum eſſe ſcribit; quemadmodum certe Scriptor ipſe etiam fallitur, ubi choros illos in eorum honorem inſtitutos ait, qui in Thyreatico bello occubuerant: quum Thyreaticum bellum Olympiade LIX. exarſerit; licet a Solino (5) in anno 17. Romuli, ab Euſebio in anno 4. Olymp. XIV. collocetur.

An. 3/4. Piſiſtratus Athenis Archon XV.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 3.

Pauſanias (6) ubi de bello loquitur, quo Argivi Lacedaemonios ad Hyſias ſuperarunt, ait: Τὸν δὲ ἀγῶνα τȣ̃τον συμβάντα εὕρισκον Ἀθηναίοις Ἄρχοντος Πεισιςράτȣ, τετάρτῳ ἔτει τῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Εὐρύβοτος Ἀθηναῖος ἐνίκα ςάδιον *quod praelium inter ipſos factum invenio, Piſiſtrato apud Athenienſes ſum-*

 mum

(1) In Γυμνοπαιδεία. (2) In Γυμνοπαιδεία. (3) De Muſica. (4) Lacon. c. 11. (5) Cap. 13. (6) Corinth. cap. 24.

mum magiſtratum gerente, anno quarto eius Olympiadis, qua Eurybatus Athenienſis de curriculo victor renunciatus eſt.

OLYMPIAS XXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4046. Vrb. Cond. 86.
Autoſthenes Athenis Archon XVI.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 4.

Charmis Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Pauſanias tamen, ut mox oſtendetur, victorem illum non *Charmidem*, ſed *Chionem*, appellavit; nulluſque dubito quin Africani textus ex Pauſania corrigendus ſit. Etenim Pauſanias Chionem [1] *ter* Olympia viciſſe dicit, earumque victoriarum memoriam in titulo ipſi in Olympia poſito conſervari. Accedit etiam quod Pauſanias Olymp. XXIX. Chionem *iterum* viciſſe; atque Olymp. XXX. *tertio* palmam retuliſſe dicit; adeoque perſpicue ſatis oſtendit primam ipſius victoriam ad Olymp. hanc XXVIII. referendam eſſe. Itaque vel Chionis ille alio nomine *Charmis* etiam appellabatur, vel in Africano *Chionis* reſcribi debet; vel denique, ſi Scriptores illos aliqua ratione componere hic liceat, Olymp. XXVIII. Charmis ſtadio, Chionis alio certaminis genere victor fuit; quamvis Pauſanias ubi victoris Olympici nomen adiungit, ſolos *ſtadionicas* deſignare conſueverit. Olympiadem autem hanc a Piſaeis celebratam eſſe Africanus ipſe obſervavit, quod Elidenſes in bello adverſus Dymaeos occupati forent: Ταύτην ἤξαν Πισαῖοι Ἠλείων ἀσχολουμένων διὰ τὸν πρὸς Δυμαίους πόλεμον *hanc* Olympiadem *celebrarunt Piſaei Eleis in bello contra Dymaeos occupatis*.

Meſſeniacum Bellum II. hoc anno Irae excidio diremptum fuit. Pauſanias [2]: Ἑάλω δὲ Εἶρα· καὶ ὁ πόλεμος ὁ δεύτερος Λακεδαιμονίων, καὶ Μεσσηνίων τέλος ἔσχεν Ἀθηναίοις Ἄρχοντος Αὐτοσθένους, ἔτει πρώτῳ τῆς ὀγδόης τε καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Χίονις Λάκων *Ira capta finem habuit Meſſeniorum, & Lacedaemoniorum ſecundum bellum, gerente Athenis ſupremum civitatis honorem Autoſthene, anno primo octavae & viceſimae Olym-*

(1) Eliac. 1. c. 13. (2) Meſſen. c. 23.

Olympiadis, cuius victor extitit Chionis Laco. Atque eiusmodi quidem Pauſaniae locus una cum tribus aliis conferri debet, in quibus de belli initio, Tleſiaeque magiſtratu, atque de Meſſeniorum reditu, & Dyſcinero Archonte, tandemque de Miltiade, ac Meſſeniorum appulſu in Siciliam ille loquitur, ut ad an. 3. Olymp. XXIV. obſervavi, proximaque etiam Olympiade exponetur.

Ac ne dubitare quis poſſit Meſſeniaci belli finem in Olympiadem hanc incidiſſe, inſignem Strabonis locum ſubieciſſe nunc libet, qui, niſi rite intelligatur, facile cuipiam fraudi eſſe poſſet. Memorat Strabo (1) Olympicis Ludis in Elide celebratis olim Eleos regionis dominos praefuiſſe, idque ad *ſextam* uſque *ac viceſimam* Olympiadem a *prima*, qua Coroebus Elienſis palmam retulerat; mox Piſaeos Elidem invadentes Olympiis illis praeſediſſe dicit; tandemque ſubdit: *Χρόνοις δ' ὕστερον μεταπεσούσης πάλιν τῆς Πισατίδος εἰς τοὺς Ἠλείους μετέπεσε πάλιν εἰς αὐτοὺς καὶ ἡ ἀγωνοθεσία. Συνέπραξαν δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι μετὰ τὴν ἐσχάτην κατάλυσιν τῶν Μεσσηνίων, συμμαχήσασιν αὐτοῖς aliquot poſt temporibus Piſaea rurſus plaga in Eleorum iura concedente, denuo ad eoſdem conceſſit Agonis & Ludorum inſtitutio. Lacedaemonii quoque ad id ſuam operam contulerunt poſt ultimam Meſſeniorum deſtructionem, contra quos ipſi ſocia arma coniunxerant.* Quis hic aperte non videat a Strabone *primam* Olympiadem Coroebi victoria inſignem, moxque proximas *ſex ac viginti* Olympiadas ab Eleis indictas atque peractas affirmari, moxque Piſaeos Olympiorum curam decuſque ſibi vindicaſſe; quemadmodum prorſus ſuperiori Africani teſtimonio erudimur XXVIII. Olympiadem non ab Eleis, ſed a Piſaeis celebratam eſſe? Itaque, quum Strabo ſubdat *poſt ultimam Meſſeniorum deſtructionem* Olympiorum decus ad Eleos iterum Lacedaemoniis etiam opem ferentibus rediiſſe, conſtantique Scriptorum teſtimonio appareat Olympiadi XXIX. Eleos praefuiſſe, perſpicue certoque colligitur, Meſſeniorum deſtructionem, neque ad Olymp. XVII cum Petavio, neque ad XXIX. transferri poſſe; ſed in Olympiade XXVIII. certiſſime collocandam eſſe; adeoque II. belli principium, Tleſiaeque principatum non anno 4 Olymp. XXIII. cum Pauſania, ſed Olymp. XXIV. adſcribendum eſſe

OLYM-

(1) Lib. VIII.

OLYMPIAS XXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4050. Vrb. Cond. 90.
Miltiades Athenis Archon XX.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno. 8.

Chionis Lacon Olympia iterum *ſtadio* vicit ex Africano. Ita Pauſanias [1], quum Meſſenios a Lacedaemoniis victos, atque e patria extorres Zanclen Siciliae urbem expugnaſſe, ipſique *Meſſenes*, ſive *Meſſanes* nomen indidiſſe dixiſſet, ſubdit: Ταῦτα δὲ ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπράχθη τῆς ἐνάτης καὶ εἰκοστῆς, ἣν Χιόνις Λάκων τὸ δεύτερον ἐνίκα Μιλτιάδου παρ᾽ Ἀθηναίοις Ἄρχοντος *haec geſta ſunt undetriceſima Olympiade, qua iterum vicit Chionis Lacon, principatu civitatis apud Athenienſes fungente Miltiade*. Miltiadem autem hunc, quem *undetriceſima* Olympiade imperaſſe conſpicimus, non alteri, quam 1. eiuſdem anno conceſſerim. Etenim Pauſanias narrato Irae excidio, quod anno 1. Olymp. XXVIII. contigerat, ait Meſſenios inſtante hieme prope Cyllenem conſediſſe, eoſque ineunte vere ab Anaxila Rhegii tyranno in Italiam accitos eſſe, ut Zanclen Siculorum urbem ſibi infeſtam expugnarent, quod Anaxilae copiis adiuti praeſtiterunt, mutatoque nomine pro *Zancle Meſſenem* appellarunt. Itaque rerum hic a Meſſeniis geſtarum ſeries vix patitur, ut Meſſenes obſidio, & caſus ultra Olymp inſequentis XXIX. initium protrahatur; adeoque Miltiades facilius ad 1. quam ad ceteros eius Olympiadis annos, referri debebit.

Euſebius hac Olympiade Archilochum, Simonidem, Ariſtoxenum, & Zaleucum floruiſſe dicit: Ἀρχίλοχος, καὶ Σιμωνίδης, καὶ Ἀριστόξενος οἱ μουσικοὶ ἐγνωρίζοντο. Ζάλευκος ὁ νομοθέτης Λοκρῶν ἤκμαζεν *Archilochus, & Simonides, & Ariſtoxenus Muſici celebres erant. Zaleucus Locrorum Legislator florebat.* Sed Ariſtoxenus ille ad Olym CX. Zaleucus ad Olymp. LX Simonides ad LXX. referri debet, ut ſuis in locis opportune demonſtrabitur.

Etiam Arion Methymnaeus Cyclis filius hac Olympia-

(1) Meſſen. c. 23.

piade vixiſſe, citharaque agonem in Sicilia viciſſe dicitur. Solinus (1): *Taenaron eſt promontorium Africae, in quo fanum eſt Methymnaei Arionis, quem Delphine eo advectum imago teſtis eſt ad effigiem caſus & veri operis, expreſſa aere. Praeterea tempus ſignatum; Olympiade enim undetriceſima, qua in certamine Siculo idem Arion victor ſcribitur, id ipſum geſtum probatur*. De Arione ipſo plura Fabricius (2).

OLYMPIAS XXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4054 . . . . Vrb. Cond. 94.
. . . . Athenis Archon XXIV.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 12.

Chionis Lacon tertium *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Pauſania; cuius verba mox proferentur.

Africanus ipſe Olympiadem hanc, ceteraſque 22. mox inſequentes a Piſaeis celebratas eſſe teſtatur: Πισαῖοι Ἠλείων ἀπόςαντες ταύτην τε ἤξαν, καὶ τὰς ἑξῆς κβ *Piſaei ab Eleis deficientes hanc & viginti duas proxime ſequentes* Olympiades *celebrarunt* Quandoquidem tamen Pauſanias, ut ad Olympiadem VIII obſervavi, nitide diſerteque tradit Olympiadas VIII. XXXIV. & CIV. ab Elidenſibus *Anolympiadas* cenſeri quod ab ipſis celebratae non forent, nihilque prorſus de Olympiadibus aliis adiecit, Africani auctoritas hac in parte levior, atque ſuſpecta eſſe debet: quum praeſertim inſignis etiam Strabonis locus ad Olymp. XXVIII iam prolatus egregie confirmet Meſſeniaco bello confecto Olympiadum ius ad Eleos rediiſſe.

Ann. $\frac{1}{2}$. Miltiades Athenis Archon XXV.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 13.

Miltiadis Archontis meminit Pauſanias (3) ubi Phigaliam Arcadum urbem a Lacedaemoniis occupatam eſſe teſtatur: Ἐγένετο δὲ τῆς Φιγαλίας ἅλωσις, καὶ Φιγαλέων ἡ ἐξ ἀν-

(1) Cap. 13. (2) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 574. (3) Arcad. c. 39.

αὐτῆς φυγὴ, Μιλτιάδȣ μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς τριακοςῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Χιόνις Λάκων ἐνίκα τὸ τρίτον *exciſa eſt Phigalia, Phigalenſibus omnibus eiectis, Miltiade ſummum Athenis magiſtratum gerente, Olympiadis triceſimae, qua tertiam palmam tulit Chionis Lacon, anno ſecundo.*

An. 3. Cypſelus Corinthiorum tyrannidem arripuiſſe dicitur ab Euſebio: Κύψελος Κορινθίων ἐτυράννησεν *Cypſelus Corinthiorum tyrannidem arripuit*. Id optime ab Euſebio, vel antiquiore potius Auctore, quem Euſebius exſcripſerat, conſignatum eſſe Periandri vita, tempuſque ſuſceptae ab illo tyrannidis oſtendit. Etenim Periander Cypſeli filius anno 1. Olymp. XXXVIII. morienti patri ſucceſſit, ut ad annum illum demonſtrabitur; adeoque Cypſelus ipſe 30. ſolidis annis imperium tenuiſſe videtur. Certe Herodotus (1), & Ariſtoteles (2) Cypſelum hunc Periandri patrem 30. annis regnaſſe tradit; licet Euſebius (3) nonniſi 28. tyrannidis annos ipſi concedat. Euſebius ipſe de tyrannidis huius initio loquens ex Diodoro memorat initium Cypſeli ὑςηρῆσαι τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδȣ *poſterius fuiſſe Heraclidarum reditu* annis 447. Itaque, quum Heraclidarum reditus anno P. I. 3611. contigerit, Cypſeli initium in annum P. I. 4058., hoc eſt 1. Olymp. XXXI. proxime incidiſſe debuit. Exinde vero perſpicue apparet *Prytanes*, qui ſublatis Corinthi Regibus ex Bacchiadarum gente quotannis eligi conſueverant, 122. numerandos eſſe. Regum ultimus ex Pauſania (4) Teleſtes fuit: Καὶ Τελέςην κατὰ ἔχθος Ἀριεὺς καὶ Περάντας κτείνȣσι. βασιλεὺς δὲ ȣδεὶς ἔτι ἐγένετο. Πρυτανεῖς δὲ ἐκ Βακχιαδῶν ἐνιαυτὸν ἄρχοντες ἐς ὃ Κύψελος τυραννήσας ὁ Ἠετίωνος ἐξέβαλε τȣς Βακχιάδας *Teleſte ab Arieo, & Peranta de medio ſublato, regno finis impoſitus. Prytanes enim deinceps ex Bacchiadarum gente annuum imperium tenuerunt. Hos, tyrannide occupata, Cypſelus Eetionis filius expulit.* Ergo, quum Teleſtis obitus, Prytanumque inſtitutio duobus annis Olympiadas praeceſſerit, ut in Euſebio (5) reperitur, inter Teleſtis mortem, Cypſelique initium 122. anni, adeoque totidem Prytanes annui, admitti debent. Video quidem quod Diodorus apud Euſebium (6) ait: Ἐξ αὐ-

(1) Lib. V. pag. 369. (2) Polit. Lib. V. c. 12. (3) Lib. I. pag. 40. (4) Corinth. c. 4. (5) Lib. 1. p. 35. (6) Chr. I. p. 33.

αὐτῶν Βακχιαδῶν ἕνα κατ' ἐνιαυτὸν ἡρῶντο Πρύτανιν, ὃς τὴν τῦ βασιλέως εἶχε τάξιν ἐπὶ ἔτη Ϟ μέχρι τῦ Κυψέλυ τυραννίδα *ex Bacchiadis ipſis Prytanim unum quotannis eligebant, qui Regis vicem gerebat, per annos 90. uſque ad Cypſeli tyrannidem.* Sed calculus ille a melioribus Euſebii, aliorumque Scriptorum teſtimoniis abhorret.

Eiuſmodi vero Cypſelidarum tyrannis 74. ſolum annis obtinuit, quibus Cypſelus ipſe, eiuſque filius Periander regnarunt. Siquidem Lycophron Periandri filius natu minor a Corcyraeis occiſus fuit [1]; Cypſelus autem avo cognominis Herodoto, ac Laertio teſte mentis impos, adeoque imperio ineptus fuit. Quinetiam oraculum Cypſelo redditum perſpicue oſtendit ipſius nepotes imperii expertes eſſe futuros.

Κύψελος Ἠετίδης βασιλεὺς κλεινοῖο Κορίνθυ
Αὐτὸς καὶ παῖδες, παίδωνγε μεν ὔκετι παῖδες
Cypſelus Eetionis filius Rex celebris Corinthi
Ipſe & filii, non tamen filiorum filii.

Quod ſi Strabo [2] dicit quod Κύψελος τὺς Βακχιάδας καταλύσας ἐτυράννησε, ϗ μέχρι τριγονίας ὁ οἶκος αὐτῦ συνέμεινε *Cypſelus, cum Bacchiadas eieciſſet, tyrannidem occupavit, eiuſque domus ad tertiam uſque generationem permanſit*; atque Aelianus [3] Καλῶς τὸ Δαιμόνιον ἐπὶ τριγονίαν τυραννίδας μὴ ἄγον, ἀλλὰ ἢ παραχρῆμα ἔκτριβον τυράννυς πίτυος δίκην, ἢ παίδων ἐξισχῦον *recte Deus Tyrannides ad tertiam generationem non producit; ſed aut confeſtim tyrannos tanquam piceas exſtirpat, aut in liberos eorum vim ſuam exercet*; Scriptores illi ita intelligi profecto debent quod leve quoddam imperii genus in Lycophrone quoque Periandri filio agnoverint; quamvis ille vere nec imperaverit, nec patri ſuperſtes fuerit. Haec vero notaſſe libuit ut Cl. Meurſii [4] ſententia refellatur, qui ut ambages de Arionis aetate dirimat binos *Cypſelos*, totidemque *Periandros* comminiſcitur; ut nempe Cypſelo Periander, huic Cypſelus, huic Periander alius ſucceſſerit Soloni ac Piſiſtrato coaevus, qui Arionem Methymnaeum Muſicae artis gloria celeberrimum Corinthi exceperit.

(1) Herod III. (2) Libr. VIII. pag. 378. (3) Var. Hiſt. Lib. VI. c. 13. (4) De Arch. Ath. Lib. I, c. 10.

Euſebius hoc anno Byzantium a Byza Thracum, vel ut aliis traditum, Megarenſium Rege conditum eſſe ſcribit.

An. 4. Leſches Lesbius, & Alcman hoc anno ab Euſebio memorantur: Λέσχης Λέσβιος ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα ποιήσας, καὶ Ἀλκμὰν ἤκμαζεν *Leſches Lesbius, qui parvam Iliadem compoſuit, & Alcman florebant.*

Ac de Alcmane quidem conſentit Suidas [1], qui ipſum levi diſcrimine Oly. XXVII memoravit: Ἀλκμὰν Λάκων ἀπὸ Μεσσόας κατὰ δὲ τὸν Κράτητα πτώοντα Λυδὸς ἐξ Σαρδέων λυρικὸς υἱὸς Δάμαντος, ἢ Τιτάρου. Ἦν δὲ ἐπὶ τῆς κζ´ Ὀλυμπιάδος βασιλεύοντος Λυδῶν Ἄρδυος τοῦ Ἀλυάττου πατρὸς .... κέχρηται δὲ Δωρίδι διαλέκτῳ καθάπερ Λακεδαιμόνιοι. Ἔστι δὲ ἕτερος Ἀλκμὰν εἷς τῶν Λυρικῶν, ὃν ἐνεγκεν ἡ Μεσσήνη *Alcman, Lacon, Meſſoates (ſecundum Cratetem vero Lydus, Sardibus oriundus) Lyricus filius Damanti, vel Titari. Vixit Olympiade XXVII. Ardye Alyattis patre in Lydia regnante .... Vſus eſt autem dialecto Dorica ut Lacedaemonii. Eſt & alius Alcman, unus Lyricorum, quem Meſſana tulit.* Cl. Fabricius hic adnotavit quod iuxta Strabonem [2] Μεσόα μέρος τῆς Σπάρτης *Meſoa Spartae* Vrbis *pars* erat; ſicuti a Stephano [3] τόπος Λακωνικῆς *Laconicae regio* appellatur. Sed ambiguum eſſe ſubindicat Fabricius an Alcman ipſe *Lydus Sardianus civitate Meſſoates*, ſive *Lacon* fuerit. Ego vero nullum omnino inter Scriptores diſſidium hic eſſe dixerim; quum Alcman origine quidem *Lydus*, Sardianuſque fuerit, in Laconicam vero civitatem, Meſoatemque pagum adſcitus *Lacon* evaſerit. Id Heraclides aperte ſignificat, qui de Alcmane ipſo loquens ait: οἰκέτης Ἀγησίδου, εὐφυὴς δὲ ὢν ἠλευθερώθη, καὶ ποιήτης ἀνέβη *ſervus Ageſidis, quum ingenio tamen excelleret, libertate donatus eſt, ac poeta evaſit.* Longe tamen illuſtrius id oſtendit Epigramma, quod ab Alexandro Aetolo confectum eſſe Salmaſius [4] obſervavit, licet a Plutarcho [5] ſine nomine proferatur.

Σάρδιες ἀρχαῖος πατέρων νόμος, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
Ἐτρεφόμην κέλσας ἢ τὶς ἀνὴρ μακέλας

Χρυ-

(1) In Ἀλκμάν. (2) Lib. VIII. p. 364. (3) In Μεσόα. (4) Ad Solin. pag. 825. (5) De Exilio.

Χρυσοφόρος, ῥήσσων καλὰ τύμπανα. νῦν δὲ μοὶ Ἀλκμάν
Οὔνομα, καὶ Σπάρτας εἰμὶ πολίτης,
Καὶ μύσας ἐδάην Ἑλληνίδας, ἅι με τυράννων
Θῆκαν Δασκύλεω κρείσσονα καὶ Γύγεω.

O mea, maiorumque meorum patria, Sardes,
Mihi in te ſi obtigiſſet educarier;
Rumperem in aurata cava nunc ego tympana veſte,
Magnae Sacerdos Matris, aut foedus ſpado.
Alcmanem nunc me Lacedaemon nomine civem
Agnoſcit, eruditum Graiis literis:
Quae me non paulo veſtris fecere tyrannis
Praeſtantiorem, ſeu Gyge, ſive Daſcyle.

Itaque dubitari non poterit quin Alcman origine *Sardianus* fuerit, Spartamque deinde vel ſervus vel captivus advenerit, ubi libertate, civitateque donatus vixerit.

Quod vero Fabricius adiecit ea de cauſſa temere Alcmanem alium Lyricum ex *Meſſene* oriundum a Suida procuſum fuiſſe, quod Alcman Lyricus *Meſoates* fuerit, probari vix poterit; quum nitide utrumque Suidas ipſe diſtinguat. Facilius error ille ab aliquo antiquiore admiſſus fuerit, quem imprudenter Suidas exſcripſit.

Leſches autem, ſive, ut a Pauſania vocatur, *Leſcheus* Aeſchyleni filius Pyrrhaeus erat, atque *Ilioperſida*, Ilii nempe excidium carminibus celebravit, cuius Pauſanias ipſe, Athenaeus, aliique plurimi meminere.

OLYMPIAS XXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4058. Vrb Cond. 98.
. . . . Athenis Archon XXVIII.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 16.

Chionis Lacon *ſtadio* tertium vicit Olympia ex Africano, licet *tertiam* Chionis victoriam Pauſanias in ſuperiori Olympiade collocaverit. Sed obſervari facile poterit quod Pauſanias [1] ipſe teſtatur *Anchionem* Lacedaemonium *ſepties*

 in

(1) Lacon. c. 14.

in Olympicis Ludis victoriam retuliſſe; quater nimirum *ſtadio*, ter *diaulo* ſuperaſſe, earumque victoriarum numerum in ſtela Spartae poſita memorari. Anchionis autem ille, ut in *Agoniſticis* [1] obſervavi, unus idemque fuit qui *Chionis* a Pauſania in locis aliis [2] vocatur. Etenim Pauſanias in *Laconicis*, & *Eliacis II.* diſerte docet Anchionidis aetate nondum armatorum curſum invectum fuiſſe, quod Olymp. LXV. inſtitutum eſſe oſtendemus. Ergo Anchionis victoriae Olymp. hanc praeceſſere; quumque Olympionicarum ſeries ac Faſti ante Olympiadem illam pleni ſint, nullus Anchionis victoriis locus erit, niſi cum Chione confundatur. Accedit etiam quod Anchionis ille quater Olympiorum victor una cum Batto ex Thera inſula in Libyam migraſſe, ibique Cyrenem coloniam condidiſſe dicitur a Pauſania [3]. Itaque, quum Batti migratio, ac Cyrenes aedificatio an. 3 Olymp. XXXVII. contigerit, ut in Euſebii Chronico, aliiſque Scriptoribus memoratur, Anchionis ille cum Chione confundi, adeoque facile vitiatus ille Pauſaniae locus ita reſtitui debet, ut in ipſo quoque *Chionis* legatur. Quod ſi Anchionis, hoc eſt Chionis ipſe, *quater* in Olympicis Ludis *ſtadio* ſuperavit, perſpicue apparet ex Pauſaniae calculo primam ipſius victoriam Olymp. XXVIII. contigiſſe; ideoque facile Pauſaniae teſtimonium Africani teſtimonio praeferri oportere.

An. 2. Euſebius hoc anno adnotavit: Φάλαρις Ἀκραγαντίνων ἐκράτησε *Phalaris Agrigentinorum imperium occupavit*; eiuſque tyrannidis finem in anno 1. Oly. XXXVIII. collocavit. Suidas tamen Phalaridis initium in Oly. LII. conſtituit; atque Oroſius Phalaridis aetatem cum Cyri aetate componit: ut proinde immane diſſidium inter Scriptores habeatur. Quid in hac parte veriſimilius conſtitui poſſit in Olymp. LVII. indicabitur. Interim monuiſſe iuverit Phalaridem hunc Laodamantis filium, patriaque Aſtipalaeenſem fuiſſe.

Memorat etiam Euſebius ipſe in Ponto Boriſthenem, Selinuntem in Sicilia, Lampſacum, & Abderam conditas fuiſſe. At Abdera quidem ab Hercule aedificata iam fuerat, ut in Farneſiano Marmore illuſtrando iam monui; ſed, ut So-

(1) Pag. 120. (2) Meſſen. c. 23. Arcad. c. 39. (3) Lacon. c. 14.

Solini (r) verbis utar, *hanc Abderam Olympiade prima & triceſima ſenio collapſam Clazomenii ex Aſia ad maiorem faciem reſtitutam .... nomini ſuo vindicarunt*. Itaque κτίσεως nomine non prima aedificatio, ſed inſtauratio, hic alibique ſaepius intelligi debet.

OLYMPIAS XXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4062. Vrb. Cond. 102.
. . . . Athenis Archon XXXII.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 20.

Cratinus Megarenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Comaeus etiam ignotae patriae, quum ignoto certaminis genere una cum duobus fratribus dimicaſſet, palmam obtinuit. Africanus: Ὅτε καὶ Κομαῖος τρίτος ἀδελφῶν ἀγωνισάμενος ἐνίκα *quando Comaeus etiam fratrum dimicantium tertius certans victoriam obtinuit*. Scaliger hunc πύγμην *pugilatu* viciſſe dicit, quod cetera, opinor, certaminum genera nondum inſtituta putaverit, quae proximis certe Olympiadibus invecta fuiſſe mox demonſtrabitur. Quumque *puerorum pugilatus* Oly. XLI. receptus fuerit, Comaeus ille virorum pugilatu iam inde ab Olymp. XXIII. inſtituto certaſſe debuit.

OLYMPIAS XXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4066. Vrb. Cond. 106.
. . . . . . Athenis Archon XXXVI.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 24.

Gyges Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Lygdamis Syracuſius *pancratio* tunc inſtituto palmam obtinuit. Africanus: Προσετέθη παγκράτιον, καὶ ἐνίκα Λύγδαμις Συρακούσιος *adiectum eſt pancratium, vicitque Lygdamis Syracu-*

(r) Cap. 15.

cuſanus. Ita Pauſanias(1): ὀγδόῃ δὲ ἀπὸ πέμπτης ἐπὶ ταῖς εἴκοσι ἐσέλθοντας ἐπὶ τὸ παγκράτιον ὁ Λύγδαμις συγκατειργάσατο Συρακούσιος *octava autem poſt viceſimam quintam* Olympiade *evertit in pancratio adverſarios Lygdamis Syracuſanus*. Denique Solinus (2) *Syracuſanus Lygdamis tertia & triceſima Olympiade primus ex Olympiis certamine pancratii coronam reportavit*.

Craoxides vero Cranonius *celete* recens invento viciſſe dicitur a Pauſania (3): ἐδέξατο παγκρατιαστήν τε ἄνδρα, καὶ ἵππον κέλητα, ἵππος μὲν δὴ Κραννωνίου Κραυξίδα παρέφθη . . . . *qui toto corpore certaret*, Pancratiaſten vocant, & *deſultorius equus in curriculum rediere. Antevertit omnes equa Crauxidae Cranonii*. At in mutilo Africani loco ita legitur Προσετέθη καὶ . . . . . . , καὶ ἐνίκα Πραξίλλας Θέσσαλος *additus etiam fuit* . . . . . , *vicitque Praxillas Theſſalus*.

Piſander Camiraeus hac Olympiade iuxta quosdam floruiſſe dicitur a Suida; quamvis a pluribus Eumolpo aequalis, adeoque Heſiodo antiquior haberetur. Is Herculis geſta duobus Libris complexus eſt, quos Ἡρακλείαν inſcripſit, ut in explicando Farneſiano Marmore opportunius obſervavi.

An. 2. Euſebius: Τέρπανδρος Μουσικὸς ἐγνωρίζετο *Terpander Muſicus celebris erat*. De illo tamen accuratius proxima Olympiade loquendum erit. Illud unum hic obſervaſſe iuverit quod Terpander ipſe Plutarcho (4) teſte quatuor continuis Pythiadibus vicit: quod argumento eſſe poterit Pythiadas ante Olymp. XLVII. & IL. peragi conſueviſſe, qua *coronarius* Agon eſt inſtitutus.

OLYMPIAS XXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4070. Vrb Cond. 110.
Dropilus Athenis Archon XL.

Tullus Hoſtilius Rex III anno 28.

Stomas Athenienſis *ſtadio* viciſſe dicitur Olympia ab Africano: Στόμας Ἀθηναῖος. Haec etiam Olympias a Piſaeis cele-

(1) Eliac. I. c. 8. (2) Cap. 14. Vid. Plin. II. c. 18. (3) Eliac. I. c. 8. (4) De Muſica.

lebrata fuit duce Pantaleone Omphalionis filio, Piſaeorumque Rege, ut Pauſaniae verbis in Oly. VII. demonſtravi.

Terpander Lesbius Derdenei filius in Oxonienſi Chronico dicitur nomos lyricos inveniſſe [1]: Ἀφ' οὗ Τέρπανδρος ὁ Δερδενέος ὁ Λέσβιος τοὺς νόμους τοὺς λύρας καὶ αὐλῶν ἐδίδαξεν, οὓς καὶ αὐλήταις συνηύλησε, καὶ τὴν ἔμπροσθε δήμου δίκην μετέστησεν, ἔτη ΗΗΗΙ͞Δ͞ΙΔΔΔΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δροπίλου *A quo Terpander Derdenei filius Lesbius nomos lyricos, & auleticos docuit, quos cum tibicinibus ſimul tibiis cecinit, & actionem coram populo repulit, anni 381. Archonte Athenis Dropilo*. Ita nimirum vitiatam hanc, & obſcuram Marmoris periodum cum Prideauxio legendam, ac interpretandam exiſtimo.

Itaque Terpander, quum Lyram quatuor ſolum chordis hactenus inſtructam inveniſſet, ſeptichordem fecit, adeoque Lacedaemone accuſatus fuit quod ſeverioribus Muſicae legibus abrogatis molliorem invexiſſet. Plutarchus [2] quidem Terpandrum a Lacedaemoniis mulctatum memorat; ſed Oxonienſis Chronici Auctor abſolutum dicit. Ac certe quidem ſeptichordis Terpandri lyra ſemper a Lacedaemoniis recepta, ipſeque Lyricus maximo in pretio habitus fuit; ut proinde Lacones ipſi ſevero decreto, quod a Boëthio [3] conſervatum fuit, Timothei audaciam compreſſerint, qui Terpandri Lyrae quatuor nervos alios adiecerat. De Terpandro ipſo, eiuſque lyricis legibus videndus Prideauxius [4], qui Veterum teſtimonia diligentiſſime expoſuit.

OLYMPIAS XXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4074. Vrb. Cond. 114.
. . . . Athenis Archon XLIV.

Tullus Hoſtilius Rex III. anno 32.

Sphaerus Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Meminit etiam Dionyſius Halicarnaſſeus [5], cuius teſtimonium in anno proximo proferetur.

Cylon Athenienſis, qui poſtmodum patriae tyrannidem oc-

(1) Epoch. 35 lin. 49. (2) Inſtit. Lac. (3) De Muſica. (4) Marm. Oxon. p. 197. (5) Lib. III. n. 36.

occupavit, *diaulo* viciſſe dicitur ab Africano; unde a Thucydide [1], qui ipſius piaculum, ac facinora deſcribit, Ὀλυμπιονίκης *in Olympia victor* appellatur. Ita Pauſanias [2], licet Olympiadem minime expreſſerit, ipſum tamen *diaulo* in Olympiis viciſſe, eique ſtatuam collocatam eſſe teſtatur.

Primo huius Olympiadis anno Pittacus Mytilenaeus natus eſt, quum anno 3. Olymp. LII. ſeptuagenario maior e vivis exceſſerit; ut opportunius ibi oſtendetur. Quod ſi *centeſimum* aetatis annum is attigit, ut Lucianus [3] prodidit, ipſius nativitas ad Olymp. XXVII referenda foret; idque fortaſſe melius cum Laërtii [4] teſtimonio cohaerere videretur quod Pittacus ἤκμαζε περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα *floruit quadrageſima ſecunda Olympiade*.

Thaletis etiam Mileſii ortu annus idem inſignis fuit. Siquidem Laërtio [5] teſte φησὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς τριακοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος: *ortum primo anno triceſimae quintae Olympiadis Thaletem Appollodorus in Chronicis tradit*. Hinc optime Euſebius ad annum hunc obſervavit: Θαλῆς Ἐξαμίου Μιλήσιος φιλόσοφος εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἐγνωρίζετο *Thales Examii* filius *Mileſius Philoſophus VII. Sapientum unus celebris erat*. Ita Cyrillus contra Iulianum [6] ait: Τριακοστῇ πέμπτῃ Ὀλυμπιάδι Θαλῆς Μιλήσιος πρῶτος φυσικὸς φιλόσοφος γενέσθαι λέγεται *triceſima quinta Olympiade Thales Mileſius phyſicorum Philoſophorum primus natus dicitur*. Vbi vero Euſebius mox ſubdit λέγεται ζῆσαι ὑπὲρ τὰ ρ̅ ἔτη *vixiſſe dicitur ultra* 100. *annos*, quod totidem verbis alibi quoque iam dixerat, perſpicue fallitur. Certe Hieronymus haec ita reddit ut Thaletem *uſque ad LVIII. Olympiadem* vixiſſe memoret.

Iam vero expoſito natali Thaletis anno eximium Laërtii locum mire ab Interpretibus exagitatum aſſerere, ac illuſtrare nunc libet. Thaletem Phoenice oriundum Miletum conceſſiſſe, eiuſque urbis civem adſcitum fuiſſe ſcribit Laërtius [7]: ἐπολιτογραφήθη δὲ ἐν Μιλήτῳ ὅτε ἦλθε σὺν Νειλέῳ ἐκπεσόντι Φοινίκης. Doctiſſimus Palmerius [8] ad locum hunc adnotavit: *Non dubito de hoc loco pronunciare mendoſum eſſe*; tandemque concludit reſcribendum eſſe ἐκπεσόντι τῆς Ἀττικῆς,

(1) Libr. I. c. 126. (2) Attic. c. 28. (3) In Longaev. (4) Libr. I. ſeg. 79.
(5) Lib. I. ſeg. 38. (6) Lib. I. (7) Lib. I. ſeg. 22. (8) Exercit. pag. 443.

κῆς, ſive τῆς ἀρχῆς: quod nimirum Neleus Codri filius Strabone [1], Pauſania [2], Callimacho [3], & Aeliano [4] teſtibus a Medonte fratre ex Atticae imperio pulſus coloniam Miletum deduxerit. Caſaubonus vero legendum eſſe putaverat ἐκπεσὼν τῆς Φοινίκης; quod nempe Thales una cum Neileo ex Phoenice diſceſſerit. Denique Menagius [5] Palmerium ſequutus ἐκπεσόντι Ἀττικῆς legendum aſſerit, idque ſuperioribus Scriptorum teſtimoniis oſtendi poſſe arbitratur. At mirari certe quis poterit clariſſimis Viris illis immane temporis diſſidium, hoc eſt 400. ſaltem annorum intervallum, minime obſervatum eſſe, quod a Nelei ad Thaletis aetatem interceſſerat; quum praeſertim Thales Plutarcho [6] teſte Miletum iam *ſenex* conceſſerit. Itaque qui fieri unquam potuit ut prope Olymp. L. Thales Miletum migraverit, idque cum Neleo Codri filio, qui iuxta Chronicon Marmoreum 350. annis ante inſtitutas Olympiades coloniam illuc deduxerat? Ego certe Laërtium ipſum neque de Neleo Medontis fratre, neque de Attica intelligendum eſſe putaverim; ſed de Neleo quodam alio, qui circa Olymp. XLV. ex Phoenice Miletum venerit, eiuſque civitatis iure una cum Thalete donatus fuerit.

An. $\frac{I}{2}$. Damaſias I. Athenis Archon XLV.

Ancus Martius Rex IV. anno. I.

Vtrumque perſpicue tradit Dionyſius [7] de Anci Regis initio loquens. Παραλαμβάνει τὴν ἀρχὴν ὁ Μάρκιος ἐνιαυτῷ τῆς τριακοςῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Σφαῖρος ὁ Λακεδαιμόνιος, καθ' ὃν χρόνον Ἀθήνησιν τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν εἶχε Δαμασίας *Marcius regnum eſt auſpicatus anno ſecundo triceſimae & quintae Olympiadis, qua vicit Sphaerus Lacedaemonius, quo tempore Athenis annuum magiſtratum gerebat Damaſias*. Itaque perſpicue fallitur Meurſius [8], ipſique inhaerens Petavius, qui Damaſiam ad annum I. huius Olympiadis revocavit. Etenim, ut in *Agoniſticis Diſſertationibus* [9] demonſtravi,

(1) Lib XIV. (2) Achaic. c. 2. (3) Hymno in Dian. ver. 226. (4) Var. Hiſtor. Lib. VIII. c. 5. (5) Not ad Laert loco cit. (6) Plac. Philoſ. Lib. I. c. 3. (7) Lib. III. n. 36. (8) De Arch. Ath. Lib. I. c. 11. (9) Pag. 33.

Damaſiae Archontis nomen non ad natalem Thaletis annum, ſed ad Anci Regis initium referri debet, quamvis Sphaeri Lacedaemonii victoris nomen ad ſuperiorem annum ſolita conſtantique Scriptorum methodo referatur.

OLYMPIAS XXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4078. Vrb. Cond. 118.
Athenis Archon XLVIII.

Ancus Martius Rex IV. anno 4.

Phryno Athenienſis *ſtadio* viciſſe dicitur ab Africano, qui poſtmodum cum Pittaco congreſſus ab illo interemptus fuit: Φρύνων Α᾿θηναῖος, ὃς Πιττακῷ μονομαχῶν ἀνῃρέθη *Phryno Athenienſis, qui ſingulari certamine cum Pittaco pugnans interemptus eſt*. Pittaci victoria, Phrynoniſque interitus Olymp. XLIII. contigit, ut opportunius ibi oſtendetur.

Epaenetus Athenis Archon hac Olympiade fuiſſe dicitur a Meurſio (1) quod Antigonus Caryſtius (2) Epaenetum ipſum Athenarum regem vocaverit: Ε᾿ν Α᾿θήναις, ἐπὶ Βασιλέως Ε᾿παινέτου, Ο᾿λυμπιάδος ἕκτης καὶ τριακοστῆς, ἐν ᾗ Α᾿ρυτάμας Λάκων νικᾷ στάδιον *Athenis ſub Epaeneto Rege, Olympiade ſexta ac triceſima, qua Arytamas Lacon ſtadio vicit*. Sed Antigoni locum ſemel iterumque vitiatum eſſe non obſcuris fortaſſe levibuſque coniecturis oſtendi (3); atque in illo pro ἐν Α᾿θήναις legendum ἐν Α᾿ιτναίοις, moxque pro Α᾿ρυτάμας facile Χρυσάμαξος reſcribendum eſſe putavi; ut nullus proinde locus huic Epaeneto vel *Regi*, ſive, ſi libeat, *Archonti* in Athenienſium Faſtis eſſe debeat.

OLYM-

(1) De Arch. Ath. Libr. I. c. 11. (2) Hiſtor. Mirab. c. 133. (3) Tom. I. pag. 327.

OLYMPIAS XXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Jul. 4082. Vrb. Cond. 122.

. . . . Athenis Archon LII.

Ancus Martius Rex IV. anno 8.

Euryclides Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hippoſthenes & ipſe Lacon *puerorum lucta* tunc in Olympiis recepta vicit, eamdemque palmam ſequentibus aliis Olympiadibus quinquies inter viros obtinuit. Προσετέθη καὶ παίδων πάλη. καὶ ἐνίκα Ἱπποσθένης Λάκων, ὃς διαλιπὼν μίαν τὰς ἑξῆς πέντε Ὀλυμπιάδας ἀνδρῶν πάλην ἐνίκησε: *Addita fuit puerorum lucta, vicitque Hippoſthenes Lacon, qui Olympiadas quinque pone inſequentes, una excepta, virorum lucta victoriam obtinuit.* Sed ita certe Africani verba intelligi debent, ut praeter victoriam *unam* inter pueros relatam *quinquies* deinde in viris vicerit; ut proinde Hetoemoclem filium quinquies victorem unius victoriae numero ſuperaverit. Pauſanias [1]: Τῷ δὲ Ἑτοιμοκλεῖ καὶ αὐτῷ Ἱπποσθένει τῷ πατρὶ πάλης εἰσὶν Ὀλυμπικαὶ νῖκαι: καὶ συναμφοτέροις μὲν μίατε καὶ δέκα, τῷ Ἱπποσθένει μιᾷ νίκῃ τὸν υἱὸν παρελθεῖν ὑπῆρξεν *Hetoemocli autem, & eius patri Hippoſtheni evenit ut victores de lucta in Olympicis ludis declararentur ad palmam undecimam ambo ſimul: una tamen fuit pater filio ſuperior.* Polynices Eleus *puerorum ſtadio* tunc inſtituto victor fuit. Africanus: Προσετέθη στάδιον παίδων, καὶ ἐνίκα Πολυνείκης Ἠλεῖος *Additum fuit puerorum ſtadium, vicitque Polynices Eleus.* Pauſanias [2]: Δρόμου μὲν δή, καὶ πάλης ἐτέθη παισὶν ἆθλα ἐπὶ τῆς ἑβδόμης καὶ τριακοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ Ἱπποσθένης Λακεδαιμόνιος πάλην, Πολυνείκης δὲ τὸν δρόμον ἐνίκησεν Ἠλεῖος *Ac primum quidem de curſu, & lucta, ſeptima & triceſima Olympiade, pueris propoſita praemia. Luctae Hyppoſthenes Lacedaemonius, curſus palmam accepit Polynices Eleus.*

Xenophanes Colophonius hoc anno natus videtur. Siquidem Olymp. LX. floruiſſe dicitur; iiſque carminibus,

H 2 qui-

(1) Leon. c. 13. (2) Eliac. I. c. 8.

quibus res a ſe geſtas deſcribit, ait *viceſimoquarto* aetatis anno ſe patriam reliquiſſe, anniſque 67 per varias Graeciae urbes erraſſe. Ergo, ſi Olymp. LX. carmen illud ediderit, ipſius nativitas ad hanc Olympiadem ſpectabit. Empiricus [1] tamen, & Clemens [2] ex Apollodoro docet Xenophanem Olympiade XL. natum eſſe, quod veriſimilius haberi poterit, ne poëſim nonagenarius ediidiſſe dicatur.

Steſichorus Heſiodi filius in Himera Siciliae urbe hac Olympiade natus fertur, quum Olymp. LVI. octogenarius e vivis exceſſerit. Certe is Phalaridi patriae tyrannidem arripere conanti reſtitiſſe legitur [3]. Quin etiam Phalaris ipſe, ut in Epiſtolis legitur, quae eius nomine circumferuntur, tyrannide iam potitus, & Tauromenitas depopulatus, Steſichori, qui pro captivis opem imploraverat, meminit; quemadmodum in aliis Phalaridis epiſtolis apparet Phalaridem Steſichoro ſuperſtitem fuiſſe. Ergo, quum Phalaridis mors Olymp. LVII. ſive LIX. contigerit, optime Steſichori mors Olymp. LVII., adeoque natalis annus in hac Olymp. XXXVII. collocabitur.

OLYMPIAS XXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4086. Vrb. Cond. 126.
. . . . Athenis Archon LVI.

Ancus Martius Rex IV. anno 12.

Olyntheus Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Eutelides & ipſe Lacon *puerorum pentathlo* tunc inſtituto ſimulque abrogato palmam obtinuit. Africanus: Προσετέθη παίδων πένταθλος, καὶ ἠγωνίσαντο τότε μόνον. ἐνίκα δ' Εὐτελίδας Λάκων *additum fuit pentathlum puerorum, eaque ſolum vice ii certarunt; vicitque Eutelidas Lacon*. Pauſanias [4] Πένταθλόντε γὰρ παίδων ἐπὶ τῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος καὶ τριακοστῆς ἐτέθη. καὶ ἐπ' αὐτῷ τὸν κότινον Εὐτελίδα Λακεδαιμονίου λάβοντος, οὐκέτι ἀρεστὰ Ἠλείοις ἦν πεντάθλους εἰσέρχεσθαι παῖδας *Puero-*

(1) Adverſ. Math. Lib. I. c. 12. (2) Strom. Lib. I. (3) Ariſt. Rh. II. c. 20.
(4) Eliac. I. c. 9.

rorum quinquertium XXXVIII. Olympiade inſtitutum quidem fuit, & Eutelidas Lacedaemonius eo victor oleaſtri coronam accepit: poſtea tamen non amplius Eleis placuit, ut in quinquertii certamen deſcenderent pueri. Quin etiam alibi Pauſanias [1] ipſe teſtatur quod Eutelidas eadem ipſa Olympiade in puerorum lucta palmam retulerat: Σπαρτιάτῃ δ' Εὐτελίδῃ γεγόνασιν ἐν παισὶ νῖκαι δύο ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τριακοςῆς Ὀλυμπιάδος πάλης, ἡ δὲ ἑτέρα πεντάθλῳ. πρῶτον γὰρ δὴ πότε οἱ παῖδες, καὶ ὕςερον πενταθλήσοντες ἐσεκλήθησαν *Spartano quidem Eutelidae octava & triceſima Olympiade de puerili palaeſtra una, de quinquertio palma altera delata eſt; tunc enim luctatorum prius, ac deinde quinquertiorum ludicrum committebatur.* Periander Cypſeli filius moriente patre Corinthi tyrannidem arripuit. Laërtius [2] quidem perſpicue tradit Periandrum ipſum ἐνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοςῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος *anno uno ante quadrageſimam nonam Olympiadem* obiiſſe, quum quadraginta annos in patriae tyrannide exegiſſet; ideoque tyrannidis huius initium ad annum 4. huius Olympiadis referri deberet. Sed Ariſtoteles [3], qui ſubtiliter, diligenterque tyrannidis huius durationem expreſſit, perſpicue docet quod δευτέρα περὶ Κόρινθον ἡ τῶν Κυψελιδῶν. καὶ γὰρ αὐτὴ διετέλεσεν ἔτη τρία καὶ ἑβδομήκοντα, καὶ ἣξ μῆνας. Κύψελος μὲν γὰρ, ἐτυράννησεν ἔτη τριάκοντα. Περίανδρος δὲ τετταράκοντα καὶ τέτταρα *Proxime diuturna fuit Cypſelidarum tyrannis Corinthi: haec enim firma permanſit annos nonaginta tres, & ſex menſes. Nam Cypſelus annos quadraginta regnavit; Periander quatuor, & quadraginta.* Itaque in hac hypotheſi Periandri mors anno 4. Olymp. XLVIII. adſcribi debet, eiuſque tyrannidis initium in hoc anno 1. Oly. XXXVIII. collocari; quemadmodum certe Euſebius tyrannidem ipſam hoc anno incepiſſe adnotavit.

Hoc eodem anno dicit Euſebius quod Φάλαρις τυραννῶν κατελύθη, hoc eſt, ut interpretatur Hieronymus, *Phalaridis tyrannis deſtructa fuit.* Sed certe ille fallitur, quum Phalaridis caſus Steſichori morte poſterior fuerit, quem ſuperiori ſolum Olympiade natum eſſe iam vidimus.

OLYM-

(1) Eliac. II. c. 15. (2) Libr. I. ſegm. 95. & 98. (3) Polit. V. c. 12.

OLYMPIAS XXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4090. Vrb. Cond. 130.
Dracon Athenis Archon LX.

Ancus Martius Rex IV. anno. 16.

Ripſolcus Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Draconem hac Olympiade ſupremum Athenis Magiſtratum geſſiſſe ſeveraſque leges mox a Solone ſublatas aut temperatas tuliſſe pluribus Veterum teſtimoniis erudimur. Etenim Clemens ait (1) : Δράκων ὁ καὶ ἀυτὸς νομοθέτης περὶ τὴν τριακοστὴν καὶ ἐνάτην Ὀλυμπιάδα γεγονὼς εὑρίσκεται *Dracon autem, qui & ipſe quoque fuit legiſlator, invenitur fuiſſe circa triceſimam nonam Olympiadem*. Quod ille ſumpſiſſe videtur ex Tatiano (2) : Δράκων περὶ Ὀλυμπιάδα τριακοστὴν εὑρίσκεται γεγονὼς *Draco qui circiter triceſimam nonam Olympiadem fuit*. Suidas adiecit Draconem ipſum tunc ſenem fuiſſe Τῇ γοῦν τριακοστῇ καὶ ἐνάτῃ Ὀλυμπιάδι τοὺς νόμους ἔθετο τοῖς Ἀθηναίοις γηραιὸς ὢν *Quum ſenex iam eſſet, Olympiade XXXIX. leges Athenienſibus tulit*. Denique Euſebius ad annum 2. huius Olympiadis adnotavit : Δράκων κατά τινας ἐνομοθέτει : unde Hieronymus in anno 4. Olympiadis huius obſervavit *Draconem legiſlatorem, ut quibusdam videtur*, floruiſſe. Itaque corrigendus Marianus Scotus (3), qui leges a Dracone poſitas ait anno 4. Olymp. XXXVII. multoque gravius errat Tzetzes (4), qui *ſeptennium* ſolum inter Draconis & Solonis leges interceſſiſſe ſcribit.

OLYMPIAS XL.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4094. Vrb. Cond. 134.
. . . . Athenis Archon LXIV.

Ancus Martius Rex IV. anno 20.

Olyntheus Lacon *ſtadio* iterum victor fuit ex Africano.

OLYM-

(1) Strom. Lib. I. (2) Orat. contra Graec. (3) Chron. (4) Chil. V. hiſt. 5.

OLYMPIAS XLI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4098. Vrb. Cond 138.
. . . . Athenis Archon LXVIII.

Ancus Martius Rex IV. anno 24.

Cleondas Thebanus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Dionyſio, a quo *Cleonidas* appellatur.

Philotas autem Sybarita *puerorum pugilatu* tunc inſtituto palmam obtinuit. Africanus: Προσετέθη παίδων πυγμὴ, καὶ ἐνίκα Φιλώτας Συβαρίτης *additus fuit puerorum pugilatus, vicitque Philotas Sybarita*. Pauſanias [1]: πρώτῃ δὲ ἐν ταῖς τεσσαράκοντα Ὀλυμπιάσι πύκτας ἐσεκάλεσαν παῖδας, καὶ περιῆν τῶν ἐσελθόντων Συβαρίτης Φιλήτας *prima & quadrageſima Olympiade pueros in caeſtuum pugna commiſerunt. Competitores ſuperavit Sybaritanus Philetas.*

An. $\frac{1}{2}$. Heniochides Athenis Archon LXIX.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 1.

Archontis Regiſque nomen expreſſit Dionyſius [2]: Παραλαμβάνει τὴν βασιλείαν ἐνιαυτῷ δευτέρῳ μάλιστα τῆς μιᾶς καὶ τετταρακοστῆς Ὀλυμπιάδος ὁ Ταρκύνιος, ἣν ἐνίκα στάδιον Κλεωνίδας ὁ Θηβαῖος, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡνιοχίδου *Tarquinius circiter ſecundum annum quadrageſimae primae Olympiadis, qua fuerat victor in ſtadio Cleonides Thebanus, Archonte Athenis Heniochide, regnum eſt auſpicatus.*

OLYMPIAS XLII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4102. Vrb Cond. 142.
Megacles Athenis Archon LXXII.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 4.

Ly-

(1) Eliac. I. c. 8. (2) Lib. III, n. 12.

Lycotas Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Megaclis Archontis nomen; ſimulque Cylonii ſceleris, aut piaculi memoriam expreſſit in *Solonis Vita* Plutarchus; licet accurate tempus non expreſſerit. Etenim, quum bellum Delphicum Solone duce ſuſceptum memoraſſet, ait: Τὸ δὲ Κυλώνειον ἄγος ἤδη μὲν ἐκ πολλοῦ διετάραττε τὴν πόλιν, ἐξ οὗ τοὺς συνωμότας τοῦ Κύλωνος ἱκετεύοντας τὴν θεὸν Μεγακλῆς ὁ Ἄρχων ἐπὶ δίκῃ κατελθεῖν ἔπεισε *porro Cylonium ſcelus iam peragitabat diu civitatem, ex quo conſortes coniurationis Cyloniae ſupplices Minervae domum redire Archon Megacles ad cauſſam dicendam impulit*. Thucydides (1) vero, diſſimulato Eponymi Archontis nomine, Cylonis ſocios in Vrbe obſeſſos novem Archontum cuſtodiae commiſſos eſſe teſtatur: τρυχόμενοι τῇ προσεδρείᾳ, ἀπῆλθον οἱ πολλοὶ, ἐπιτρέψαντες τοῖς ἐννέα Ἄρχουσι τὴν φυλακήν τε καὶ τὸ πᾶν αὐτοκράτορσι διαθεῖναι ᾗ ἂν ἄριστα διαγιγνώσκωσι. τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἔννεα Ἄρχοντες ἔπρασσον *ſed diuturna obſidione affecti magna ex parte diſceſſere, delegata novem principibus cuſtodia. Tunc autem hi novem principes pleraque ſane ad rempublicam pertinentia adminiſtrabant*. Subdit deinde Cylonem eiuſque fratrem fugam arripuiſſe, ceteros vel fame conſumptos, vel ad aram ſupplices nefarie interfectos eſſe. Exinde vero inter Cylonis Megacliſque ſocios atque gentiles, & *ſucceſſores* ſeditionem obortam fuiſſe ſubdit; mox Salamina ab Athenienſibus Solonis ope recuperata Athenienſem urbem oſtentis, Cyloniique ſceleris religione turbatam ait; ideoque Epimenidem Creta accitum, qui Vrbem expiaret. Perſpicua haec rerum ſeries oſtendit Cylonis facinus Vrbiſque occupandae conſilium, adeoque Megaclis aliorumque ſcelus in iis, qui ad Deorum aras confugerant obtruncandis, longe ante Salaminam ab Athenienſibus recuperatam contigiſſe; quumque Epimenide Athenas adveniente, hoc eſt Olymp. XLVI. neque Cylon, neque Megacles, ſed ſoli ipſorum *poſteri*, ſupereſſe dicantur, Cylonis facinus Megacliſque principatus in Olymp. XLV. cum Scaligero collocari certe non poterit; ſed utrumque potius Epimenidis adventum 20. circiter annis praeceſſerit. Accedit etiam quod Cylon Vrbis occupandae conſilium ambiguo Oraculi reſponſo deceptus ſuſcepit, eaque etiam

(1) Lib. I. c. 126.

etiam fiducia quod in Olympiis palmam retulerat. Ergo, quum Cylon Olymp. XXXV. victor in Olympiis fuerit, ipſius facinus patriaeque occupandae conſilium longe commodius ad Olymp. XLII. quam ad XLV. revocabitur, qua Cylon ipſe 60 aetatis annum ſuperaſſet. Denique, ne coniecturas alias hic perſequar, teſtatur Thucydides Cylonem copias a Theagene Megarenſium tyranno ac ſocero accepiſſe, quibus Athenienſem Vrbem fraude occuparet. Ergo, quum Megarenſes Cyloni ſuppetias laturi Athenas conceſſere, nondum bellum illud atque contentio de Salamina inter Athenienſes, & Megarenſes exarſerat, quod, quum pluribus annis viguiſſet, tandem intermiſſum, ac Solonis demum, ſive Piſiſtrati aſtutia renovatum fuit. Ergo Cylonis facinus, quod Olympiorum tempore patratum fuit, adeoque Megaclis principatus, ad ineuntem Olymp. XLII. ſive alteram ipſi proximam referri debet.

An. 3. Anaximander Mileſius Praxiadis filius hoc anno natus eſt, quum Laërtio (1) teſte anno 2. Olymp. LVIII. 64. aetatis annum ageret.

OLYMPIAS XLIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4106. Vrb. Cond. 146.
. . . . Athenis Archon LXXVI.

Tarquinius Priſcus Rex V anno 8.

Cleon Epidaurius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. 2 Hieronymus ad annum hunc obſervavit quod *Pittacus Mitylenaeus, qui de VII. Sapientibus fuit, cum Phrynone Athenienſi Olympionice congreſſus eum quoque interfecit.* Hiſtoriam hanc, bellique ſuſcepti cauſſam fuſius exponit Strabo (2); qui Lesbios univerſam Troadem veluti haereditario iure ſibi debitam vindicantes claſſem Pittaco duce contra Athenienſes miſiſſe dicit, qui Achilliridem regionem, & Sigeum Phrynone Olympionica duce occuparant. Eadem

(1) Lib. II. ſeg. 2. (2) Lib. XIII. pag. 600.

Iſidorus[1] etiam exponit, qui Phrynonem hunc Ἄρχοντα Σιγείου *Sigei Archontem* appellat. Quum vero alternante fortuna utrimque dimicaretur, Pittacus ſingulari certamine cum Phrynone congreſſus ipſum rete, quod clypeo obduxerat, irretitum interemit. Controverſia tamen non armis, ſed Periandri potius decreto ſive ſuffragio, tandem dirempta fuit; qui, quum ab Athenienſibus ac Lesbiis arbiter electus eſſet, regionem illam Athenienſibus adiudicavit. Videndus Herodotus[2], Laërtius[3], Plutarchus[4], Polyaenus[5], qui hanc Pittaci fraudem aut ſtratagema memorarunt.

An. $\frac{3}{4}$. Ariſtocles Athenis Archon LXXIX.

Ariſtoclis Archontis nomen ſolus Oxonienſis Chronici Scriptor conſervavit ubi Alyattis regis imperium Ariſtoclis anno incepiſſe dicit[6]: Ἀ᾽φ᾽ οὗ Ἀλυάττης Λυδοῖς ἐβασίλευσεν ἔτη HHHΔΔΔΔI Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀριστοκλέους *A quo Alyattes Lydis imperavit anni* 341. *Archonte Athenis Ariſtocle*. Euſebius quidem Alyattis huius initium in anno 1. Olymp. XLII. ſexennio maturius collocavit; atque in Excerptis Latino-Barbaris ad annum 2. Olymp. XLIII. initium ipſum revocatur. Verum, quum Croeſi captivitas Lydiique regni finis in annum 1. Olymp. LIX. inciderit, ut opportunius ibi oſtendetur, Croeſuſque ipſe 14. Alyattes eius pater 57. annis regnaverit, longe commodius in annum 2. Olymp. XLI. referretur, ut a Petavio factum conſpicimus. Quandoquidem vero Croeſus ipſe una cum patre per annos aliquot imperium geſſit, nihil eſt certe quin Alyattis initium ad hanc Olympiadem una cum Chronici Auctore referri poſſit. Ita nimirum facile ſalvari poterit quod inſequenti anno bellum inter Cyaxarem, atque Alyattem exarſerit[7], quod *ſexto* demum anno ob ſolaris eclipſis terrorem diremptum fuit, quae anno 4. Olymp. XLV. a Thalete praedicta, atque ab utroque exercitu metu perculſo conſpecta fuit.

OLYM-

(1) Lib. V. Epiſt. 6. (2) Lib. 1. c. 81. (3) Lib. I. ſeg. 74. (4) De Herodoti malignit. (5) Stratagem. Lib. I. c. 25. (6) Epoch. 36. lin. 50. (7) Herodot. Lib. I.

OLYMPIAS XLIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4110. Vrb. Cond. 150.
.... Athenis Archon LXXX.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 12.

Gelon Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Alcaeus ex Mitylene Lesbi urbe hac Olympiade floruiſſe dicitur; unde Hieronymus illum una cum Sapphone Poëtria in anno 2. Olym. XLIV. collocavit. Alcaeus tamen Oly. XLVII. adhuc ſuperſtes eſſe debuit, quum Pittacum Mitylenis patriae tyrannide potitum conviciis proſciderit, quae a Laërtio (1) memorantur, ſuiſque carminibus civium animos in ipſum concitaverit (2). Porphyrion, atque Acron (3) ipſum a tyrannis Mitylene expulſum fuiſſe, tumque *bellicas res*, & *navigationem* ſuam ſcripſiſſe memorarunt. Herodotus illum Periandro coaevum fuiſſe (4) dicit; & Strabo (5) memorat ipſum in bello, quod inter Lesbios atque Athenienſes ſuperiori Olympiade exarſerat, infeliciter dimicaſſe. De Alcaeo ipſo eiuſque Carminibus fuſe Fabricius (6).

Sappho Scamandronymi filia ex eadem illa Lesbi urbe Mitylene Alcaei civis, & aequalis aetate fuit, ut perſpicue Ariſtoteles (7) etiam oſtendit. De illa fuſe Fabricius (8). De ipſius fuga in Siciliam Olymp. XXVI. anno 1. agitur.

OLYMPIAS XLV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4114. Vrb. Cond. 154.
.... Athenis Archon LXXXIV.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 16.

Anticrates Epidaurius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

I 2 Eu-

(1) Lib. I. ſeg. 81. (2) Maxim. Tyr. Serm. XXI. (3) Ad Horat. Lib. II. Ode XIII. (4) Lib. V c. 95. (5) Lib. XIII pag 617. (6) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 563. (7) Rhet. I, c. 9 (8) Tom. I. pag. 589.

Euſebius hoc anno Perinthum, & Camarinam aedificatas eſſe adnotavit. Ac de Camarina quidem perſpicuus eſt Pindarici Scholiaſtae locus [1]: κτίζεται μὲν ἡ Καμαρίνα τεσσαρακοστῇ πέμπτῃ Ὀλυμπιάδι, ἐπικρατησάντων δὲ τῶν Συρακυσίων πορθεῖται τῇ νζ´ Ὀλυμπιάδι εἶτα ἐν τῇ πέ Ὀλυμπιάδι. τῷ μεταξὺ χρόνῳ, καθ᾽ ὃν ἐνίκησεν ὁ Ψαῦμις ἀνακτίζεται. *conditur quidem Camarina quadrageſima quinta Olympiade, expugnata autem a Syracuſanis diruitur quinquageſima ſeptima Olympiade, deinde Olympiade 85. Interea vero circa illud tempus, quo vicit Pſaumis, iterum aedificatur.* Hinc optime Euſebius Vrbis huius initium in anno 1. huius Olymp. memoravit; quo Perinthum etiam aedificatam eſſe teſtatur, quamvis utrumque Hieronymus ad annum 3. ſuperioris Olympiadis revocaverit.

Megaclis autem Archontis nomen, Cyloniſque facinus, quo is Athenarum arcem occupavit, quamvis a Meurſio, Petavio, aliiſque pluribus in hoc anno collocetur, facinus Olymp. XLII. revocandum eſſe iam monui.

An. 4. Hoc Olympiadis eiuſdem anno celeberrima Solis defectio contigit, quam Thales Mileſius futuram praedixerat. Etenim Herodotus [2], quum bellum inter Cyaxarem Medorum, & Alyattem Lydorum Regem exarſiſſe dixiſſet quod is Scythas a Cyaxaris regno profugos humaniter excepiſſet, ſubdit: τῷ ἕκτῳ ἔτει συμβολῆς γενομένης, συνήνεικε ὥστε τῆς μάχης συνεστεώσης, τὴν ἡμέρην ἐξαπίνης νύκτα γενέσθαι. τὴν δὲ μεταλλαγὴν ταύτην τῆς ἡμέρης Θαλῆς ὁ Μιλήσιος τοῖσι Ἴωσι προηγόρευσε ἔσεσθαι, οὖρον προθέμενος ἐνιαυτὸν τοῦτον, ἐν ᾧ δὴ καὶ ἐγένετο ἡ μεταβολή. *ſexto anno ſignis collatis, quum aequo Marte certarent, inter pugnandum contigit, ut repente dies in noctem verteretur. Quam immutationem diei Thales Mileſius Ionibus futuram praedixit, hunc ipſum annum praefiniens, quo mutatio illa facta eſt.* Iterumque Herodotus ipſe de Cyaxare loquens ait: οὗτος ὁ τοῖσι Λυδοῖσι ἐστι μαχησάμενος, ὅτε νὺξ ἡ ἡμέρη ἐγένετο σφι μαχομένοισι: *hic eſt qui cum Lydis bellum geſſit, quo tempore in ipſa pugna dies eſt converſus in noctem.* Perſpicuis certiſque characteribus, qui ab Herodoto proferuntur, Petavius [3] eclipſim a Thalete

(1) Ad Olymp. V. (2) Lib. I. (3) Doctr. Temp. Lib. X. c. 1.

lete praedictam non aliam fuiſſe demonſtravit, quam quae 9. Romani Iulii die anno 4. Olymp. XLV. Per. Iul. 4117. Vrb. Cond. 157. contigerat. Quamvis enim Euſebius ac Hieronymus in 2., Plinius [1] in 4. Olymp. XLVIII. anno eclipſim a Thalete praedictam collocaverit, atque Solinus [2] bellum inter Alyattem & Aſtyagem Olympiade IL. contigiſſe dixerit, perſpicuum eſt tamen eclipſim illam, quae belli tempore conſpecta fuit, regeſque terrore perculſos in amicitam ac foedera incitavit, non alteri, quam XLV. Olympiadi, adſcribi poſſe. Siquidem Cyaxares moriens Aſtyagi filio regnum reliquit anno 3. Olymp. XLV. Per. Iul. 4116. Quandoquidem vero anno 3. Olymp. XLVIII. propemodum exeunte eclipſis alia contigit, haec facile a Plinio in annum 4. proxime incepturum conferri, atque a Thalete praedicta cenſeri potuit: quod de altera quoque eclipſi concedi poteſt, quae anno 3. Olymp. IL. Per. Iul. 4133. obſervata fuit. At inſignis illa defectio Thaleti primum praenunciata Olymp. XLV. adſcribi debet, quum id ex Herodoto, ſimulque etiam Eudemo perſpicue Clemens [3] oſtendat: Θαλῆν δὲ Εὔδημος ἐν ταῖς ἀςρολογικαῖς ἱςορίαις τὴν γενομένην ἔκλειψιν τȣ̃ ἡλίȣ προειπεῖν φησι, καθ' ȣ̃ς χρόνȣς συνῆψαν μάχην πρὸς ἀλλήλȣς Μῆδοί τε, καὶ Λυδοὶ, βασιλεύοντος Κυαξάρȣς μὲν τȣ̃ Ἀςυάγȣς πατρὸς Μήδων. Ἀλυάττȣ δὲ τȣ̃ Κροίσȣ Λυδῶν. συνᾴδει δὲ αὐτῷ καὶ Ἡρόδοτος ἐν τῇ πρώτῃ. εἰσὶ δὲ οἱ χρόνοι αμφὶ. τὴν πεντηκοςὴν Ὀλυμπιάδα *Thaletem vero narrat Eudemus in Aſtrologicis Hiſtoriis defectionem illam praedixiſſe Solis, quae per ea tempora contigit, quibus Medi cum Lydis pugnarunt, regnante Medis Cyaxare Aſtyagis patre; Lydis Alyatte Croeſi patre, cui & Herodotus adſtipulatur Libro primo Atque haec quidem tempora circa Olympiadem quinquageſimam incurrunt.*

OLYMPIAS XLVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per Iul. 4118. Vrb Cond. 158.
Critias primus Athenis Archon LXXXVIII.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 20.

Chry-

(1) Lib. II. c. 12. (2) Cap. 25. (3) Strom. Lib. I.

Chryſamaxus Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano; idemque *Chryſamaxi* nomen in Antigoni quoque Caryſtii loco fortaſſe reſtitui debet, quem ad Olymp. XXXVI. opportunius expoſui.

Polymneſtor Mileſius *puerorum ſtadio* viciſſe dicitur ab Africano: Πολυμνήςωρ Μιλήσιος παίδων ςάδιον· ὃς αἰπολῶν λαγὼν κατέλαβε *Polymneſtor Mileſius puerorum ſtadio* vicit, *qui, quum caprarius eſſet, leporem* inſequendo *comprehendit*. Ita Solinus (1): *Polymneſtor Mileſius puer, quum a matre locatus eſſet ad caprarios paſtus, ludicro leporem conſequutus eſt; & ob id ſtatim productus a gregis domino Olympiade ſexta & quadrageſima victor in ſtadio meruit coronam.*

Critiae vero Archootis nomen ſolo Oxonienſis Marmoris teſtimonio nobis affulget. Etenim in illo diſtincte legitur (2): Ἀφ' ȣ̃ Σαπφὼ ἐκ Μιτυλήνης εἰς Σικελίαν ἔπλευσε φυγȣ̃σα ... ολ ... θ ... ἔτη ΗΗΗΔΔΔ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι μὲν Κριτίȣ τȣ̃ προτέρȣ, ἐν Συρακȣ́σαις δὲ τῶν ὁμόρων κατεχόντων τὴν ἀρχὴν *a quo Sappho e Mitylene in Siciliam traiecit fugiens ..... anni* 330. *Archonte Athenis quidem Critia priore, Syracuſis vero rerum potientibus finitimis*. Quo certe loci Prideauxius obliteratos annorum characteres ita reſtituit, ut anni 330. in Marmore reſcribi debeant, quod Euſebius Sapphonem *duodecimo* Alyattis anno floruiſſe dixerit. Sed certe ille fallitur. Ita nimirum Critiae Archontis annus in 3. Olymp. XLVI incideret, ut a Prideauxio (3) ipſo in Chronologica ſerie nitide collocatur; quum tamen certo conſtet annum illum Solonis Magiſtratu inſignem fuiſſe. Itaque, quum neque in 2. neque in ceteris mox inſequentibus Olympiadis huius annis *Critias* Archontum Faſtis inſcribi poſſit, libentius illum ad annum hunc primum revocaverim, adeoque in Marmore non 330., ſed 332. ſcribendum eſſe putaverim. Id vero feliciter Prideauxius ipſe obſervavit, quod pro ὁμόρων facile ex Herodoto (4) Γεωμόρων reſcribendum erit; quum *Optimates* illi, qui Syracuſanos agros inter ſeſe partiti *Callicyriis*, hoc eſt ſervis agros colentibus, imperabant, & quamdam veluti Reipublicae formam mox a Gelone ſublatam conficiebant, *Geomori* vocarentur.

Hac ipſa Olympiade bellum illud exarſiſſe putaverim, quod

(1) Cap. 6. (2) Epoch. 37. lin. 51. (3) Pag. 246. (4) Lib. VII.

quod Amphictyonum decreto Solone duce contra Cyrrhaeos in Templum Delphicum iniurios geſtum fuit. Ac belli quidem cauſſam, varioſque caſus Pauſanias [1], Plutarchus [2], Aeſchines [3], aliique fuſe prodiderunt; quamvis ipſius incepti tempus omnino diſſimulaverint. Etenim, licet Aeſchines dixerit: *Λαβόντες δὲ τὸν χρησμὸν οἱ Ἀμφικτύονες, ἐψηφίσαντο, Σόλωνος εἴποντος Ἀθηναίου τὴν γνώμην, ἀνδρὸς καὶ νομοθῆται δυνατοῦ, καὶ περὶ ποίησιν καὶ φιλοσοφίαν διατετριφότος) ἐπιστρατεύειν ἐπὶ τοὺς ἐναγεῖς, κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ Amphictyones oraculo accepto, de ſententia Solonis Athenienſis, viri & legum ferendarum peritia praediti, & in Philoſophia, ac Poëſi verſati, decreverunt exercitum ducere contra nefarios, ut oraculum iuſſerat*, adeoque innuere videatur id poſt leges a Solone iam conſtitutas, hoc eſt annum 3. Olymp. XLVI. contigiſſe; longe tamen veriſimilius exiſtimo bellum ipſum maturius incepiſſe, variiſque demum temporibus intermiſſum anno 2. Olymp XLVII. diremptum fuiſſe. Argumento ſane eſſe poterit quod Plutarchus in contexenda rerum a Solone geſtarum ſerie poſt Salaminam Solonis aſtu recuperatam Cyrrhaeum Delphicumque bellum memorat; tum pavores atque diſſidia inter Cylonios atque Megaclios orta, inde Epimenidis adventum, luſtrationem, aliiſque interiectis Solonis principatum, legeſque ab illo poſitas deſcribit; ut proinde Delphici belli initium poſt Olymp. XLVI. collocari non poſſit. Accedit etiam quod Herodoto [4] teſte Solon legibus iam conſtitutis *decennio* Athenis abfuit, exteraſque Gentes inviſit: quod facile explicari non poſſet ſi ingruente bello Athenis accitus, bello ipſi praefuiſſe dicatur. Ad haec bellum ipſum diuturnum fuiſſe non obſcure Pauſanias ſignificat; quumque Cyrrhaeis iam exciſis anno 2. Olymp. XLVII. ipſorum tamen reliquiae palantes ac profugae *ſexto* demum anno ſuperatae, fundituſque exſtirpatae fuerint, mirari non licet ſi Cyrrhaei viribus, audacia, religione incenſi prius bellum decem propemodum annis toleraverint. Itaque ſic ſtatuo Solonem ineunte Olymp. XLVI. Delphico bello nuper conflato conſiliis adfuiſſe; moxque bello ipſo vel intermiſſo, vel Athenienſium aliorum auſpiciis continuato Athenas rediiſſe, ut Cylo-

(1) Phocic. c. 37. (2) In Solone. (3) Orat. in Cteſiphontem pag. 69. (4) Lib. I.

Ioniorum diſſidia componeret, ac principatum ſibi delatum ſuſciperet.

An. $\frac{1}{2}$. Philombrotus Athenis Archon LXXXVII.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 21.

Philombroti Archontis nomen ac ſitus unico Plutarchi [1] teſtimonio demonſtratur, qui de Solone loquens ait: Ἡρέθη δὲ Ἄρχων μετὰ Φιλόμβροτον *electus eſt Archon proximo poſt Philombrotum* anno. Itaque, quum Solon anno ſequenti magiſtratum illum geſſerit, ut mox oſtendetur, Philombrotus Archon ad annum hunc referri debet.

Huius autem Archontis anno tumultus ille Athenis inter Paralios, & Diacrios exarſit, qui a Plutarcho, aliiſque Scriptoribus accurate deſcribitur. At diſſidium illud, partium ſtudium, civilemque ſeditionem diu tenuiſſe conſpicimus; quum Piſiſtratus Pediaeorum fautor Olymp. LIV. tyrannidem occupaverit, ut opportunius ibi demonſtrabitur.

Epimenides Athenarum urbem Cylonio piaculo pollutam purgavit. Suidas id Olymp. XLIV. contigiſſe dicit. ἔτος ἐκάθηρε τὰς Ἀθήνας τοῦ Κυλωνίου ἄγους κατὰ τὴν μδ' Ὀλυμπιάδα γηραιὸς ὢν *hic, quum iam ſenex eſſet, Athenas a Cylonio piaculo purgavit Oly. XLIV.* Hieronymus id in anno 2. Olympiadis XLVII. collocavit. Marianus Scotus anno 4. Olymp. XLIII. Hieronymus ipſique inhaerens Petavius anno 4. adſcripſit. Scaliger, ac Meurſius anno 1. Olymp. XLV. memoravit. Laërtius tamen Olymp. XLVI. expiationem illam adſcribit: Ἐλθὼν Ὀλυμπιάδι τεσσαρακοστῇ ἕκτῃ ἐκάθηρεν αὐτῶν τὴν πόλιν *veniens Olympiade quadrageſima ſexta purgavit ipſorum urbem*; in aliis tamen Scriptoris eiuſdem Codicibus habetur ἑβδόμῃ. Ac Plato, qui ceteros Scriptores omnes auctoritate ſuperare debet, luſtrationem hanc ab Epimenide factam decennio ante Perſica contigiſſe dicit: Ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον παρ' ὑμᾶς *veniens autem ante bellum Perſicum decem annis primum ad vos*. Eximius hic Platonis locus mirum quas turbas, & ambages

(1) In Solone.

ges inter veteres, recentioreſque Chronologos excitaverit. Bentleius [1] ibi Platonem de Marathonia pugna, qua Perſae a Graecis anno 3. Olymp. LXXII. ſuperati fuerant, intelligendum eſſe putavit; adeoque luſtrationem illam anno 1. Olymp. LXX. contigiſſe voluit. Sententiam ipſam Dodvellus arripuit [2], quumque tamen perſpicuis Scriptorum aliorum teſtimoniis Epimenidis aetatem ad Olymp. XLVI. referri conſpiceret, fieri poſſe putavit ut duo Epimenides fuerint, quorum alter Pythagorae auditor ex Iamblicho [3], Vrbiſque Athenienſis luſtrator, alter Soloni coaevus, eiuſdemque Pythagorae praeceptor fuerit. Fabricius vero [4] unum eumdemque Epimenidem fuiſſe dicit, qui Athenas Cylonio ſcelere purgavit circa Oly. XLIV. iterumque Athenas advenerit anno 1. Oly. LXX. Diſſidium ipſum aut error idem in Veteribus etiam obſervatur. Siquidem Thucydidis Scholiaſtes [5] ubi de Cylonio piaculo, eiuſque expiatione loquitur ait: Ὅτι τὰ κατὰ Κύλωνα ἐπράχθη σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης *quae ad Cylonem enim ſpectant, paullo ante Marathoniam pugnam acciderunt*: quo certe loco, niſi plurimum fallor, Scholiaſtes ipſe vel Platonis, vel alterius, qui Platonem exſcripſerat, teſtimonium reſpexit; quumque ab illo Epimenidis adventum Athenas *decennio* ſolum *Perſica* praeceſſiſſe dicatur, Scholiaſtes illum paullo ante *Marathonium* bellum contigiſſe putavit. Meurſius [6] vero, qui cuncta ſubtiliter exploraverat, inſignem illum Platonis locum vitiatum aſſerit; quamobrem pro verbo δέκα, *quod*, inquit ille, *quantumvis nihili exiſtat, priſcae tamen lectionis veſtigia ſervat, utrobique reſcribo* ρκά: *ut Plato dicat annis* 121. *ante Perſicum bellum luſtratam Vrbem ab Epimenide. Ac ſcripſiſſe ſic Platonem nulli deinceps dubium futurum puto. Fuit enim bellum Perſicum Olymp. LXXV. anno* 1. *a quo tempore ſi annos* 121 *retro computes incides in Olympiadis XLIV an.* 3. *quod cum Suida plane convenit* Exinde quoque coniecturam, & emendationem hanc ille confirmat quod Cres ille, qui apud Platonem Athenienſes alloquens inducitur, ait: Τότε ὖν ἐξενώθησαν ὑμῖν οἱ πρόγονοι ἡμῶν, καὶ εὔνοιαν ἐκ τύτυ ἔγωγε ὑμῖν, καὶ οἱ ἡμέτεροι ἔχυσι γονεῖς *tunc igitur*

(1) Diſſert. de aeta. Phalarid. (2) De Cyclis (3) Vit. Pyth. c. 23. (4) Tom. I. pag. 36. (5) Ad Lib. I. c. 126. (6) Solon. c. 9.

gitur contractum eſt inter noſtros veſtroſque maiores ius hoſpitii, & amicitiam a tam longo ſane tempore inter ſe progenitores noſtri colunt. Itaque, concludit Meurſius, ſi pax & ſocietas inter Athenienſes, & Gnoſios *progenitorum* aetate, Epimenide ſequeſtre inſtituta fuerat, Epimenidis adventus Platonis aetate longe antiquior eſſe debet. Clariſſimi tamen Viri pace nihil in Platonis textu corrigi mutarique debet; atque emendatio, quam Meurſius confidenter adeo propoſuit, integro Platonis contextui mire repugnat. Etenim ab illo nitide diſerteque dicitur quod, Epimenide Athenis immorante, claſſis quaedam a Perſis apparabatur, eiuſque claſſis timore Athenienſes perculſi fuerant. Quaenam vero Perſica claſſis Olymp. XLIV. effingi poterit, qua Meurſius Epimenidem Athenas conceſſiſſe voluit? Deinde vero quis credat Epimenidem Perſicae claſſis adventum ſubtiliter adeo praenunciaſſe, ut illam nonniſi 121. annorum ſpatio diſponi poſſe, adeoque poſt 121. annos adventuram eſſe praedixerit? Verus Platonis ſenſus hic eſſe debet quod Epimenides non *primo* quidem, ſed *ſecundo* Athenas *decem* annis ante *Perſica*, hoc eſt navalem Perſarum claſſem, quae anno 1. Olymp. LXXV. prope Salaminem ſuperata fuit, Athenas conceſſit; ibique ſacrificia quaedam ex Apollinis monitu rite peregit. Ac certe quidem Plato perſpicue docet quod Epimenides κατὰ τὴν τȣ̃ Θεȣ̃ μαντείαν θυσίας ἐθύσατο τινὰς, ὡς ὁ θεὸς ἀνεῖλε *iuxta datum a Deo oraculum ſacra quaedam, quae facienda reſponderat Deus, celebravit*. Eiuſmodi vero ſacrificiorum cauſſam, ritum, ſimulque tempus a Laërtio (1) non obſcure expreſſum invenio, qui, quum Epimenidem Deo cariſſimum eſſe dixiſſet, ſubdit ὅθεν Ἀθηναίοις τῷ τε λοιμῷ κατεχομένοις ἔχρησεν ἡ Πυθία καθῆραι τὴν πόλιν. οἱ δὲ πέμπεσι ναῦν τε καὶ Νικίαν τὸν Νικεράτȣ εἰς Κρήτην, καλȣ̃ντες τὸν Ἐπιμενίδην. καὶ ἐλθὼν Ὀλυμπιάδι τεσσαρακοςῇ ἕκτῃ ἐκάθηρεν αὐτῶν τὴν πόλιν, καὶ ἔπαυσε τὸν λοιμὸν τȣ̃τον τὸν τρόπον *unde & Athenienſes, quum aliquando peſte laborarent, reſponſo a Pythia accepto, Vrbem expiari oportere, Niciam Nicerati filium navi miſere, Epimenidemque ex Creta advocarunt. Profectus autem Olympiade XLVI. luſtravit Vrbem, peſtemque compeſcuit hoc modo*. Olympiadis numerum in

(1) Lib. I. ſegm. 110.

in Laërtii textibus vitiatum eſſe Interpretes obſervarunt, quum in aliis Olympias XXVII. in aliis XLVI. in aliis XLVII. reperiatur. Reſcribendum aſſero *τρίτῃ καὶ ἑβδομηκοστῇ ſeptuageſima tertia*, unde imperitus librarius aut infelix criticus, qui Athenas Cylonio ſcelere pollutas longe antiquius, Soloniſque aetate ab Epimenide expiatas eſſe didicerat, ibi Laërtium de prima hac expiatione loquutum putavit, adeoque Olympiadem XLVI. expreſſit. At Laërtium ibi neque de *prima* expiatione, neque de Olympiade XLVI. loquutum eſſe perſpicue oſtendit quod Niciam Nicerati filium una cum navi ad Epimenidem ablegatum adiecit. Siquidem Nicias Sicula clade celebris an. 4. Olymp. XCI. ſuperatus fuit; adeoque Olympiade quidem LXXIII. Cretam appellere profecto potuit, ſed hoc Olymp. XLVI. adſcribi non poterit, niſi Niciam alium huius avum temere ſuſpicemur. Illud autem unum opponi poſſe conſpicio quod a Solonis aetate, iiſque temporibus, quibus certe Epimenides Athenas conceſſit, ad Olymp. LXXIII. anni propemodum 110. interceſſere. At obſervari facile poterit Epimenidem conſtanti Scriptorum omnium conſenſu maxime longaevum fuiſſe; quum alii 154. alii 157 alii 299. aetatis annos illi conceſſerint: ut proinde facile Athenas primum *quadragenarius* concedere, iterumque *centeſimo ac quinquageſimo* aetatis anno illuc redire potuerit; poſtquam nempe 57. annos dormiens tranſegerat. Quod ſi, ut ait Laërtius [1], amicitia inter Gnoſios atque Athenienſes conſtituta *ἐπανελθὼν ἐπ' οἴκου, μετ' οὐ πολὺ μετήλλαξεν reverſus domum paullo poſt tempore migravit e vita*, id optime mireque confirmat, quod ſocietas illa a Platone memorata, adeoque Epimenidis adventus in Olymp. LXXIII inciderit; ſimulque perſpicue demonſtrat quod ad Olymp. XLIV. referri non poteſt, quum Epimenides ipſe editis a Solone legibus, ac Piſiſtrati tyrannidi ſuperſtes fuerit. Ceterum luſtratio illa, quae ab Epimenide peracta fuit, facile cum Scaligero 6. Thargelionis Attici diei adſcribi debet; quum quotannis ea die Athenienſes Vrbem ſolemni ritu luſtrare & expiare conſueverint, ut innumeris Scriptorum teſtimoniis erudimur, quorum nonnulla opportune in Faſtis Atticis [2] indicavi.

(1) Lib. I. ſeg. 111. (2) Tom. II. pag. 320.

An. $\frac{2}{3}$. Solon Athenis Archon XC.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 22.

Archontis Eponymi dignitatem Soloni conceſſam fuiſſe pluribus Scriptorum teſtimoniis erudimur. Ac primo quidem Plutarchus [(1)] ait: Ἀλλ᾽ αὐτὸς ὁ Σόλων ὀκνῶν, φησὶ, τὸ πρῶτον ἅψασθαι τῆς πολιτείας, καὶ δεδοικὼς τῶν μὲν τὴν φιλοχρηματίαν, τῶν δὲ τὴν ὑπερηφανίαν, ᾑρέθη δὲ Ἄρχων μετὰ Φιλόμβροτον *verum ipſe primo ſe Solon dubitaviſſe hanc actionem refert ſuſcipere, deterritum horum avaritia, illorum inſolentia. Creatus autem fuit ſecundum Philombrotum Archon*. Laërtius [(2)] id apertius adhuc oſtendit: Ἤκμαζε μὲν οὖν ὁ Σόλων περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, ἧς τῷ τρίτῳ ἔτει ἦρξε τῶν Ἀθηναίων, καθά φησι Σωσικράτης *floruit autem maxime circa quadrageſimam ſextam Olympiadem, cuius tertio anno Archon Athenienſium fuit, ut ait Soſicrates*. Ita propemodum Clemens [(3)] Ἤκμαζεν οὖν ὁ Σόλων κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα *itaque floruit Solon quadrageſima ſexta Olympiade*.

At neque ſolum hoc anno ſupremam illam Archontis Eponymi dignitatem ſuſcepit Solon; ſed etiam leges a Graecis omnibus, atque Latinis mire celebratas conſtituit. Certe Hieronymus id anno 2. huius Olympiadis aſſignavit: quod argumento eſſe poterit ipſius nomen anno $\frac{2}{3}$ huius Olympiadis Faſtis inſcribendum eſſe. Antequam tamen abrogatis Draconis legibus *cyrbes*, aut *axones* ipſe proponeret, quibus veluti tabulis novae mitioreſque leges inſcriptae fuerant, *Siſachthiam*, hoc eſt *oneris excuſſionem* induxit. Etenim Plutarcho teſte τοῦτο ἐποιήσατο πρῶτον πολίτευμα γράψας τὰ μὲν ὑπάρχοντα τῶν χρεῶν ἀνεῖσθαι. πρὸς δὲ τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν *hoc primum fuit quod in Republica ab eo actum lege lata ut quae debita tunc exiſterent, remitterentur, deinceps autem ne in corpora quis foeneraret*. Itaque Athenienſes primo quidem offenſi, ſed aequiſſima lege mox deliniti ſacrificium quotannis peragendum inſtituerunt, quod ex oneris excuſſione *Siſachthiam* appellarunt.

Ita quoque Rempublicam, Atticaeque cives quatuor in claſ-

(1) In Solone. (2) Libr. I. ſegm. 62. (3) Strom. Lib. I.

claſſes diviſit. Etenim Plutarcho teſte *τοὺς μὲν ἐν ξηροῖς ὁμοῦ καὶ ὑγροῖς μέτρα πεντακόσια ποιοῦντας, πρώτους ἔταξε. καὶ πεντακοσιομεδίμνους προσηγόρευσε. δευτέρους δὲ, τοὺς ἵππον τρέφειν δυναμένους, ἢ μέτρα ποιεῖν τριακόσια. καὶ τούτους ἱππάδα τελοῦντας ἐκάλουν. ζευγῖται δὲ οἱ τοῦ τρίτου τιμήματος ὠνομάσθησαν, οἷς μετρον ἦν συναμφοτέρων τριακοσίων. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἐκαλοῦντο θῆτες* quorum facultates aridorum ſimul & liquidorum menſuras quingentas redderent, hos primae claſſis fecit, & Pentacoſiomedimnos appellavit. Secundae claſſis eos, qui equum alere, aut trecentas efficere poſſent, hos Equites vocavit. Tertiae claſſis Zeugitae dicti, quorum utriuſque generis ſimul ducentae erant. Ceteri omnes Thetes vocati.* Eadem fere Ariſtoteles [1], Pollux [2], aliique plures, quos Meurſius diligentiſſime exſcripſit [3]: quamvis in exprimendo Claſſium numero recentiores quidam aberraverint.

Nemo tamen gravius a Plutarchi mente Soloniſque conſilio aberravit, quam Clericus [4]; qui, quum ſuperiora Plutarchi, & Pollucis verba a Stanleio citata legiſſet, adnotavit quod hallucinatur hic Latinus Interpres, & ab eo Meurſius, & Stanleius decepti ſunt. *Zeugitae enim*, inquit, *dicti quod bini ſemper coniunctim iſtam penſionem dare deberent*, *ζεῦγος enim* iugum *eſt. Eoque pertinent* Plutarchi *verba οἷς μέτρον ἦν συναμφοτέρων* quibus iunctis duobus ſemper menſura fuit, *ubi male Interpres Latinus :* quorum utriuſque generis ſimul ducentae erant. Itane vero Zeugitae minas *decem* ſolvere tenebantur, ut ipſorum quilibet ſocium coniugemque inquirere cogeretur, cum quo integrum *Zeugitarum* tributum ſolveret? non vero potius tributum illud viritim diſtributum fuerat, atque Zeugitarum ſingulis imperatum ut *quinque* ſeorſim praeberent? Ζεῦγος quidem eſt *iugum*, atque ex *iugo* ipſo cives illi *Zeugitae* ſunt appellati; at non ex iugo, quo duo ſimul cives coniuncti forent, ſed ex illo potius, quo iumenta iungerentur; adeoque tributum illud *ζευγίσιον iugale, iugerinum* vocatum, quod ab iis, qui bigas, bigarumque iumenta poſſiderent, ſolveretur. Perſpicue id Pollux [5] oſtendit ubi ſubdit: *καὶ οἱ ζευγοτροφοῦντες ζευγίσιον ἐτέλουν & iumenta alentes Zeugiſium ſolvebant*. Itaque in Plutar-

(1) Polit. Lib. II. c. 10. (2) Lib. VIII. c. 10. (3) Cap. 14. (4) Not. ad Stanl. in Solone pag. 36. (5) Lib. VIII. c. 10. ſegm. 132.

tarchi loco non *συναμφοτέρων*, ut temere Clericus exiſtimavit, ſed hoc uno ſenſu *συναμφοτέρων* legi debet; ut quemadmodum ii, qui ex utriſque fructibus, aridis nimirum ac liquidis, quingentas menſuras haberent, *Pentacoſiomedimni* dicebantur, ita ad tertiam, vel *Zeugitarum* claſſem ſpectarent qui ex utriſque, aridis nempe ac liquidis, ducentas haberent; ſive, ut Pollux aliam, verioremque nominis originem exprimens ait, iumenta bigis trahendis apta poſſiderent.

Epimenides Cretenſis Phaeſtii, ſive Doſiadae, vel Ageſarchi, ſive, ut Dionyſius Dyſcolus (1) ait, Boli filius Athenis moram ducens Solonem in condendis Athenienſium legibus iuviſſe dicitur.

An. $\frac{3}{4}$ Dropides Athenis Archon XCI.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 23.

Dropidis Archontis annus ac dignitas perſpicuo Philoſtrati (2) teſtimonio confirmatur: Ἐπεὶ δὲ ἄριςα μὲν ἦν πεπαιδευμένος, γνώμας δὲ πλείςας ἑρμηνεύων, ἐς Δρωπίδην δ' ἀναφέρων, ὅς μετὰ Σόλωνα Ἀθηναίων ἦρξεν *verum quum optime inſtitutus fuerit, ſententiaſque plurimas ipſe ſermone protulerit, & ad Dropidem genus referret, qui poſt Solonem Athenienſium Archon fuit*. Dropidem autem hunc Solonis fratrem, Critiaeque patrem fuiſſe Laërtius (3), Suidas (4), Libanius (5), Plato (6), aliique prodidere.

Hoc anno Solon, ut legibus antea conſtitutis per abſentiam decennalem robur conciliaret, in Aegyptum conceſſit, inde Cyprum, tum Lydiam inviſit, Sardibuſque Croeſum, ſuperſtite tamen adhuc Alyatte patre, imperantem convenit. Plurima, atque perſpicua ſunt Veterum teſtimonia, quibus haec itinera demonſtrantur; quamvis, ut optime obſervavit Meurſius (7), nonnulli primum Solonis iter hac Olympiade inſtitutum cum illo confuderint, quod occupata a Piſiſtrato tyrannide poſtea ſuſcepit.

OLYM-

(1) Cap. 1. (2) Sophiſt. Lib. I. in Critia. (3) Lib. III. ſegm. 1. (4) In Πλάτων. (5) Declam. XXVI. (6) In Timaeo. (7) In Solone.

OLYMPIAS XLVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4122. Vrb. Cond. 162.
Eucrates Athenis Archon XCII.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 24.

Eurycles Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Megacles Athenienſis ignoto certaminis genere in Olympia viciſſe dicitur a Pindari Scholiaſte, qui, quum VII. Pythiorum Odem Athenienſi cuidam Megacli inſcriptam eſſe obſervaſſet, haec adnotavit: Γέγραπται ἡ ᾠδὴ Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα τεθρίππῳ. Ἔστι δὲ οὗτος οὐχ ὁ τὰ Ὀλύμπια νενικηκώς, ἀλλ' ἕτερος. τὴν γὰρ τεσσαρακοστὴν ἑβδόμην ἐκεῖνος Ὀλυμπιάδα ἀναγέγραπται νενικηκώς: *Scripta eſt Ode Megacli Athenienſi, qui octogeſima octava Pythiade vicit tethrippo. Eſt autem hic non ille, qui Olympia vicit, ſed alius; ille enim quadrageſima ſeptima Olympiade victor renunciatus fuit.*

Meurſii inconſtantiam in eximio Pindarici Scholiaſtae loco explicando opportunius alibi (1) expoſui; quemadmodum in *Agoniſticis* (2) obſervavi Megaclem hunc Alcmaeonis filium, ſive ex illuſtri Alcmaeonidarum gente non fuiſſe, quum Herodotus Alcmaeonem Olympionicam fuiſſe dixerit; Pindarus autem ibi ver. 12. perſpicue dicat *Alcmaeonidas* ſemel tantum in Olympicis Ludis palmam retuliſſe.

Eucratis vero Archontis nomen nobis expreſſit Laërtius (3), qui Anacharſidem Scytham huius Archontis anno Athenas veniſſe dicit: Λέγει δὲ αὐτὸν Σωσικράτης ἐλθεῖν εἰς Ἀθήνας κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα, ἐπὶ Ἄρχοντος Εὐκράτους *Eum Soſicrates Athenas conceſſiſſe quadrageſima ſeptima Olympiade, ſub Eucrate Archonte, tradidit.* Quamvis autem Soſicrates ille, ſive Laërtius, Olympiadis annum non expreſſerit, facilius hic *primus*, quam alter, Olympiadis annus intelligi debet, quum ſolo Olympiadis cuiuſdam nomi-

ne

(1) Tom. II. pag. 59. (2) Pag. 134. (3) Lib. I. ſeg. 101.

ne primus eiuſdem annus frequentius deſignari conſueverit, ut pluribus exemplis aliis oſtendi poſſet.

An. $\frac{2}{3}$. Simon, *ſive* Simonides, Athenis Archon XCIV.

Simonis Archontis nomen, aliaque plura ad Hiſtoriam Graecam ſpectantia praeſtantiſſimus Oxonienſis Chronici Scriptor expreſſit [1]: Ἀφ' οὗ Ἀμφικτύονες ἐνίκησαν ἑλόντες Κύῤῥαν, καὶ ὁ γυμνικὸς ἐτέθη χρηματίτης ἀπὸ τῶν λαφύρων ἔτη ΗΗΗΔΔΠΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Σίμωνος *A quo Amphictyones victoriam obtinuerunt Cyrrham capientes, & Agon gymnicus editus fuit Chrematites dictus e ſpoliis, anni CCCXXVII. Archonte Athenis Simone*. Itaque ex celeberrima Scriptoris huius Epocha Simonis principatus, Pythicuſque Agon Cyrrhaeis iam direptis inſtitutus 327. annis citimam Marmoris Epocham, hoc eſt annum 1. Olympiadis CXXIX. praeceſſerat, adeoque anno $\frac{2}{3}$. Olympiadis XLVII. contigerat. Hiſtoriam ipſam, Archontiſque nomen diſſimulata Olympiade Scholiaſtes etiam Pindari memoravit [2]: Εὐρύλοχος ὁ Θεσσαλὸς καταπολεμήσας Κιῤῥαίους ἀνεκτήσατο τὸν Ἀγῶνα τοῦ Θεοῦ . . . περιεγένετο δὲ αὐτῶν ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι μὲν Σιμωνίδου, Δήλῳ δὲ Γυλίδα . . . . καὶ δὲ τοῦτον χρηματίτην μόνον ἔθετο. Μετὰ δὲ χρόνον ἑξαετῆ . . . . ἐπὶ μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος Δαμασίου, ἐν δὲ Δήλῳ Διοδώρου ὕστερον καὶ στεφανίτην ἔθεντο *Eurylochus Theſſalus, quum debellaviſſet Cirrhaeos, conſtituit Certamen in Dei* Apollinis *honorem . . . . . vicit autem illos Archonte Athenis quidem Simonide, in Delo vero Gylida . . . . & Agonem ipſum chrematitem ſolum decrevit. Verum poſt ſex annos . . . . Archonte Athenis quidem Damaſia, in Delo autem Diodoro, iterum coronarium ſtatuerunt*. Quem exſcripſiſſe clariuſque tamen expreſſiſſe videtur Scholiaſtes alius [3]: Τὸν Πυθικὸν Ἀγῶνα διέθηκεν Εὐρύλοχος ὁ Θεσσαλὸς σὺν τοῖς Ἀμφικτύοσι τοὺς Κιῤῥαίους καταπολεμήσας . . . . ἐπὶ Ἄρχοντος Δελφοῖς μὲν Γυλίδα, Ἀθήνησι δὲ Σίμωνος, καὶ νικήσας ἔθετο τὸ χρηματικὸν Ἀγῶνα . . . . . ἔθετο δὲ Ἀγῶνα κιθαρῳδικὸν, ὥσπερ καὶ πρότερον προσέθηκε δὲ αὐλητὴν καὶ αὐλῳδόν . . . . . καὶ ἔτει ἕκτῳ μετὰ τὴν τῆς Κίῤῥας ἅλωσιν, ἀνεκήρυξαν τῷ θεῷ τὸν στεφανίτην ἐπὶ Διοδώρου μὲν Ἄρχοντος Δελφοῖς, Ἀθήνησι δὲ Δαμασίδος *Pythicum Certa-*

(1) Epoch. 38. Lin. 53. (2) Argum. II. in Pyth. (3) Argum. IV. in Pyth.

tamen inſtituit Eurylochus Theſſalus una cum Amphictyonibus quum Cirrhaeos debellaſſet ..... Archonte Delphis quidem Gylida , Athenis vero Simone ; victoriaque parta chrematitem Agonem decrevit ..... Citharoedorum vero certamen , ut prius , admiſit, ſimulque *tibicinem , cantoremque ad tibiam adiecit .... ſextoque poſt Cirrhae excidium anno coronarium Dei Agonem* Amphictyones *decreverunt , Diodoro quidem Delphis Archonte , Athenis vero Damaſide*. Perſpicuis eiuſmodi teſtimoniis una collatis contra Meurſium , alioſque plures iampridem in *Agoniſticis Diſſertationibus* (1) demonſtravi primam Pythiorum inſtitutionem, & Simonis Archontis nomen anno $\frac{2}{3}$. Olymp. XLVII. Faſtis Atticis inſcribendum eſſe, quem temere Meurſius in anno 3. Olymp. XXXIII. collocaverat.

An. $\frac{3}{4}$. Pittacus hoc anno Mitylenes patriae ſuae tyrannidem arripuiſſe legitur. Etenim Laërtius (2) ait : ἤκμαζε μὲν οὖν περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα. ἐτελεύτησε δ' ἐπὶ Ἀριστομένους τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς πεντηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος βιοὺς ὑπὲρ ἔτη ἑβδομήκοντα *floruit maxime circa quadrageſimam ſecundam Olympiadem . Mortuus eſt autem ſub Ariſtomene , tertio anno quinquageſimae ſecundae Olympiadis , quum vixiſſet ſupra annos ſeptuaginta*. Itaque, quum annis *decem* tyrannidem occupaverit , totidemque prorſus illa depoſita privatam vitam degens ſuperſtes fuerit , ſi Olymp. LII anno 3 e vivis exceſſit , tyrannidis initium ad annum 3. Oly. XLVII. referendum erit.

OLYMPIAS XLVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4126. Vrb. Cond. 166.
Philippus Athenis Archon XCVI.

Tarquinius Priſcus Rex V anno 28.

Glycon Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Pauſaniae tamen victor ille *Glaucias* appellatur (3) : Τῆς δὲ

(1) Pag. 30. & 31. (2) Lib. I. ſegm. 79. (3) Phoc. c. 7.

τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης, ἣν Γλαυκίας ὁ Κροτωνιάτης ἐνίκησε, ταύτης ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες *quadrageſimae demum & octavae Olympiadis, qua vicit Glaucias Crotoniata, anno tertio certamina inſtituerunt Amphictyones*. Pythagoras autem Samius *pugilatu* vicit. Africanus: Πυθαγόρας Σάμιος ἐκκριθεὶ παίδων πύγμην, καὶ ὡς θῆλυς χλευαζόμενος, προβὰς εἰς τοὺς ἄνδρας ἅπαντας ἑξῆς ἐνίκησε *Pythagoras Samius e puerorum pugilatu excluſus, atque ut effeminatus irriſus, ad viros progreſſus*, atque cum illis congreſſus, *omnes ordine ſuperavit*. Victoriam ipſam Heſychius (1), & Auctor Proverbiorum (2) in Appendice Vaticana indicavit. Vterque tamen ex Laërtio (3) accepit, qui in Pythagorae Philoſophi Vita diſerte ſcribit: Ἐρατοσθένης δέ φησι (καθὸ καὶ Φαβορῖνος ἐν τῇ η΄ παντοδαπῆς ἱστορίας παρατίθεται) τοῦτον εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα, ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τετταρακοστῆς Ὀλυμπιάδος, κομήτην καὶ ἁλουργίδα φορεῦντα. ἐκκριθῆναί τε ἐκ τῶν παίδων, καὶ χλευασθέντα, αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας, καὶ νικῆσαι *porro hunc Eratoſthenes, (quem & Phavorinus in omnimoda hiſtoria ſequitur in libro octavo) primum fuiſſe tradit, qui XLVIII. Olympiade peritus ac exercitatus pugil certaverit, quem comatum atque purpuratum, eiectumque ex puerorum ludo atque irriſum, continuo viros petiiſſe, ac viciſſe*. Euſebius tamen victoriam hanc in Olymp. LI. collocavit.

Philippi vero Archontis nomen atque annus nitide diſerteque a Clemente (4) Alexandrino conſtituitur ubi de Iudaeorum captivitate diſſerens ait illam contigiſſe Φιλίππου Ἀθήνησιν Ἄρχοντος τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος *Philippo Athenis Archonte anno primo quadrageſimae octavae Olympiadis*, quod ex Clemente ipſo totidem fere verbis expreſſit Euſebius. Hieronymus tamen Clementis ac Euſebii verba interpretatus Archontem illum *Phaenippum* vocavit, quod Scaliger etiam rectius exiſtimavit. Quod autem Philippum hunc anno $\frac{4}{1}$. non $\frac{1}{2}$ Faſtis inſcripſerim in cauſſa fuit, quod plerique Veteres Faſtorum Scriptores, ut Diodori aliorumque exemplo erudimur, ubi Archontem aliquem Olympicis annis adſcribunt, illum ineuntibus ſolum annis tribuunt; quum tamen Oxonienſis Chronici Scriptor Archon-

(1) In Ἐν Σάμῳ κομήτας. (2) Cent. I. Prov. 87. (3) Libr. VIII. ſegm. 47.
(4) Strom. Lib. I.

chontes ipſos ad exeuntes potius Olympicos annos revocaverit, qui ipſis magiſtratu fungentibus exituri fuerant. Itaque, ſi Phaenippus anno 1. Olymp. XLVIII. tribuitur, accuratius ille ad annum $\frac{4}{1}$. referendus erit.

An. $\frac{3}{4}$. Damaſias II. Athenis Archon IC.

Damaſiae Archontis nomen uterque Pindari Scholiaſtes [1] in anno 2. Oly. XLVII. iam memoratus expreſſit. In Oxonienſi quoque Marmore nomen ipſum occurrit ubi Pythicus Agon iterum celebratus, ſed pro *pecuniario* tamen *coronarius* ſolum factus aſſeritur [2]: Ἀφ' οὗ ϛεφανίτης Ἀγὼν πάλιν ἐτέθη ἔτη HHHΔΠIII Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου τοῦ δευτέρου *Ex quo ſtephanites* vel coronarius *Agon denuo celebratus fuit anni* 318. *Archonte Athenis Damaſia ſecundo*. Eiuſmodi quidem characteres & anni annum $\frac{3}{4}$. Olymp. XLIX. perſpicue deſignant; adeoque, niſi mendum in numerales notas irrepſerit, Damaſiae principatus primuſque Pythicus coronarius Agon ad annum illum referri debet. Pluribus tamen iiſque certis Veterum teſtimoniis in *Agoniſticis Diſſertationibus* [3] demonſtravi tum Pythiorum certamen, tum Damaſiae Archontis principatum non altero, quam anno $\frac{4}{1}$. Olympiadis XLVIII. contigiſſe. Ac primo quidem Pindarici Scholiaſtae locus occurrit, qui inter Simonis & Damaſiae principatum, inter primam ſecundamque Pythiadem *ſex* ſolum annos fluxiſſe dicit; quamvis utrumque Scholiaſtae locum Lydiatus, Valeſius, aliique plures temere ſollicitaverint, ibique pro ἑξαετῆ, & ἔτει ἕκτῳ reſcribendum velint ἐννεαετῆ, & ἔτει ἐνάτῳ. Graviſſima deinde Pauſaniae [4] auctoritas adiungi debet, qui Pythicos Ludos Olymp. XLVIII. ab Amphictyonibus addito equorum, & quadrigarum certamine celebratos eſſe teſtatur: τῆς τεσσαρακοςῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης, ἣν Γλαυκίας ὁ Κροτωνιάτης ἐνίκησε, ταύτης ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες *quadrageſimae octavae Olympiadis, qua Glaucias Crotoniata vicerat, anno tertio certamina inſtituerunt Amphictyones*. Itaque, ſi Pythici Ludi Damaſiae Archontis anno ſunt inſtituti, eorumque inſtitutio anno $\frac{3}{4}$. Olymp. XLVIII.

L 2 cer-

(1) Argum. in Pyth. (2) Epoch. 39. lin. 54. (3) Pag. 31. (4) Phocic. c. 7.

ceti∫∫ime adſcribi debet, Damaſias etiam eodem anno Eponymorum Archontum Faſtis inſcribendus erit. Denique hunc ipſum Damaſiae noſtri ſitum illuſtri, neque tamen hactenus explorato, Laërtii (1) loco demonſtravi. Etenim Scriptor ille de Thalete loquens ait: *Ἦν τοίνυν ὁ Θάλης πατρὸς μὲν Ἐξαμίου, μητρὸς δὲ Κλεοβουλίνης. καὶ πρῶτος σοφὸς ὠνομάσθη Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου* *igitur Thales patre quidem Examio, matre vero Cleobulina genitus eſt; atque omnium primus ſapiens eſt appellatus Archonte Athenis Damaſia*. Meurſius, Scaliger, Petavius, Dodvellus, aliique plurimi ita locum hunc explicarunt ut Damaſiae Archontis anno Thaletem in lucem prodiiſſe velint; ideoque, quum Thales anno 1. Olymp. XXXV. natus alibi memoretur, Damaſiae huius nomen eo anno Faſtis Atticis inſcripſere. Sed ipſe omnium primus oſtendi Laërtium ibi de tempore loquutum eſſe, non quo Thales in lucem prodierit, ſed quo *Sapientis* nomen una cum ceteris *ſex* Graeciae Viris acceperit; quum praeſertim Laërtius (2) ipſe mox dicat: *καὶ πρῶτος Θάλης σοφὸς ὠνομάσθη Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν οἱ ἑπτὰ σοφοὶ ἐκλήθησαν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαλερεὺς ἐν τῇ τῶν Ἀρχόντων ἀναγραφῇ* & omnium *primus Thales ſapiens eſt appellatus Archonte Athenis Damaſia*, *quo tempore VII.* Graeciae *Sapientes ſunt nominati*, *ut ait Demetrius Phalereus in Archontum Recenſione*. Eiuſmodi vero *Sapientis* nomen Thaleti ceteriſque conceſſum eſſe, adeoque Damaſiae principatum hac Olympiade contigiſſe ex Periandri vita manifeſtiſſime demonſtravi; quum Periander ipſe, qui ex Sapientibus illis unus fuit, anno 4. Olymp. XLVIII. e vivis exceſſerit, ut opportune mox oſtendetur. Ergo Damaſiae Archontis nomen, Pythici Ludi iterato ſplendideque celebrati, *Sapientis* nomen Philoſophis illis conceſſum ad an. 3. Olymp. IL. cum Marmoris Auctore, aut ad 4. cum Hieronymo differri non poterit; ſed huic Olympiadi eiuſque anno 3. adſcribi debebit; quumque Pythiades veluti ſtato ſolemnique tempore circa Elaphebolionis finem, ſive Munychionis initium, adeoque exeunte fere anno 3. Olympiadum peragerentur, Damaſias ipſe anno $\frac{3}{4}$ huius Olympiadis adſcribendus erit.

In

(1) Lib. I. ſeg. 22. (2) Seg. 38.

In Pythicis vero Ludis iſtis coronam retulerunt

Aechmeas Parapotamius *puerorum pugilatu* (1)
Cephallen Olympi, ſeu Lampi filius *cytharoedia* (2)
Echembrotus Arcas *auloedia* (2)
Execeſtides Phocenſis *adultorum equorum biga* (3)
Sacadas Argivus *auloedia* (3)

Periander Corinthi tyrannus hoc anno e vivis exceſſit. Etenim Laërtius (4) perſpicue docet *πρότερον Κροίσȣ τελευτῆσαι ἀυτὸν ἔτεσι τεσσαράκοντα, κ̀ ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοςῆς ἐννάτης Ὀλυμπιάδος obiiſſe illum quadraginta annis ante Croeſum, atque uno ante Olympiadem IL.* Euſebius tamen id anno 1. contigiſſe ſcribit: Ἡ τῶν Κορινθίων κατελύθη Μοναρχία *Corinthiorum Monarchia ſublata fuit*; adeoque facile Periandri mortem in illo collocandam eſſe putavit. Quandoquidem vero in anno 3. ſequentis Olympiadis adnotavit: Οἱ ἑπτὰ σοφοὶ ὠνομάσθησαν *ſeptem* Graeciae Viri *Sapientes ſunt appellati*, idemque prorſus a Hieronymo quoque tunc memoratur, vel Periandrum ceteris accenſendum eſſe non viderat, quemadmodum certe ipſum inter ſeptem Viros illos alibi (5) non recenſet, vel Corinthiorum tyrannidem Periandro adhuc ſuperſtite ſublatam eſſe putaverat. Ita Scaliger hic corrigendus, qui in *Collectaneis*, *Sapientis* nomen VII. Viris illis Olympiadis L. anno 1. conceſſum eſſe adnotavit.

OLYMPIAS IL.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4130 Vrb. Cond. 170.
. . . . Athenis Archon C.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 32.

Lycinus Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. $\frac{1}{2}$. Quum Solon, Plutarcho (6), Herodoto (7), Dione (8), aliiſque teſtibus, decem extra patriam annos exiſſet, Athenas reverſus cives ſeditione laborantes invenit,

(1) Pauſan. Phoc. c. 33. (2) Phocic. c. 7. (3) Phocic. c. 7. (4) Lib. I. ſeg. 95.
(5) Lib. I. pag. 42. (6) In Solone. (7) Lib. I. (8) Lib. XXXVIII.

nit; quum *Pediaeis* Lycurgus, *Paraliis* Megacles Alcmaeonis filius, *Diacriis* Piſiſtratus imperaret, factioneſque illae acerrime inter ſe diſſiderent.

An. $\frac{3}{4}$. Pythias hoc anno celebrata fuit, a qua Pythiades aliae mox inſequutae numerari coeperunt, ut perſpicuis Veterum teſtimoniis in *Agoniſticis Diſſertationibus* (1) oſtendi: quamvis Scaliger in *Collectaneis Hiſtoriarum* Pythiadas a XLVIII. Olymp. anno 3. numeratas eſſe putaverit, idemque prorſus error a Meurſio admiſſus plurima Faſtorum loca, quae ille diſpoſuit, mire perturbaverit, quum Pythionicarum victoriam una citius Olympiade memoraverit. Itaque Pythias iſta ſplendidius fortaſſe celebrata omnium *prima* cenſeri vocarique ſolet.

Cliſthenes Sicyoniorum tyrannus *curru* Pythia viciſſe dicitur a Pauſania (2).

Sacadas etiam Argivus *auloedia* vicit (3).

Euſebius autem non Pythia ſolum, ſed Iſthmia quoque hoc anno peracta ſimulque primum inſtituta putavit: Ι'σθμια, καὶ Πύθια πρῶτον ἤχθη μετὰ Μελικέρτην *Iſthmia*, *&* *Pythia primum poſt Melicertem celebrata*. Sed utrobique certe Euſebius, ipſique inhaerens Hieronymus fallitur. Quod enim ad Iſthmiades attinet, quamvis Solinus (4) ipſas Cypſelidarum aetate intermiſſas fuiſſe dixerit, idque Scaligero (5) ac Dodvello (6) quoque impoſuerit, perſpicue tamen oſtendi (7) illas Solonis, adeoque Periandri aetate peragi conſueviſſe. Pythiadas autem Olymp. XLVII. reſtitutas, moxque Olymp. XLVIII. ſplendidius celebratas fuiſſe ſuperius demonſtravi.

OLYMPIAS L.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4134. Urb. Cond. 174.
. . . . Athenis Archon CIV.

Tarquinius Priſcus Rex V. anno 36.

Epi-

(1) Pag. 38. (2) Phocic. c. 7. (3) Pauſan. ibi, & Eliac. II. c. 14. Boeot. c 30. Corinth. c. 22. (4) Cap. 12. (5) Ad Chr. Euſeb. (6) De Cyclis Diſſ. VI. ſect. 3. (7) Agoniſt. Diſs. pag. 83.

Epitelidas Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Dionyſio, qui mox ad annum 4. proferetur.

Onomacritus Athenienſis hac Olympiade floruiſſe dicitur a Tatiano [1] ubi de Orphei carminibus loquens ait: *τὰ εἰς αὐτὸν ἐπιφερόμενά φασιν ὑπὸ Ὀνομακρίτου τοῦ Ἀθηναίου συντετάχθαι γενομένου κατὰ τὴν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα quae ei attribuuntur, Onomacritus Athenienſis Piſiſtratidis imperantibus circa quinquageſimam Olymp. compoſuiſſe fertur*. Quae Tatiani verba Clemens [2] exſcripſit. Hinc Meurſius [3], aliique plures initium tyrannidis a Piſiſtrato occupatae ad Oly. hanc revocarunt; quum tamen illa exeunte ſolum Oly. LIV. ſive potius ineunte LV. inceperit, ut ibi oſtendetur. Illud unum hic opportune obſervandum quod Tatianus & Clemens ita Onomacriti aetatem expreſſere, ut addito Piſiſtratidarum nomine, & Olympiadis L. numero ipſam definiverint: non perinde quaſi tyrannis ipſa in Olymp. L. inciderit, ſed quod Onomacritus & Olymp. L. & etiam Piſiſtratidarum temporibus vixerit, quorum utrumque veriſſimum eſt; quum Onomacritus & Oly. L. & Piſiſtratidarum initio diu ſuperſtes fuerit, & Piſiſtrato iam defuncto Olymp. LXIII. adhuc ille Hipparcho tyrannide potito familiaris, acceptuſque fuerit. Ita propemodum Anaximenis aetatem a Suida deſignatam eſſe conſpicimus, ut in Olymp. LV. obſervabitur, ubi Scriptor ille Anaximenem LV. Olympiade Sardium exciſarum tempore vixiſſe dicit; quum tamen Sardium clades Olymp. LIX. contigerit. Itaque fruſtra ex ambiguis illis Tatiani, & Clementis verbis Meurſius verum tyrannidis initium exſculpere ſe poſſe putavit; quum praeſertim voces illae *περὶ τὴν πεντηκοστὴν circa quinquageſimam* non accurate L. ſed ceteras etiam proxime inſequentes aut praecedentes Olympiades deſignare potuerint.

Sed quid coniecturis, aut argumentis aliis hic immorer, cum veram Onomacriti aetatem ex Herodoto deprehenderim, adeoque vel Tatianum erraſſe, vel in ipſius textum errorem aliquem irrepſiſſe iam viderim? Narrat Herodotus [4] Piſiſtratidas Athenis expulſos ad Darium Perſarum regem confugiſſe, eoque iam defuncto, Xerſi, qui in regno ſucceſſerat,

(1) Orat. ad Graecos pag. 138. (2) Strom. Lib. I. (3) De Arch. Ath. Lib. I. c. 14. & in Piſiſtrato c. 3. (4) Libr. VII. c. 6.

rat, converſatos eſſe; ſimulque cum illis Onomacritum vaticiniorum Interpretem in Xerſis aula degentem Regem ipſum in Athenienſes incitaſſe. Itaque Onomacritus Marathoniae pugnae Dariique morti ſuperſtes ad Xerſis initia; adeoque Olymp. LXXIV. pervenit. Ergo Olymp L. florere certe non poterat, ut a Tatiano dicitur, ſed honor ille, quem a Piſiſtrato, Hipparcho, ceteriſque Graecis eſt aſſequutus, ad Olymp. LX. longe commodius referri debet. Hinc ego facile Tatianum deceptum eſſe putaverim; atque fortaſſe in ipſius textu non *quinquageſimae*, ſed *ſexageſimae* potius Olympiadis numerum reſcribendum eſſe coniecerim.

Ad haec ipſa tempora primam Comoediae in tabulatis agendae inſtitutionem facile revocaverim, quae in Oxonienſi Marmore memoratur [1]: Α'φ' ȣ̃ ἐν Α'θήναις Κωμῳδία πρῶτον ἐτέθη ἐν σάνισι, τῶν Ι'καριέων εὑρόντων Συσαρίωνος, καὶ Δόλονος, οἷ τεθρίππῳ τὸν ἰσχάδων ἄρσιχον, καὶ πίθον ὄινȣ ἀνέφερον, ετη ΗΗΙΔΙ . . . , ἄρχοντος Α'θήνησι . . . . . . *A quo Athenis Comoedia primum acta eſt in ſcena tabulata, inventoribus Suſarione, & Dolone Icarienſibus, qui pro praemio ficuum cophinum, & vini dolium quadriga exportarunt, anni CCL . . ., Archonte Athenis . . . . .*

Quamvis enim & Archontis Eponymi nomen, & annorum numerus in exeſo Marmore prorſus exciderit, perſpicuum eſt tamen inventum illud inter Damaſiae, & Comiae Archontis annos, hoc eſt 3. Olymp IL. & 1. Olymp. LV. incidiſſe, adeoque facile ad Olymp. L. revocari poſſe.

Suſarion ipſe veluti Comoediae inventor a Clemente Alexandrino [2] laudatur; deque illo plura Pearſonius, atque Bentleius a Fabricio [3] citati.

An. $\frac{3}{4}$. Archeſtratides Athenis Archon CVII.

Servius Tullius Rex VI. anno 1.

Archontis, Regiſque nomen expreſſit Dionyſius [4], qui narrata Tarquinii Priſci morte ſubdit: Διάδοχος δὲ τῆς ἡγεμονίας ὁ γαμβρὸς ἀυτȣ̃ γίνεται Τύλλιος, ἐνιαυτῷ τετάρτῳ τῆς πεντη-

τη-

(1) Epoch. 40. Lin. 54. (2) Strom. Lib. I. (3) Tom. I. pag. 791. (4) Lib. IV. num. 1.

τηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Ἐπιτελίδης Λάκων, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀρχεστρατίδου Tullus autem eius gener illi in regno ſucceſſit, anno quarto quinquageſimae Olympiadis, qua vicit in ſtadio Epitelides Lacon, Archonte Athenis Archeſtratide.

Sacadas Argivus iterum *auloedia* hac Pythiade II. vicit ex Pauſania [1]. Itaque, quum Ludis etiam Amphictyonum vicerit, a Plutarcho [2] *ter* Pythiorum victor vocatur.

OLYMPIAS LI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4138. Vrb. Cond. 178.
. . . . Athenis Archon CVIII.

Servius Tullius Rex VI. anno 2.

Eratoſthenes Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. 2. Euſebius ait quod hoc anno Ἀναξίμανδρος Μιλήσιος φυσικὸς φιλόσοφος ἐγνωρίζετο: *Anaximander Mileſius Phyſicus Philoſophus agnoſcitur*; idque Hieronymus etiam adnotavit.

An. $\frac{3}{4}$. Pythocritus Sicyonius Pythiade III quae hoc Olympiadis anno celebrata fuit, ſimulque aliis *quinque* mox inſequutis *auloedia* palmam in Pythiis Ludis obtinuit ex Pauſania [3].

OLYMPIAS LII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4142. Vrb. Cond. 182.
. . . . Athenis Archon CXII.

Servius Tullius Rex VI. anno 6.

Agis Eleus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Arachion Phigalenſis Arcas *pancratio* palmam in Olym-

(1) Eliac. II. c. 14. Phocic. c. 7. Boeot. c. 30. Corinth. c. 22. (2) De Muſica.
(3) Eliac. II. c. 14.

lympiis ipſis obtinuit ex Africano, & Pauſania, quorum teſtimonia in Olymp. LIV. proferentur.

Aeſopus e Cotieo Phrygiae urbe oriundus hac Olympiade floruiſſe dicitur a Laërtio [1]; quippe qui Solonis, Periandri, Croeſi, Chilonis, atque Piſiſtrati aequalis aetate fuerit, ut ex Suida [2], Plutarcho [3], aliiſque Scriptoribus erudimur. Hinc Euſebius, ac Hieronymus illum in anno 1. Olymp. LIV. collocarunt, qua ipſum a Delphis interemptum eſſe teſtantur [4].

An. $\frac{2}{3}$. Ariſtomenes Athenis Archon CXIV.

Archontis nomen, ſimulque Olympiadis annum, quo is imperavit, expreſſit Laërtius [5], qui Pittacum ipſo Archonte obiiſſe dicit: Ἐτελεύτησε δὲ ἐπὶ Ἀριστομένους τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς πεντηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος βιοὺς ὑπὲρ ἔτη ἑβδομήκοντα *mortuus eſt ſub Ariſtomene, tertio anno quinquageſimae ſecundae Olympiadis, quum vixiſſet ſupra annos ſeptuaginta*. Meurſius [6] tamen, ac Menagius [7] reſcribendum aſſerunt ὀγδοήκοντα *octoginta*, quum praeſertim ipſi 100. aetatis annos adſcribat Lucianus [8], ac Laërtius ipſe, & Cyrillus [9] Pittacum Olymp. XLII. celebrem extitiſſe teſtentur.

Annus ipſe viciſſim ex Dodvelli [10] calculo Pythagorae natalis fuit.

OLYMPIAS LIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4146. Vrb. Cond. 186.
. . . . Athenis Archon CXVI.

Servius Tullius Rex VI. anno 10.

Agnon Peparethius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Arachion Phigalenſis iterum *pancratio* vicit ex Africano, & Pauſania in proxima Olympiade proferendis.

Eu-

(1) Lib. I. ſeg. 72. (2) In Αἴσωπος. (3) In Solon. & Conviv. Sapient. (4) Vid. Fabric. Bibl. Graec. Tom. I. pag. 390. (5) Lib. I. ſegm. 79. (6) De Arch. Ath. Lib. I. c. 14. (7) Ad Laert. loc. cit. (8) In Longaev. (9) Adv. Iul. Libr. I. (10) Differt. III. ſect. 12.

Euſebius hoc anno Nemeacos Ludos ab Argivis inſtauratos eſſe adnotavit: Νέμεα πρῶτον ἤχθη ἀγὼν ὑπ' Ἀργείων μετὰ τὸν ἐπ' Ἀρχεμόρῳ, hoc eſt, ut Hieronymus ad annum ipſum ſcribit, *Agon Nemeacus primum ab Argivis actus poſt eum, qui ſub Archemoro fuit*. Quem quidem Euſebii locum ita explicandum eſſe in *Agoniſticis Diſſertationibus* (1) obſervavi, non ut Nemeaci Ludi ſub Archemoro, hoc eſt in ipſo Archemori funere, primum celebrati mox obſoleverint, tandemque primum hac Olympiade inſtaurati fuerint; ſed quod Ludis ipſis initio Corinthii, Cleonaei, ſimulque Argivi; mox Cleonaei; tandemque Corinthii ſolum praeſederint, ut a Pindari Scholiaſte (2) erudimur: at Olymp. LIII. *ab Argivis* ipſis, ut Euſebius ait, celebrati illi fuerint. Fieri quoque poſſe conieci ut Nemea primum vel *pentaëterica*, vel incerti temporis fuerint; at Olymp. LIII. *trieterica* decreta ſint; ut nimirum *ſecundo* quoque, ac *quarto* Olympiadum anno peragerentur, ut in *Agoniſticis* ipſis contra Scaligerum, Petavium, Dodvellum oſtendi.

An. $\frac{2}{3}$. Hippoclides Athenis Archon CXVIII.

Archontis huius memoriam Marcellinus conſervavit, qui in *Thucydidis Vita* maiores eius memorans ait: Ἀγαμήστωρ. Τοῦδε Τίσανδρος, ἐφ' οὗ Ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις .... τοῦδε Μιλτιάδης, τοῦδε Ἱπποκλείδης, ἐφ' οὗ Ἄρχοντος Παναθήναια ἐτέθη *Agameſtor: huius filius Tiſander fuit, qui quum eſſet Athenis Archon..... illi filius fuit Miltiades, cui filius Hippoclides, qui quum Athenis eſſet Archon, inſtituta ſunt Panathenaea*. Quo certe loci Rutgerſius (3) voces illas ἐφ' οὗ Ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις .... τοῦδε Μιλτιάδης veluti ab exſcriptore temere iteratas expungendas eſſe putavit: quum ab Herodoto (4) Hippoclides Tiſandri filius vocetur, adeoque inter Tiſandrum, atque Hippoclidem Miltiades ille inſeri non poſſit.

Eiuſmodi vero Archontis nomen hoc Olympiadis huius anno Faſtis inſerui quod gymnicus Panathenaeorum Agon ſplendidiori ritu celebratus ab Euſebio in anno 3 huius Olympiadis collocetur; quamvis Oxonienſis Marmoris (5) teſti-

(1) Pag. 52. (2) Argum. in Nem. V. (3) Var. Lect. pag. 30. (4) Lib. VI. c. 38.
(5) Epoch. 10. Lin. 18.

ſtimonio prima Panathenaeorum inſtitutio Erichthonii regis aetate 730 ante Olympiadas annis contigerit. Illud unum perſpicue conſtat quod Panathenaea, quae ſplendidius peragi conſueverunt, adeoque *maiora* dicebantur, *pentaëterica* fuerant, tertiisque Olympiadum annis agebantur; quum *minora* annua forent, & circa 12. Hecatombaeonis Attici diem agerentur. Itaque, quum Panathenaea illa ineuntibus 3. Olympiadum annis redirent, adeoque ineunte 3. huius Olympiadis anno inſtituta fuerint, *Hippoclidis* Archontis nomen anno $\frac{2}{3}$. Faſtis inſcribendum putavi. Ceterum de Panathenaeis ipſis plura opportunius Meurſio praeſertim duce iam obſervavi [1].

OLYMPIAS LIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4150. Vrb. Cond. 190.
. . . . Athenis Archon CXX.

Servius Tullius Rex VI. anno 14.

Hippoſtratus Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Arrachion Phigalenſis *tertio* in Ludis ipſis *pancratio* palmam reportavit. Africanus: Ἀῤῥιχίων Φιγαλεὺς τὸ τρίτον νικῶν παγκράτιον ψιλωθεὶς ἀπέθανε, κ) νεκρὸς ἐςέφθη, φθάσαντος ἀπείπασθαι ἀνταγωνιςȣ̃ κλωμένȣ αὐτῷ τȣ̃ ποδὸς ὑπ' ἐκείνȣ *Arichion Phigalenſis tertium pancratio victor ſuffocatus interiit, mortuuſque coronatus eſt; quum iam prae dolore adverſarius eius defeciſſet, cui ab illo pes diffractus fuerat*. Itaque corrigendus Euſebii locus [2], in quo hiſtoria ipſa reperitur, vitioſeque legitur.... φθάσαντος ἀπείπασθαι τȣ̃ ἀνταγωνιςȣ̃ Κλεομένȣς τȣ̃ ποδὸς ὑπ' αὐτȣ̃. Video quidem quod immortalis Scaliger [3] ita locum hunc refingendum eſſe putavit, ut *Cleomenis* adverſarii nomen hic haberetur, moxque legi deberet: δακτύλȣ τȣ̃ κατακλασθέντος; quumque Scaliger ipſe [4] in priori periodi parte ψιλλισθεὶς, vel ψιλωθεὶς ſcriptum conſpiceret, ψιλωθεὶς legendum eſſe contendit, quod nimirum Arachion ψιλώσει τῶν

τρι-

(1) Tom. I. pag. 30. & II. pag. 357. (2) Lib. I. pag. 42. (3) Animadv. in Euſeb. pag. 258. (4) Pag. 265.

τριχῶν acerrimoque dolore, qui exinde conſequitur, exanimatus ceciderit. Sed utrobique liberius ille Africani textum ſollicitat, novamque in ipſo vocem prorſus inutilem intrudit; quum pro Κλεομένυς concinnior alia vox *κλωμένυ* retineri commode poſſit. Accedit etiam quod Pauſanias Antagoniſtae nomen ſibi incompertum eſſe fatetur: quod fieri non poterat, ſi illud ab antiquis Scriptoribus memoratum foret, ex quibus deinde Euſebius & Africanus longe Pauſania indiligentiores nomen illud hauſiſſent. Denique doloris ſenſus, qui ex avulſis e capite crinibus oritur, acerrimus quidem, at non is eſſe poteſt, qui fortem robuſtumque virum repente exanimem reddat; & quamvis etiam graviſſimus lethaliſque ille foret, Arachion tamen non acerrimo dolore exanimatus, ſed ab Adverſario *ſuffocatus* a Pauſania, ceteriſque Scriptoribus appellatur. Itaque pro *ψιλωθεὶς*, ſive *ψιλλισθεὶς* levi facilique mutatione reſcribendum puto *φιμωθεὶς* *ſuffocatus*: ita nimirum Africanus cum Pauſania, ceteriſque Scriptoribus plane conſentiet. Ceterum haec Arachionis hiſtoria non modo a Pauſania [1], qui *ter* ipſum viciſſe dixerat; ſed etiam a Philoſtrato [2] memoratur.

Aeſopus hac Olympiade a Delphis e Phaedriade rupe praecipitatus interiit, ut Suidas perſpicue teſtatur. Is Piſiſtratum Athenarum tyrannidem affectantem fabulae convicio eſt inſectatus, ut Phaedrus [3] aperte demonſtrat. Fabricius quidem [4] id fieri potuiſſe dubitat, quum tyrannidem Piſiſtratus Olymp. ſolum LV. anno 1. arripuerit. Sed obſervari facile poterit ſubdolos ac audaces illos Piſiſtrati conatus longe maturius incepiſſe; & quamvis ille aperte violenterque tyrannidem poſtremo ſolum huius Olympiadis anno occupaverit, ipſius tamen artes atque inſidias ab Aeſopo ſuperiori quoque Olympiade taxari potuiſſe. Ita Scaliger immerito prorſus ſubdubitat an Aeſopus Delphis e Phaedriade rupe hac Olympiade praecipitari potuerit, quandoquidem Suida ipſo teſte *μεσύσης τῆς μ' Ὀλυμπιάδος ἔγραψε τὰ ἐν Δελφοῖς αὐτῷ συμβάντα ἐν βιβλίοις β̄* *circa medium Olympiadis XL. ſcripſit Libris II. quae in Delphis ipſi contigerant*. Siquidem Aeſopus & Olymp. XL. Delphis degere, ite-

(1) Arcad. c. 40. (2) In Imagin. (3) Libr. I. Fab. 2. (4) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 391.

terumque Delphos Olymp. LIV. redire, ibique occidi potuit.

An. 2. Abaris ex Scythia in Graeciam veniſſe dicitur ab Euſebio, & Hieronymo; eiuſque itineris Herodotus (1) etiam, aliique plures meminere.

OLYMPIAS LV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4154. Vrb. Cond. 194.
Comias Athenis Archon CXXIV.

Servius Tullius Rex VI. anno 18.

Hippoſtratus Crotoniata iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Eponymi Archontis nomen praeter Plutarchum inferius proferendum Oxonienſe quoque Marmor expreſſit, in quo Piſiſtrati tyrannidem Archontis huius anno coepiſſe dicitur (2): Ἀφ' οὗ Πεισίστρατος Ἀθηνῶν ἐτυράννευσε ἔτη ΗΗΙ[Δ]ΙΔΔΔΔΠΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κωμίου *A quo Piſiſtratus Athenis tyrannidem occupavit anni* 297. *Archonte Athenis Comia*. Ita Plutarchus Solonis mortem *Hegeſtrati* Archontis anno contigiſſe dicit, qui proxime poſt *Comiam* imperavit, ut mox oſtendetur. Itaque, quum Meurſius (3) Piſiſtrati tyrannidem anno 1. Olymp. L. incepiſſe putaverit, Comiam ad annum illum revocavit, proximoque loco Hegeſtratum collocavit. Ea vero de cauſſa Tyrannidis huius initium ad annum 1. Olymp. L. Meurſius revocavit quod ita ab Anonymo traditum eſſe conſpiceret; atque Heraclides Ponticus dixerit Solonem occupata iam a Piſiſtrato patriae tyrannide diu ſuperſtitem fuiſſe. Quo certe loco mirari ſubit cur in definienda Solonis morte, duorumque Archontum annis rite deſignandis Meurſius inconſtans adeo, ſibique repugnans fuerit. Etenim in Archontum Faſtis (4) Anonymi fidem ſequutus Comiam anno 1. Hegeſtratum 2. Olym. L. anno adſcribit, eoque imperante Solonem obiiſſe dicit. Alibi (5) vero

(1) Lib. IV. (2) Epoch. 41. lin 56. (3) De Arch. Ath. Lib. I, c. 14. & in Solone c. 27. (4) Lib. I. c. 14. (5) Solon. c. 30.

ro Heraclidem & Suidam exſcribens Solonis vitam ad Olymp. LVI. perveniſſe dicit; quum praeſertim Solon Croeſum Lydiae Regem convenerit, qui anno demum 2. Olymp. LIV. regnum ſuſcepit. Vt ambages illa opinionumque varietas dirimatur, quae doctiſſimo Viro fraudi fuit, obſevari facile poterit ſuſceptae a Piſiſtrato tyrannidis initium Soloniſque mortem a Phania nitide diſerteque adiectis Archontum nominibus deſignari, quum Heraclides ambigue ſolum obſcureque tempus expreſſerit, ut a Plutarcho erudimur: *ἐπεβίωσε δ᾽ οὖν ὁ Σόλων ἀρξαμένου τοῦ Πεισιστράτου τυραννεῖν, ὡς μὲν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ συχνὸν χρόνον, ὡς δὲ Φανίας ὁ Ἐφέσιος ἐλάττονα δυοῖν ἐτῶν. Ἐπὶ Κωμίου μὲν γὰρ ἤρξατο τυραννεῖν Πεισίστρατος. ἐφ᾽ Ἡγεστράτου δὲ Σόλωνά φησιν ὁ Φανίας ἀποθανεῖν, τοῦ μετὰ Κωμίαν ἄρξαντος* *ſupervixit vero Solon poſtquam tyrannidem incepit Piſiſtratus, ut Heraclides quidem Ponticus memoriae tradit, longum tempus; ut Phanias Epheſius, minus duobus annis. Siquidem cepit Piſiſtratus tyrannidem Archonte Comia, at Hegeſtrato Archonte, cuius Magiſtratus Comiae proximus fuit, Solonem obiſſe Phanias dicit.* Itaque Phaniae auctoritas accuratior, graviorque cenſeri debet, quum ſingula ſuis temporum characteribus, hoc eſt Archontum nominibus, ille inſigniverit. Ita Aelianus [1] Solonem paullo poſt occupatam a Piſiſtrato tyrannidem obiiſſe dicit; quemadmodum Gellius [2] ait quod *Servio Tullio regnante Piſiſtratus Athenis tyrannus fuit, Solone ante in voluntarium exilium profecto*: quod vix ac ne vix quidem Olymp. L. adſcribi poterit, ſi Servius Tullius regnum *biennio* poſt Solonis mortem iniiſſet. Accedit etiam quod, ſi Plutarchi verba ſubtilius expendantur, perſpicuum fiet tum ex Phaniae, tum ex Heraclidis etiam ſententia Piſiſtrati initium *Comiae* Archontis anno adſcribi; ut nulla proinde hac in parte, vel Eponymi Archontis ſitu, opinionum varietas haberetur; quamvis Scriptores in definienda Solonis morte, eoque tempore, quo tyrannidi iam occupatae ſuperſtes fuerit, diſſiderent. Itaque Piſiſtrati initium in *Comiae* Archontis anno certiſſime collocari debet, non modo quod in Oxonienſi Marmore id perſpicue legatur, verum etiam quod Plutarchus ipſe initium illud tum ex Phaniae, tum ex Heraclidis etiam ſententia velut exploratum

(1) Var. Hiſt. Lib. VIII. c. 16. (2) Lib. XVII. c. 21.

tum deſignet. Quod vero Comias Archon, initiumque tyrannidis non anno primo Olymp. L. ſed exeunti 4. Olymp. LIV. ſive ineunti 1. Olymp. LV. adſcribi debeat, praeter Oxonienſe Marmor aliorum quoque Scriptorum teſtimoria demonſtrant. Ita Euſebius ad annum 3 Olympiadis LIV. adnotavit: Πεισίςρατος Ἀθηναίων ἐτυράννησε κ̀ ἐς Ἰταλίαν παρῆλθε, ſive, ut Hieronymus ad annum ipſum interpretatur, *Piſiſtratus Athenienſium tyrannus in Italiam tranſgreditur*: quo certe loci non *Italiae*, ſed *Eretriae*, nomen Pontaco duce, reſtitui debet, quod Piſiſtratus Herodoto (1) teſte paullo poſt uſurpatam patriae tyrannidem Athenis eiectus in Eretriam, ſive potius *Oechaliam*, Euboeae urbem aufugerit, ut inferius etiam obſervabitur.

Sed haec, aliaque id genus plura, quae viginti fere Olympiadibus mox inſequutis Athenis contigere, rite feliciterque explicari, ſuiſque temporibus adſcribi non poſſunt, niſi primum tyrannidis initium accuratiſſime conſtituatur, in quo graviſſimo Atticae Hiſtoriae capite ſolertiſſimos alioquin Scriptores diſſidentes eſſe, planeque aberrare conſpicio. Meurſius, qui in colligendis exſcribendiſque Veterum teſtimoniis aliorum omnium diligentiam ſuperavit, ita Piſiſtratidarum tyrannidem eiuſque caſus & tempora diſtribuit, ut Piſiſtratus quidem Olymp. L. anno primo imperium occupaverit (2); anno 1 Oly. LVIII. ſecundo Athenas reverſus paullo poſt obierit, hoc eſt 33. tyrannidis anno (3): quum ex annis illis *ſeptemdecim* ſolum Athenis degiſſet, primaque vice, qua patria pulſus fuit, *quinque* annis extorris fuerit, ſecundaque vice 11 annos Eretriae exul tranſegerit (4). Hipparchum eius filium ac ſucceſſorem poſt 32. imperii annos ab Harmodio & Ariſtogitone anno 1. Olymp. LXV. interemptum aſſerit (5); quamvis eodem ipſo loco ſibi non conſtans id anno 4 contigiſſe dixerit; tandemque Hippiam natu minorem, ac Piſiſtratidarum ultimum, anno 4. Oly. LXVI. Athenis pulſum exſtimat (6). Quid clariſſimum virum in opinionem illam impulerit, ut in toto *Piſiſtrati* Opere eadem veluti chorda oberrans eam temporum, rerumque ſeriem obtruſerit, perſpicue apparet; quod nimirum Herodotus Hippiae aliorumque fugam in Sigeum arreptam memorans ait Piſiſtratidas

36.

(1) Lib. I. (2) Piſiſtr. c. 3. (3) Cap. 5. (4) Cap. 4. (5) Cap. 13. (6) Cap. 16

36. annos Athenis imperaſſe, idque Meurſius (1) de ſolis Piſiſtrati filiis acceperit; perinde quaſi Hipparchus poſt Piſiſtrati patris mortem 32. annis, Hippias poſt Hipparchum 4. imperaverit; quumque Herodoto ipſo teſte Hippiae fuga 20. annis Marathoniam pugnam praeceſſerit, fuga ipſa anno 4. Olymp. LXVI. adeoque Piſiſtrati initium anno 1. Olymp. L. adſcribi debeat, qua ſub Piſiſtratidis Onomacritum floruiſſe dicit Tatianus, & Clemens. Ego vero, Meurſii pace, universam hanc temporum ſeriem, rerumque viciſſitudines ita perſpicue certoque digerendas exiſtimo, ut Piſiſtratus anno $\frac{4}{1}$. Olymp. LV. inceperit, annoque 1. Olymp. LXIII e vivis exceſſerit. Hipparchus ipſius ſucceſſor anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXVI. interfectus ſit, eiuſque frater Hippias anno $\frac{3}{4}$. Ol. LXVII. Athenis exulaverit. Atque, ut ab hoc poſtremo tempore exordiar, Hippiae fuga 20. annis praelium a Medis Marathone geſtum praeceſſit, ut Thucydides (2) a Meurſio ipſo laudatus teſtatur: τυραννεύσας ἐπὶ ἔτη τρία..κὶ παυσθεὶς ἐν τῷ τετάρτῳ.. ἐχώρει ..κὶ ὁρμώμενος ἐς Μαραθῶνα ὕϛερον ἔτει εἰκοϛῷ ἤδη γέρων ὢν μετὰ Μήδων ἐϛράτευσεν *quum per triennium tyrannidem tenuiſſet, quarto anno eiectus, ſeceſſit, unde redux in Marathonem viceſimo poſt anno iam ſenex cum Medis militavit*. Ergo, quum Marathonia pugna in 6. Boëdromionis Attici diem anni $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXII. certiſſime inciderit, Hippiae fuga anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVII. adſcribi debet. Hipparchi vero caedes ab anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVI. dimoveri non poterit. Ille nimirum *Panathenaeorum magnorum* tempore occiſus fuit, nam Harmodius, Ariſtogiton, aliique coniurati Thucydide teſte περιέμενον Παναθήναια τὰ μεγάλα *expectabant Panathenaea magna*. Itaque, quum maiora Panathenaea *tertio* quolibet Olympiadis anno circa 20 Hecatombaeonis Attici diem redire, vel inſtaurari ſolerent, Hipparchi caedes $\frac{2}{3}$ Olympiadis anno circa 20 Hecatombaeonis diem commiſſa fuit. Id vero Ol. LXVI. contigiſſe Hippiae ſucceſſoris imperium, tempuſque tyrannidis ab illo occupatae manifeſtiſſime oſtendit. Etenim Herodotus (3) ipſum ἐπ' ἔτεα τέσσαρα *annis quatuor* imperaſſe dicit; Plato (4) vero τρία ετη *tres annos* illi attribuit quod Hippias nimirum,

(1) Cap. 16. (2) Lib. VI. c. 59. (3) Lib. V. c. 55. (4) In Hipparcho.

ut accuratiſſime notat Thucydides (1), *τυραννεύσας ἔτη τρία κ̀ παυσθεὶς ἐν τῷ τετάρτῳ ὑπὸ Λακεδαιμονίων κ̀ Ἀλκμαιωνιδῶν quum triennium tyrannidem tenuiſſet, quarto anno a Lacedaemoniis, & Alcmaeonidis eiectus eſt*. Ergo Hippias Hecatombaeone menſe anno 3 Oly. LXVI. tyrannidem arripuit, & ante Hecatombaeonem anni 4. hoc eſt affecto iam aut exeunte anno 3. Olymp. LXVII. eiectus fuit. Itaque iam explorato tempore, quo Hipparchus obierit, illud unum inquirendum ſupererit quot ille in imperio annos exegerit, ut inde ipſius initium, adeoque Piſiſtrati patris mors, conſtitui riteque definiri poſſit. Ac Meurſius quidem illi 32. imperii annos adſcribit, quod Herodotus, ut antea iam vidimus, 36. tyrannidis annos Piſiſtratidis conceſſerit. At ambiguus ille Herodoti locus Cl. Viro fraudi fuit. Siquidem *Piſiſtratidarum* nomine Herodotus non ſolos Piſiſtrati filios, ſed Piſiſtratum etiam ipſum, intellexit; adeoque 36. anni non filiis, ſed patri ſimulque filiis, adſcribi debent, qui moriente patre non amplius quam 18. annos tyrannidem occupaverint. Id ego perſpicuo diſertoque Ariſtotelis teſtimonio demonſtrari poſſe putaverim, qui de Piſiſtratidarum tyrannide loquens (2) ait: *δὶς ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν ἑπτακαίδεκα ἔτη τύτων ἐτυράννευσεν. ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες. ὥστε τὰ πάντα ἐγένετο ἔτη τριάκοντα κ̀ πέντε bis exulavit Piſiſtratus quum tyrannidem obtineret. Itaque ex annis tribus & triginta decem & ſeptem tyrannidem obtinuit: decem & octo eius filii. Itaque anni omnes fuerunt quinque & triginta*. Ergo Piſiſtrati filiis 18. ſolum tyrannidis anni concedi poſſunt, qui 17. annis illis adiecti, quibus vere Piſiſtratus Athenas occupavit, 35. annos conficiunt, quibus univerſam *Piſiſtratidarum* tyrannidem continuo Athenis viguiſſe dicit Ariſtoteles, atque a 16. annis illis ſecernit, quibus Piſiſtratus patria pulſus exulavit. Itaque, quum ex 18 annis illis Hippias 4. imperaverit, Hipparcho 14 adſcribi debent; ut ille proinde anno 1. Olymp. LXIII. inceperit, in quo Piſiſtrati mors certiſſime collocari debet. Denique, quum Piſiſtratus ipſe 33. ut ait Ariſtoteles & Heraclides (3), ſive 34 ut in Iuſtino (4) legitur, annis tyrannidis initio ſuperſtes fuerit, initium illud in anno 4. Olymp. LIV. ſive 1. Olymp. LV.

(1) Libr. VI. c. 59. (2) Polit. V. c. 12. (3) De Politiis. (4) Libr. II. c. 8.

LV. manifeſtiſſime conſtitui debet; ut nullus proinde ambigendi locus ſuperſit quin univerſa Piſiſtratidarum hiſtoria temporumque ſeries in Meurſio, aliiſque Scriptoribus, ſi Petavium [1] unum exceperis, mire perturbata tum Oxonienſis Marmoris auctoritate, tum perſpicuis Herodoti, & Ariſtotelis teſtimoniis a me reſtituta cenſenda ſit. Qua vero ratione Tatiani, & Clementis teſtimonia intelligi debeant, quorum praeſidio Piſiſtrati imperium Olym. L. incepiſſe putavit Meurſius, ad Olympiadem illam expoſui; ſimulque perſpicuo Herodoti teſtimonio Tatianum deceptum hic eſſe demonſtravi.

Cyrus Perſarum rex imperium hoc anno ſuſcepit, ut perſpicuis certiſque temporum characteribus demonſtravit Petavius [2], quumque 30. vel, ut Herodotus [3] ait, 29. annis imperaſſet, regnum Cambyſi filio anno $\frac{3}{4}$. Oly. LXII. reliquit.

Solon Piſiſtrato iam rerum patriaeque Vrbis potito Athenis excedens, quamvis a Thalete Miletum, a Biante Prienem, ab Epimenide in Cretam, a Cleobulo Lindum invitaretur, in Lydiam tamen ad Croeſum regem abivit; moxque ab eo digreſſus in Ciliciam ſe recepit, ubi Solos urbem aedificavit. Laërtius [4]: *Ἐκεῖθέν τε ἀπαλλαγεὶς ἐγένετο ἐν Κιλικίᾳ, καὶ πόλιν ᾤκισεν, ἣν ἀπ᾽ αὐτοῦ Σόλους ἐκάλεσεν, ὀλίγους τέ τινας τῶν Ἀθηναίων ἐγκατῴκισεν, οἳ τῷ χρόνῳ τὴν φωνὴν ἀποξενωθέντες σολοικίζειν ἐλέχθησαν inde in Ciliciam profectus urbem condidit, quam ſuo ex nomine Solos appellavit, in qua Athenienſium aliquot colonos ſtatuit, qui tractu temporis, quum patriam vocem corrupiſſent, ſoloecizare dicti ſunt* Hinc corrigendus obiter Etymologi locus, quem quum Meurſius vitiatum eſſe minime ſuſpicaretur, Etymologum ipſum *manifeſte nugari* dicit [5]. Ait Etymologus Σόλοικοι. οἱ Βάρβαροι ἀπὸ Σόλωνος Κίλικος *Soloeci Barbari a Solone Cilice*: perinde quaſi Solon non *Salaminius*, aut *Athenienſis*, ſed origine *Cilix* fuiſſet. Reſcribendum aſſero ἀπὸ Σόλων Κιλίκων, ſive τῆς Κιλικίας *a Solis Cilicibus*, ſive *Ciliciae*: quod nempe *Soloeciſmus* a Solis non *Cypri*, de quibus antea Etymologus mentionem fecerat, ſed *Ciliciae*, nomen acc perit; quemadmodum etiam

 Ste-

(1) Doctr. Temp. Libr. X. c. 11. (2) Doctr. Temp. Lib. X. c. 15. (3) Libr. I. c. 214. (4) Libr. I. ſegm. 51. (5) In Solone c. 3.

Stephanus Solos urbem a Solone in Cilicia aedificatam aſſerit, quamvis Plutarchus ab Etymologo laudatus, Achilles Statius in *Arati Vita* Vrbem hanc *Solos* in Cypro conditam eſſe dixerit; quemadmodum certe Herodotus (1) Solonem in Cyprum appuliſſe, ibique honorifice exceptum eſſe teſtatur. Ceterum, ſive in Cilicia, ſive in Cypro, ſive utrobique *Solos* urbem condiderit Solon, compertum ſane eſt ipſum ex Cilicia in Cyprum migraſſe, ibique *octogenarium* vitam in exilio abſolviſſe, quum ſociis mandaſſet ut Salaminem oſſa transferrent, quorum cineres per Inſulae regionem late diſpergerentur.

An. $\frac{1}{2}$. Hegeſtratus Athenis Archon CXXV.

Servius Tullius Rex VI. anno 19.

Archontis huius nomen ac ſitum perſpicue exponit in *Solonis Vita* Plutarchus, ubi Hegeſtrati Archontis anno Solonem obiiſſe dicit: Ἐφ' Ἡγεςράτȣ δὲ Σόλωνά φησιν ὁ Φανίας ἀποθανεῖν, τȣ̃ μετὰ Κομίαν ἄρξαντος *Solonem vero ait Phanias ſub Hegeſtrato obiiſſe, qui* proxime *poſt Comiam Archon fuit*. Itaque, quum Comiae Magiſtratus in annum 1. huius Olympiadis inciderit, ut ſuperius eſt demoſtratum, Hegeſtrati imperium, & Solonis mors ad annum hunc referri debent. Atque ita certe ſingula, quae a Scriptoribus memorantur, accurate conſpirant; quae tamen rite explicari, ſimulque componi non poſſent, ſi Solonis mors ad ineuntem Olymp. L. cum Scaligero & Meurſio referatur. Aſſerit Cicero (2) *Solonem Servio Tullio regnante viguiſſe*, quem anno 4. Olympiadis L. electum eſſe iam vidimus. Plutarcho aliiſque pluribus traditum Solonem in Lydia Croeſum regem conveniſſe, qui anno 3. Olymp. LV. morienti patri ſucceſſit, quamvis regni conſors ab illo factus rex pridem haberi conſueverit, ut proinde Pittacus anno 3. Olymp. LII. e vivis ereptus ad illum veluti ad imperantem literas dederit. Atque inde ſane vitiatus Demoſthenis locus emendari debet, quem minus accurate Meurſius tentavit. Ait Demoſthenes (3) ſtatuam Soloni a Salaminiis ante 50. an-

(1) Lib. V. c. 113. (2) Brut. c. 10. (3) Orat. de falſa Legat.

annos dedicatam fuiſſe ; **mox** ſubdit : *ἀπὸ Σόλωνος δὲ ὅμȣ σ ἐςὶν ἔτη κ̀ μ́ εἰς τὸν νυνὶ χρόνον a Solone autem omnino CC. ſunt anni & XL. ad hanc uſque aetatem.* Meurſius [1] Orationem hanc a Demoſthene anno 2. Olymp. CIX. habitam eſſe teſtatur, ſubductoque calculo exinde ad annum 3. Olymp. XLVI. quo Solon Eponymus Athenis Archon fuit, legeſque tulit, 252. annos fluxiſſe dicit, adeoque in Demoſthenis textu reſcribendum aſſerit *σ καὶ ν*. 250., ſtatuamque a Salaminiis Olymp. XCVII. anno 1. poſitam exiſtimavit. At Oratio illa non anno 2. Olymp. CIX. ſed anno 4. CVIII. habita fuit. Siquidem Phocenſium clades in annum 1. Olymp. CVIII. inciderat, atque Demoſthenes obſervavit Theoros ab Athenienſibus miſeratione perculſis ad Pythia miſſos non fuiſſe, adeoque demonſtrat Orationem iudiciumque *de falſa Legatione* ineunte ſaltem anno 4. eius Olympiadis inſtitutum fuiſſe. Ergo, ſi ab anno 4. Oly. CVIII. ad annum $\frac{2}{3}$. Olym. XLVI. qua Solon Archon fuit, annorum numerus colligatur, erunt anni 249. ſin vero potius annorum numerus a Demoſthene expreſſus non a Solonis principatu, ſed a morte, ſubducatur, erunt anni 214. adeoque in Demoſthenis textu non N, ſed potius I, aut K, aut potius IΔ reſcribendum putaverim, quod librarii oſcitantia mox in M abierit.

Hoc ipſo Olympiadis anno Piſiſtratum a Megaclis & Lycurgi ſociis Athenis eiectum putaverim. Etenim Herodotus [2] ait ipſum *μετὰ ὀ πολλὸν χρόνον non diu* poſt occupatam tyrannidem expulſum fuiſſe, ipſumque *τὴν τυραννίδα ὄκω κάρτα ἐῤῥιζωμένην tyrannidem nondum valide confirmatam* amiſiſſe. Ergo, quum illam exeunte anno 4. ſuperioris, vel ineunte 1. huius Olympiadis invaſerit, atque tribus vicibus, quibus illam occupavit, 17 ſolum annos tenuerit, prima ipſius expulſio facile in *ſecundum* tyrannidis annum incidit.

Steſichori poëtae mors in annum hunc ab Euſebio & Hieronymo refertur: *Στησίχορος τέθνηκεν*: quamvis Suidas ipſum Oly. LVI. obiſſe dixerit; idque Scaligero magis arriſerit.

An. $\frac{2}{3}$. Hoc anno Piſiſtratum iam tyrannide patriaque expulſum Athenas rediiſſe ſuſpicor. Etenim ex Herodoto, Thu-

(1) In Solone. (2) Lib. I. c. 60.

Thucydide, aliiſque apparet Lycurgum & Megaclem, qui ipſum expulerant, mutuis odiis diſſediſſe; ut proinde Megacles Piſiſtrato reditus ſpem iniecerit, ſi Coeſyram filiam ſuam uxorem duceret, quod quum Piſiſtratus ſe facturum recepiſſet, Megaclis auxilio patriam, atque imperium recuperavit. Huc etiam accedit quod Athenienſis populus acerrimo tyrannorum aemulo, hoc eſt Solone, iam e vivis erepto pronior ad tyrannidis iugum iterum ſubeundum videbatur.

Simonides Leoprepis filius Ceus Poëta hoc anno natus videtur, quum Suida teſte Olymp. LXXVIII anno 1. annos agens 89. e vivis exceſſerit. Cyrillus tamen (1) ait: πεντηκοςῇ ἕκτῃ Ὀλυμπιάδι γνώριμοι ἦσαν ἤδη Σιμωνίδης καὶ Χίλων τῶν ἑπτὰ Σοφῶν *quinquageſima ſexta Olymp. celebres habebantur Simonides, & Chilo unus ex ſeptem Sapientibus*, ubi Menagius reſcribendum aſſerit Ἐπιμενίδης, quod nimirum Simonides VII Graeciae Sapientibus inſcribi non poſſit. Nihil ipſe tamen in Cyrilli textu ea de cauſſa mutaverim. Siquidem voces ille τῶν ἑπτὰ Σοφῶν non ad utrumque, ſed ad Chilonem ſolum, referri debent, qui ab Euſebio quoque iiſdem fere verbis in Oly. LV. anno 3. collocatur: Χείλων ὁ τῶν ἑπτὰ Σοφῶν Ἔφορος ἐν Λακεδαίμονι ἐγένετο *Chilo ſeptem Sapientum unus Ephorus Lacedaemone fuit*. Simonidis tamen nomen alia de cauſſa ex Cyrilli textu expungendum putaverim. Quamvis enim Euſebius dixerit in anno 1. huius Olympiadis Σιμωνίδης ἐγνωρίζετο, hoc eſt, ut in anno 2. Hieronymus ſcribit, *Simonides clarus habetur*, ibi Lydiatus optime emendavit ἐγένετο *natus eſt*, quum ipſius mors in anno 4. Olymp. LXXVII in Oxonienſi Marmore collocetur. Is certe Olymp. LXVI adhuc ſuperſtes eſſe debuit, quum Hephaeſtione teſte (2) Harmodii, & Ariſtogitonis laudes cecinerit, qui Hipparchum Piſiſtratidam eius Olympiadis anno 3. interfecerant; atque Olymp. LXXV. Megiſtiam Vatem in Salaminio bello defunctum laudaverit. Anaximenes etiam hac Olympiade floruiſſe dicitur a Suida: γέγονεν ἐν τῇ νέ Ὀλυμπιάδι, ἐν τῇ Σάρδεων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν *vivebat LV. Olymp. in Sardium excidio quando Cyrus Perſa Croeſum devicit*. Ita ex Apollodoro Laërtius (3) γεγένηται μὲν

(1) Contra Iul. I. (2) In Enchirid. (3) Lib. II. ſegm. 3.

μὲν καθάφησιν Ἀπολλόδωρος τῇ ἑξηκοςῇ τρίτῃ Ὀλυμπιάδι, ἐτελεύτησε δὲ περὶ τὴν Σάρδεων ἅλωσιν ſexageſima tertia Olympiade natum eſſe, atque eo anno, quo Sardes captae ſunt, obiiſſe diem Apollodorus tradit. Quae quidem *portentoſa* Suidae verba *ex mage portentoſis Laërtii verbis deducta* fuiſſe Scaliger exiſtimavit, quum Sardium excidium, Cyrique caſus Olympiade LV. poſterior fuerit. Hic *Oedipo opus eſſe* concludit Scaliger. Mihi vero haec omnia facile componi poſſe videntur, ſi in Laërtii textu verba temere tranſpoſita ſuis in locis apte reſtituantur, ut ad Olymp. LIX. obſervabitur.

OLYMPIAS LVI.

An. ¼. Per. Iul. 4158. Vrb. Cond. 198.
Euthydemus Athenis Archon CXXVIII.

Servius Tullius Rex VI. anno 22.

Phaedrus Pharſalius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Facile ad Olympiadem hanc victoria illa referri poterit, quam Miltiades Cypſeli filius *tethrippo* in Olympia retulit. Etenim Herodotus [1] ait illum ſub Piſiſtrato tyranno floruiſſe, equos ad Olympicos ludos aluiſſe, victoriaque parta Pythiae iuſſu in Cherſoneſum abiiſſe, ibique imperium occupaſſe; quumque Lampſacenis bellum inferens vivus ab illis captus foret, Croeſi regis auſpicio liberatum fuiſſe; tandemque, quum ſine liberis exceſſiſſet, imperium Steſagorae, qui ex Cimone uterino Miltiadis fratre natus erat, reliquiſſe. Ergo characteres illi vel hanc, vel ſuperiorem Olympiadem perſpicue deſignant.

Archontis vero Euthydemi nomen, diſſimulato Olympiadis anno, expreſſit Laërtius [2] ubi de Chilone loquens ait: *Γέγονε δὲ Ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοςὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα. Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην. καὶ πρῶτον Ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου, ὥς φασι Σωσικράτης fuit autem Ephorus circa quinquageſimam & quintam Olympiadem Porro Pamphila circa ſextam ait, primumque Ephorum fuiſſe ſub Euthydemo, auctore So-*

(1) Lib. VI. c. 35. (2) Lib. I. ſeg. 68.

Soſicrate. Vitiatum hunc Laërtii locum ita reſtituit Caſaubonus [1], ut initio pro πεντηκοστὴν ἕκτην LVI. reſcribi velit πεντηκοστὴν πέμπτην LV. Scaliger [2] vero maluit Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν πέμπτην *Pamphila vero dicit circa quintam*. Denique Palmerio [3] videbatur ibi κατὰ τὴν ἑξῆς Olympiade *ſequenti* legi oportere, ut *ſeptima* nimirum ac *quinquageſima* Olympias exprimeretur. Ego vero aut Caſauboni emendationem ceteris praetulerim, ut ſenſus nempe ſit ab aliquibus Ephori dignitatem Olymp. LV. Chiloni conceſſam exiſtimari, quemadmodum certe Euſebius, ac Hieronymus id anno 3 Olymp LV. aſſignavit; aut libentius legerem κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἑβδόμην *quinquageſima ſeptima*, quod nimirum Chilo ex aliorum ſententia Olymp LVII. Ephori dignitatem obtinuit; Pamphilae vero Soſicratiſque teſtimonio id Olymp. LVI. contigerat. Etenim in exprimenda Pamphilae ſententia nihil cum Scaligero mutari poſſe Archontis nomen oſtendit, quod ab Olymp. LVI. divelli non debet, ut mox obſervabitur. Ergo inter Veteres diſſidium quidem eſſe poterat an Chilo Olympiade LV. vel LVI. vel LVII. Ephorus fuerit; at Scriptor ille, qui Archontum Faſtos ſequutus illum Euthydemi Archontis anno collocaverat, Olympiadem aliam quam LVI. aſſignare non poterat. Accedit etiam quod Cyrillus [4] Chilonem Olymp. LVI. floruiſſe dicit, fortaſſe quod ille hoc anno ſupremam Spartae dignitatem obtinuerit. Qua vero ratione is *primum Ephorus*, vel *Ephororum primus* appellari potuerit, accuratius & opportunius in Olympiade V. demonſtravi.

Quod vero Euthydemus ille, cuius Archontis anno Chilo Ephorus fuit, in anno $\frac{4}{1}$. Oly. LVI. conſtitui debeat, perſpicuo Oxonienſis Chronici teſtimonio demonſtratur, in quo habetur [5]: Ἀφ' οὗ Κροῖσος τῆς Ἀσίας ἐβασίλευσε, καὶ εἰς Δέλφους ἀπέσταλεν, ἔτη Η𐅄ΔΔΔΔΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐθυδήμου *A quo Croeſus in Aſia regnavit, & ad Delphos legatos miſit, anni CCXCII., Archonte Athenis Euthydemo*. Denique quod Croeſi regis initium ab Oxonienſis Chronici Auctore huic anno adſcribatur cum ſuperiori Marmoris Epocha XXXVI mire conſpirat, in qua Alyattis initium in anno $\frac{4}{1}$. Olympia-

(1) Not. ad Laert. loc. cit. (2) Animadv. in Euſeb. pag. 87. (3) Exercit. p. 446. (4) Adv. Iul. I. (5) Epoch. 42. lin. 56.

piadis XLIII. collocatur. Itaque, quum Alyattes Euſebio teſte 49. annis regnaverit, ipſius mors, Croeſique filii initium in annum 1. Olympiadis huius inciderit. Quumque Croeſus ipſe Herodoto [1] teſte 14. vel, ut Euſebius ait, 15. annis Lydis imperaverit, ipſius clades, Sardiumque excidium a Cyro illatum anno $\frac{2}{3}$. Olymp LIX. adſcribi debet. Optime quidem viderat Lydiatus, aliique Marmoris Interpretes excidium illud ab Euſebio in anno 3. Oly. LVIII. collocari; quemadmodum Scaliger id anno 1. Oly. LIX. contigiſſe voluit, adeoque Croeſi initium longe prius a Scriptoribus illis aſſignari. At Scriptor ille ſuos & ipſe auctores habere poterat, qui Croeſi initium in annum hunc revocarent; quemadmodum Soſicrates, qui Periandri mortem anno 4. Olymp. XLVIII. adſignavit, eamque Croeſi calamitate 40. annis priorem fuiſſe dixit, utrumque facile ex terminis iſtis excluſit, ſive rotundo ſolum integroque numero tempus expreſſit.

An. $\frac{2}{3}$. Facile Piſiſtratus, quum 4. in tyrannide annos exegiſſet, iterum Athenis expulſus fuit, atque in Eretriam ſeceſſit. Euſebius quidem ad annum 3. Olymp. LIV. adnotavit: Πεισίςρατος Ἀθηναίων ἐτυράννησε, καὶ εἰς Ἰταλίαν παρῆλθε hoc eſt, ut ad annum ipſum interpretatur Hieronymus, *Piſiſtratus Athenienſium tyrannus in Italiam tranſgreditur*, perinde quaſi & tyrannidis arreptae initium, & Piſiſtrati fuga in unum eumdemque annum inciderint. Sed initium quidem tyrannidis exeunte fere Olymp. LIV. ſive LV. ineunte contigit; Piſiſtrati vero fuga longe ſerior eſſe debet, adeoque commode ad annum hunc revocatur. Quod vero Piſiſtratus Athenis pulſus in *Italiam* conceſſiſſe legitur, Pontacus, Lydiatus, Palmerius exinde factum exiſtimant, quod veteres quidem Scriptores *Eretriam* dixerint; inde quidam *Etruriam*, aut *Echetram* Italiae Vrbem, poſtremoque alii *Italiam* nominaverint: quum tamen ille Herodoto teſte in *Eretriam* Euboeae urbem ſeceſſerit. Mihi vero error ille ex depravata potius ſcriptura prodiiſſe videtur, atque initio quidem ſcriptum fuiſſe ſuſpicor Οἰχα-

(1) Lib. I, c. 85.

λίαν *Oechaliam*, quae Eretriae inſtar Euboeae aut Chalcidis Vrbs fuerat, moxque depravata diphthongorum pronunciatione Ι'χαλίαν *Ichaliam* exaratum, indeque ab inducto Critico factum Ι'ταλίαν *Italiam*. Atque iſta quidem ſi inſignis ille Euſebii locus vitiatus, adeoque coniectura ſanandus eſſet. Quid vero ſi Scaligeri, aliorumque pace locum ipſum integrum, & accuratum eſſe nunc dixerim? Certe Antigonus Caryſtius *Italicam* quandam urbem, aut oppidum in Euboea fuiſſe teſtatur, eiuſque urbis ſitum, fluvioſque illi proximos accurate deſcribit. Ait enim [1]: Ε'ν τῇ Ε'υβοίᾳ κατὰ τὴν Ι'ταλικὴν τὴν συνορίζουσαν τῇ Χαλκίδι δύο ποταμοὶ Κίρων, καὶ Νηλεὺς *in Euboea iuxta Italicam Chalcidi finitimam duo ſunt fluvii, Ceron, & Neleus*. Itaque, cum Antigonus ipſe *Caryſtius*, adeoque ex Euboea Inſula oriundus, patriarumque rerum peritus fuerit, nihil eſt certe cur ipſum in exprimendo urbis, locique nomine deceptum ſuſpicemur, cum praeſertim iidem fluvii duo ab Antigono memorati a Strabone [2] quoque in Euboea collocentur; quamvis nec Strabo, nec ullus omnino Veterum *Italicam* Euboeae urbem, aut oppidum memoraverit. Ergo in Euboea prope Chalcidem ipſa quoque Antigoni aetate *Italica* reperiebatur; ut optime proinde Piſiſtratus in *Italicam* hanc migrare potuerit, atque in Euſebii textu Ι'ταλίαν retineri, ſive, ſi libeat, Ι'ταλικὴν reſcribi poſſit, ceteriſque *Italicis* a Stephano numeratis haec etiam Euboica adiungi debeat.

An. $\frac{3}{4}$. Ageſilaus Tegeates Pythiade VIII. quae hac Olympiade peracta fuit, *aſſis fidibus*, hoc eſt *citharoedia ſine cantu*, Pythia vicit ex Pauſania [3], et Strabone [4].

OLYMPIAS LVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4162. Vrb. Cond. 202.
. . . . Athenis Archon CXXXII.

Servius Tullius Rex VI. anno 26.

La-

(1) De Mirab. c. 84. (2) Libr. X. pag. 449. (3) Phoc. c. 7. (4) Libr. IX. pag. 421.

Ladromus Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Chilonem huius Olympiadis initio obiiſſe putaverim. Aſſerit enim Laërtius [1], Plinius [2], Tertullianus [3] ipſum in filii, qui Olympia vicerat, amplexu obiiſſe, quum Olymp. LII. iam ſenex foret.

An. $\frac{1}{2}$. Camarinam urbem hoc anno a Syracuſanis everſam eſſe teſtatur Scholiaſtes Pindari [4], cuius teſtimonium in Olymp. XLV. iam protuli. Clades illa a Thucydide [5] quoque memoratur.

An. $\frac{3}{4}$. Phalaris Agrigentinorum tyrannus iuxta Cl. Bentleii calculum hoc anno a civibus eſt interemptus; quamvis mortem ipſam Dodvellus in anno 1. Olymp. LXIX. collocaverit, atque Hieronymus ipſius initium in an. 4 Olymp. LIII. adeoque finem in hoc ipſo anno 4. Olympiade LVII. memoraverit. Ac certe quidem nulla propemodum controverſia aut acrius aut ſubtilius exagitata fuit, quam quae ſuperiori ſeculo inter Bentleium, Boylium, Dodvellum de Phalaridis aetate atque Epiſtolis exarſerat. Qui plura deſideret Cl. Scriptores illos, et Fabricium [6] adire poterit.

OLIMPIAS LVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4166. Vrb. Cond. 206.
Erxiclides Athenis Archon CXXXVI.

Servius Tullius Rex VI. anno 30.

Diognetus Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, ſimulque Pauſania mox proferendo.

Tum Olympionicae, tum Archontis huius meminit Pauſanias, qui Delphici Templi incendium deſcribens ait [7]: *Κατεκαύσθη δὲ Ἐρξικλείδȣ μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, πρώτῳ δε τῆς ὀγδόης*

(1) Lib. I. ſeg. 72. (2) Lib. VII. c. 32. (3) De Anima c. 32. (4) Ad Olymp. V. (5) Lib. VI. c. 5. (6) Biblioth. Graec. Tom. I. pag. 407. (7) Phocic. c. 5.

ης Ὀλυμπιάδος ἔτει καὶ πεντηκοςῆς, ἣν Κροτωνιάτης ἐνίκα Διόγνητος *conflagravit hoc principatum obtinente Athenis Erxiclide, octavae & quinquageſimae Olympiadis anno primo, qua palmam tulit Diognetus Crotoniates*. Id vero ſub Piſiſtratidis contigiſſe, templumque ipſum ab illis incenſum ab Alcmaeonidis inſtauratum eſſe teſtatur Pindari Scholiaſtes (1): λέγεται γὰρ ὅτι τὸν Πυθικὸν ναὸν πρησθέντα, ὥς φασιν, ὑπὸ τῶν Πεισιςρατιδῶν οἱ Ἀλκμαιωνίδαι φυγαδευθέντες ὑπ᾽ αὐτῶν ὑπέςησαν ἀνοικοδομῆσαι. κ) δεξάμενοι χρήματα, κ) συναγαγόντες δύναμιν ἐπέθεντο τοῖς Πεισιςρατίδαις κ) νικήσαντες μετ᾽ εὐχαριςηρίων πλειόνων ἀνῳκοδόμησαν τῷ θεῷ τέμενος *fertur enim quod Pythicum templum a Piſiſtratidis, ut aiunt incenſum, Alcmaeonidae ab ipſis in exſilium pulſi ſeſe reſtituturos receperunt. Pecuniiſque acceptis, & copiis comparatis in Piſiſtratidas moverunt: atque victoria potiti, multis additis in gratiarum actionem donis Deo* Apollini *templum reaedificarunt*. Quin etiam Herodotus (2) ipſe novam hanc Delphici Templi ſtructuram memorat, ipſique multa Amaſidem Aegypti regem contuliſſe teſtatur; qui ineunte anno 3. Oly. LXIII. e vivis exceſſit. Quandoquidem vero Pindari Scholiaſtes id *ſub Piſiſtratidis* contigiſſe dicit, Dodvellus (3) Templi incendium in anno 2. Oly. LXIII. adeoque poſt Piſiſtrati mortem, collocavit. Sed certe ille fallitur. Vt enim perſpicuum Pauſaniae locum diſſimulem, *Piſiſtratidarum* nomine non ſoli Piſiſtrati filii, ſed ipſius familia, adeoque Piſiſtratus etiam ipſe a Scriptoribus deſignatur; quod pluribus teſtimoniis oſtendi poſſet.

Thaletis etiam Philoſophi mors huic Olympiadi, fortaſſe quoque primo ipſius anno, adſcribi debet; quamvis Euſebius illam in anno 2. collocaverit. Certe Laërtius (4) aſſerit illum τελευτῆσαι ἐπὶ τῆς πεντηκοςῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος *quinquageſima & octava Olympiade eſſe defunctum*, atque Cyrillus (5) ipſum ad LVIII. Olymp. perveniſſe tradit. Itaque Thales non 78., ſed Soſicrate teſte 90. annos in vivis exegit. Quod autem ille non alio, quam ineunte 1. Olympiadis anno exceſſerit perſpicue, opinor, oſtendit quod ille Laërtio teſte ἐτελεύτησεν ἀγῶνα θεώμενος γυμνικὸν *obiit certamen gymnicum ſpectans*, idque de *Olympico* intelligendum eſſe Laërtius ipſe ſubindicat, ubi Thaletem *ſtadii* cer-

(1) Ad Pyth. VII. (2) Lib. II. c. 180. &c. (3) Annal. Thucyd. pag. 41. (4) Lib. I. ſeg. 38. (5) Adv. Iul. Lib. I.

certamen intuentem ab *Eleo Iove* raptum eſſe teſtatur, quod *Olympicum* nempe Agonem Iovi *Eleo* ſacrum viſurus Eidem Mileto conceſſiſſet. Hinc perperam in Hieronymo ad annum 3. Oly. LVII, atque in Alexandrino Chronico mors illa ad Olymp. LV. revocatur, quae tamen opinio ex altera profluxiſſe videtur, quae Thaleti 78. ſolum aetatis annos adſcripſerat.

Theognis Megarenſis hac Olympiade floruiſſe dicitur ab Euſebio, & Hieronymo; quamvis a Suida ſequenti ſolum Olympiade in lucem editus memoretur: Θέογνις Μεγαρεὺς τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων γεγονὼς ἐν τῇ νθ' Ὀλυμπιάδι *Theognis Megarenſis ex urbe Megaris, quae eſt in Sicilia, natus Olympiade LIX.* Ita Plato, pluresque Platonem ſequuti Poëtam hunc Siculum exiſtimarunt, ut teſtatur Harpocration [1], qui tamen ipſum Megarenſem Atticum fuiſſe contendit: ἦτος δ' ἦν Μεγαρεὺς ἀπὸ τῶν πρὸ τῇ Ἀττικῇ Μεγάρων. αὐτὸς γάρ φησιν ὁ ποιητής

Ἦλθον μὲν γὰρ ἔγωγε καὶ ἐς Σικελήν ποτε γαῖαν

ᾧ μὴ ἐπιστήσας Πλάτων ἐν πρώτῳ Νόμων, τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων . . . . . . ποτὲ ἔφασκεν εἰς Σικελίαν *Erat hic Megarenſis ex Atticae Megaris. Siquidem ipſe poëta inquit*

Veni enim ego & in Siculam aliquando terram

quod quum Plato ignoraret, in primo Legum, ex *Megaris Siculis . . . . . . aliquando ait in Siciliam*: quem locum ita ſupplevit Mauſſacus ἀπὸ τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων εἶπεν, ἀλλ' αὐτὸς ἐληλυθέναι ἔφασκεν *ex Megaris Siculis* eum fuiſſe *tradidit, at ipſe* ſe eo tantum *veniſſe dixit*. Itaque Theognis iſte Megaris Atticis adſcribi debet, quum praeſertim Megara patriamque ſuam *Alcathoi* urbem vocet, atque ab illa bellum *Medicum* deprecetur, quod Siculis Megaris convenire non poterat. Accedit etiam quod Theognis ipſe plerumque Ionica, non Dorica Siculorum dialecto, utitur; quodque Megarenſes Cypſelidarum partes fovere conqueritur, quod Atticis Megaris mire conveniet. Denique, tantum abeſt ut ex ſuperiori Theognidis verſu inferatur illum ex Megaris Siculis originem duxiſſe, ut ex integro potius contextu perſpicue oppoſitum inferatur. Etenim dicit ſe in Si-

cu-

(1) In Θέογνις.

culam quidem terram, & Euboeam, & Spartam veniſſe, ibique honorifice exceptum eſſe (1):

Ἀλλ' ὅτις μοι τέρψις ἐπὶ φρένας ἦλθεν ἐκείνων
Οὕτως ὀυδὲν ἄρ' ἦν φίλτερον ἄλλο πάτρης
Sed nulla mihi oblectatio in praecordia venit illorum,
Adeo nihil ſane erat carius aliud patria.

Ergo nitide diſerteque docet patriam ſibi neque in Sicilia, neque in Euboea, neque in Laconia fuiſſe. Ita Apollinem deprecatur ut ab urbe patria *iniurioſum Medorum exercitum avertat*, ut populi ac cives

Ἦρος ἐπερχομένυ κλειτὰς πεμπῶσ' ἑκατόμβας
Vere ineunte claras mittant Hecatombas;

at Hecatombae ineunte vere Delum non a Siculis, ſed ſolum a Graecis omnibus, mittebantur; ergo Theognidis patria non in Sicilia, ſed in Graecia, adeoque in Attica agnoſci debet; quum Attica ſolum, ubi Siculam exceperis, Megarenſium urbs habeatur. Quandoquidem vero Theognis *Medici* belli meminit, quod Oly. LXXII. an. 3. contigit, Suidaque teſte Elegiam ſcripſit ad cives, qui in Syracuſana obſidione ſervati fuerant, hoc eſt, ut optime Fabricius (2) exiſtimavit, Gelonem Olymp. LXXII. an. 2 tyrannidem occupantem effugerant, perſpicue apparet ipſum Olymp. LXXII. ſuperaſſe, adeoque Simonidi, & Onomacrito coaevum fuiſſe, quorum meminit ver. 469. & 503.

Oreſtis oſſa a Lacedaemoniis oraculi monitu in Tegea reperta fuiſſe dicit Solinus (3): *Oreſtis oſſa Olympiade quinquageſima & octava Tegeae inventa a Spartanis oraculo monitis*, quod ad 1. huius Olymp. annum referendum eſſe Scaliger (4) exiſtimavit.

An. 2. Anaximandrum Mileſium hoc anno celebrem extitiſſe, ac 64. aetatis annum egiſſe ſcribit Laërtius, (5) paulloque poſt obiiſſe: Ἀπολλόδωρός φησιν αυτὸν τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς

(1) Ver. 784. (2) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 439. (3) Cap. V. (4) Animadv. ad Euſeb. (5) Lib. II. ſeg. 2.

τῆς πεντηκοϛῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος ἐτῶν εἶναι ἑξήκοντα τεσσάρων, καὶ μεθ' ὀλίγον τελευτῆσαι *Apollodorus ait ipſum ſecundo anno quinquageſimae octavae Olympiadis annum egiſſe aetatis ſexageſimum quartum, ac paullo poſt obiiſſe diem* Certe Hieronymus etiam ad annum 2. Olymp LI. ipſum celebrem fuiſſe adnotavit; eiuſque mortem facile in Olymp. LXIII. collocari poſſe mox obſervabitur.

OLYMPIAS LIX.

An. $\frac{a}{1}$. Per. Iul. 4170. Vrb Cond. 210.
. . . . Athenis Archon CXL.

Servius Tullius Rex VI. anno 34.

Archilochus Corcyrenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Praxidamas Aegineta *pugilatu* in Ludis ipſis palmam obtinuit ex Pauſania [1]. Victoriam ipſam Pindaricus etiam Scholiaſtes [2] memoravit: ἐκεῖνος ὁ Πραξιδάμας, φησὶ, πρῶτος ἐγένετο τῶν Αἰγινητῶν πάντων Ὀλυμπιονίκης, ἢ τῦ γένυς ἑαυτῦ *Praxidamas ille, inquit, primus Olympionica fuit ex Aeginetis, ſive ex familia ſua*. Hoc ipſo Olympiadis anno Anaximenem Euryſtrati filium Mileſium natum putaverim; quamvis illa, quae de ipſius aetate apud Laërtium, alioſque circumferuntur, mire perplexa & repugnantia ſint. Etenim Laërtius [3] ait: Γεγένηται ἑξηκοϛῇ τρίτῃ Ὀλυμπιάδι, ἐτελεύτησε δὲ περὶ Σάρδεων ἅλωσιν *natus eſt ſexageſima tertia Olympiade, diem vero obiit eo anno, quo Sardes captae ſunt*: ſicuti Suidas: Γέγονεν ἐν τῇ νέ Ὀλυμπιάδι, ἐν τῇ Σάρδεων ἁλώσει ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν *vixit Olympiade LV. quo tempore Cyrus expugnatis Sardibus Croeſum regno exuit*. Si Sardes a Cyro captae, Croeſuſque a Cyro anno 1. Olymp LIX. ſuperatus eſt, quî Anaximenes hoc anno interire, tandemque Olymp. LXIII mox naſci potuit? Scaliger haec Laërtii verba monſtra putavit, iiſque intelligendis Oedipo opus eſſe dixit. Petitus pro ἑξηκοϛῇ τρίτῃ reſcribendum aſſerit πεντηκοϛῇ πέμπτῃ: perinde quaſi Anaxi-

(1) Eliac. II. c. 14. (2) Ad Nem. VI. ver. 32. (3) Lib. II. ſeg. 3.

ximenes *viceſimo* aetatis anno interire potuerit. Si quidpiam in obſcuriſſimo Laërtii textu tentari poſſet, voces potius ita transferendas putaverim, ut in illo legatur γεγένηται περὶ Σάρδεων ἅλωσιν, ἐτελεύτησε δὲ ἑξηκοστῇ τρίτῃ Ὀλυμπιάδι *natuſ eſt quo tempore Sardeſ captae ſunt, obiit autem ſexageſima tertia Olympiade*; ita nimirum facile tranſpoſitis ſolum vocibus perſpicuus quidam ſenſus exſculpetur. At Anaximenes ab Origene (1) floruiſſe dicitur περὶ ἔτος πρῶτον τῆς πεντηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος *circa annum primum quinquageſimae octavae Olympiadiſ*; atque, ut Suidae aliorumque teſtimonia ſuperius laudata diſſimulem, Anaximenes ipſe Anaxagorae praeceptor fuit, qui anno demum 1. Olymp LXX. in lucem editus memoratur, itaque Laërtii error ſanari vel excuſari certe non poterit. Eiuſmodi vero errorem, aut oſcitantiam inde profluxiſſe ego ſuſpicor, quod Laërtius ipſe Apollodori Chronicon oculis ſubiectum inſpiciens Anaximandri, ſimulque Anaximenis tempora miſere confuderit, temporumque characteres, aut Oly. annos in iis expreſſos ab *Anaximandro* ad *Anaximenem* tranſtulerit. Itaque ſic ſtatuo Anaximandrum LXIII. Olympiade obiiſſe, qua Anaximenes natus a Laërtio dicitur, Sardiumque captarum tempore, quo Anaximenes obiiſſe dicitur, ipſum in lucem prodiiſſe. Ita nimirum optime intelligi poterit quod Anaximenes Anaximandri *Sodaliſ* fuerit, ut Simplicius (2) teſtatur; ipſius *Diſcipuluſ* a Cicerone (3) dicatur; ipſique demum in Ionica Schola ſucceſſerit, ut una Scriptorum omnium voce erudimur. Ita quoque intelligi ſalvarique poterit quod Anaxagoras Olymp LXX. in lucem editus Anaximenis auditor fuerit, ſi Anaximenes ipſe ineunte Olymp. LIX. in lucem editus ſaltem ad Olymp LXXV. pervenerit, qua Anaxagoras Clazomene, ſive Mileto Athenas conceſſit.

Itaque ingenioſa Petavii (4) coniectura admitti non poterit, qui, quum Sardes ab Athenienſibus anno 1. Olymp. LXIX. captas & incenſas eſſe ab Herodoto (5) didiciſſet, ſub hanc ipſam Sardium cladem Anaximenis interitum contigiſſe putavit. Etenim, ut hic Suidam, ac Laërtium diſſimu-

(1) In Philoſophum. (2) Ad Lib. I. Phyſ. c. 2. (3) Acad. Quaeſt. Lib. IV. c. 37. (4) In Tab. Chronol. (5) Lib. V.

ſimulem, qui Sardium cladem, Croeſique calamitatem una coniungunt, ſi Anaximenis obitus in Olymp. LXIX. incidiſſet, is Anaxagorae praeceptor eſſe non poterat, qui Olympiade mox inſequuta in lucem editus memoratur.

Pherecydes Syrus Pythagorae praeceptor hac Olympiade floruit. Laërtius (1): γέγονε δὲ κατὰ τὴν πεντηκοςὴν εννάτην Ολυμπιάδα *fuit circa quinquageſimam nonam Olympiadem*. Hinc Cicero de Pherecyde ipſo dicit: *fuit meo regnante gentili*, nimirum Servio Tullo, qui anno 4. Olymp. LXI. e vivis exceſſit, quemadmodum Euſebius Pherecydem ipſum anno 2. Olymp. LX. floruiſſe dicit.

An. $\frac{2}{3}$. Huic anno ex Chronici Oxonienſis hypotheſi adſcribi debet Croeſi clades, Cyrique regis victoria. Siquidem in illo legitur (2): Αφ' ȣ̃ Κῦρος ὁ Περσῶν βασιλεὺς Σάρδεις ἔλαβε, κ̧ Κροῖσον ὑπὸ Πυθίης σφαλλόμενον ἐζώγρησεν ἔτη ΗΗΙΔΙΔΔΠΙΙΙ. Αρχοντος Αθήνησι .... *A quo Cyrus Perſarum rex Sardes expugnavit, & Croeſum a Pythia deceptum vivum cepit, anni CCLXXVIII. Archonte Athenis*........ Ac certe quidem Herodotus (3) nitide diſerteque tradit Croeſum 14. annis regnaſſe, moxque Sardes eius regiam a Cyro Perſarum rege captas fuiſſe. Itaque, quum Chronici Auctor Croeſi initium in anno 1. Olymp. LVI. collocaverit, optime, cohaerenterque eius finem, Cyrique victoriam ad annum $\frac{2}{3}$. Olymp. LIX. revocavit.

Hoc eodem anno Thyreaticum bellum inter Argivos ac Lacedaemonios exarſiſſe, incertaque victoria diremptum fuiſſe ſcribit Herodotus (4).

An. $\frac{3}{4}$. Agelaus Luſenſis Pythiade XI. quae hoc anno celebrata fuit, *celete* palmam obtinuit, ut Pauſanias teſtatur (5).

(1) Lib. I. ſeg. 121. (2) Epoch. 43. lin. 57. (3) Lib. I. c. 214. (4) Lib. I. c. 82. (5) Arcad. c. 18.

OLYMPIAS LX.

An. 1. Per. Iul. 4174. Vrb. Cond. 214.
. . . . Athenis Archon CXLIV.

Servius Tullius Rex VI. anno 38.

Apellaeus Eleus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hipponax Lesbius a Plinio (1) floruiſſe dicitur; quemadmodum Hieronymus Hippicum Poëtam in anno 1. Oly. LX. collocavit.

Hoc Olympiadis huius anno Piſiſtratus una cum filiis ex Eretria digreſſus in Atticam irrupiſſe videtur, commiſſoque praelio apud Pallenidis Minervae fanum Athenienſes ſuperavit, ut Herodoto quidem traditum (2); ſive potius ab iis ſuperatus fuit, ut Andocides (3), aliique teſtantur. Vtraque tamen opinio facile componi poterit: quum certe conſtet Piſiſtratum, quamvis apud Pallenenſes infeliciter dimicaſſet, atque a Leagora Andocidis proavo, atque Athenienſium duce ſuperatus eſſet, Athenas tamen mox occupaſſe; adeoque tyrannidem ſibi pridem ereptam *undecimo* tandem poſt exilium anno recuperaſſe. Euſebius quidem id anno 1. Olymp. LVIII. contigiſſe ſcribit: Πεισίϛρατος Ἀθηναίων τὸ δεύτερον ἐβασίλευσεν, hoc eſt, ut exponendum putat Meurſius (4), tyrannidem *ſecundo* amiſſam recuperavit, adeoque *tertio* illam invaſit; quemadmodum Herodotus (5) hiſtoriam ſuperius traditam ita concludit: *οὕτω Πεισίϛρατος τὸ τρίτον σχὼν Ἀθήνας ἐῤῥίζωσεν τὴν τυραννίδα ita Piſiſtratus tertio Athenarum potitus firmavit tyrannidem*. At poſtremus ille Piſiſtrati reditus ante Oly. LIX. contigiſſe non potuit, quum ille moriens 17. ſolum annos partim poſt primum, partim poſt ſecundum reditum imperaverit. Itaque reditus ille facilius ad Oly. hanc referri poterit; quum is Herodoto teſte 11. annis exulaverit, rediensque tyrannidem confirmaverit: quod optime intelligi poterit ſi poſt reditum 12. annos imperaverit, qui 5. an-

(1) Lib. XXXVI. c. 5. (2) Lib. I. c. 62. (3) Orat. I. ſive de Myſter. (4) In Piſiſtrato c. 5. (5) Lib. I. c. 64.

5. annis aliis adiecti 17. annos conficient, quibus ab Ariſtotele imperaſſe dicitur.

An. $\frac{1}{4}$. Euſebius Pherecydem, ut ille vocat, Hiſtoricum, atque Pythagorae praeceptorem hoc anno floruiſſe ſcribit; proximoque anno ait: *Φωκυλίδης, κ̀ Ξενοφάνης φυσικὸς τραγωδοποιὸς ἐγνωρίζετο Phocylides, & Xenophanes phyſicus Tragoediarum Scriptor clarus habebatur*. Eadem quoque Hieronymus; niſi quod ille Pherecydem anno 2., ceteros anno 4. adſcribit; primoque loco ante Phocylidem *Simonidem Lyricum* memoravit.

OLYMPIAS LXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4178. Vrb. Cond. 218.
. . . . aeus primus Athenis Archon CXLVIII.

Servius Tullius Rex VI. anno 42.

Agatharchus Corcyraeus Olympia *ſtadio* vicit ex Africano, ſimulque Dionyſio, cuius teſtimonium in anno 4. mox proferetur.

Rhexibius autem Opuntius *pancratio* palmam obtinuit ex Pauſania [1].

Mutilum ſuperioris Archontis nomen, editamque a Theſpide Alceſtin Oxonienſe Chronicon nobis conſervavit, in quo inter exitum Croeſi, & Darii Hyſtaſpidis initium, obliteratis prorſus anni characteribus, haec hiſtoria collocatur [2]: *Ἀφ' ȣ̃ Θέσπις ὁ ποιητὴς ἐξ ἁμάξης πρῶτος ἐδίδαξεν Ἄλκεςιν, κ̀ ἐτέθη ὁ τράγος ἆθλον νενικηκότι, ἔτη* HHI$\overline{\Delta}$IΔΔII. *Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀλκαίȣ τȣ̃ προτέρȣ A quo Theſpis poëta e plauſtro primus docuit Alceſtin, & hircus pro praemio victori proponebatur anni CCLXXII Archonte Athenis Alcaeo priore*. Itaque victoria illa poſt annum 2. Olymp. LIX. & ante 4. Olymp. LXV. contigiſſe debuit. Nulli vero facilius atque commodius adſcribi poterit, quam anno 1. Olymp. LXI. Etenim Suidas aſſerit Theſpidem Olymp. LXI. primum Tragoedias docuiſſe: quod ita tamen intelligi debet, ut

(1) Eliac. II. c. 18. (2) Epoch. 44. lin. 58.

ut is *Alceſtin*, vel nobilius aliud Dramatis genus edidiſſe dicatur; quum ante rudioribus quibuſdam Tragoediis Athenienſi populo placuiſſet. Certe Plutarchus (1), Laërtius (2), aliique tradunt Theſpidem Solone adhuc ſuperſtite Tragoedias Athenis edidiſſe; idque ante occupatam a Piſiſtrato tyrannidem contigiſſe demonſtrat, quod Piſiſtrati audaciam ac ſcelus Solon ipſe ex eiuſmodi Tragoediarum commentis incitamenta accepiſſe putaverit.

Ceterum Archon ille a Dodvello *Athenaeus*, a Lydiato, & Prideauxio *Alcaeus*, ſed coniectura ſolum, vocatur; quum poſtremae ſolum & ambiguae nominis partes in Marmore ſuperſint.

Quid vero ſi occaſione ex Theſpidis nomine arrepta inſignem hinc Euſebii locum corrigere ac illuſtrare enitar? Scriptor ille in Olymp. LX. anno 4. adnotavit: Φωκυλίδης καὶ Ξενοφάνης Φυσικὸς τραγωδοποιὸς ἐγνωρίζετο *Phocylides*, & *Xenophanes Phyſicus Scriptor Tragoediarum agnoſcitur*. Ibi Scaliger obſervavit: *Xenophanem Phyſicum & poëtam agnoſco, Tragoediarum Scriptorem nego*. Ac certe quidem nullus omnino Veterum Tragoedias a Xenophane ſcriptas eſſe tradidit. Ego vero in Euſebii textu alterius Scriptoris nomen excidiſſe ſuſpicor, qui Tragicae artis gloria floruerit; ibique legendum eſſe coniicio καὶ Ξενοφάνης Φυσικὸς, καὶ Θέσπις Τραγωδοποιὸς & *Xenophanes phyſicus*, & *Theſpis Tragoediarum Scriptor*: ſic enim optime Theſpidis aetas cum Phocylidis, & Xenophanis aetate coniungeretur.

Ceterum, quod ad Xenophanis aetatem attinet, Laërtius (3) quoque teſtatur quod ille ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα *floruit circa ſexageſimam Olympiadem*.

An. $\frac{3}{4}$. Heraclides Athenis Archon CLI.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 1.

Archontem hunc memorat Dionyſius (4), eiuſque anno Tarquinium Superbum regum ultimum Romae imperium iniiſſe dicit: Παραλαμβάνει Λεύκιος Ταρκύνιος τὴν Ῥωμαίων δυναστείαν κατὰ τὸν τέταρτον ἐνιαυτὸν τῆς ἑξηκοστῆς καὶ πρώ-

της

(1) In Solone. (2) Lib. I ſeg. 59. (3) Lib. IX. ſeg. 20. (4) Lib. IV. n. 41.

τῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα ϛάδιον Ἀγάθαρχος· Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρακλείδȣ *Occupat Lucius Tarquinius Romanorum imperium anno quarto ſexageſimae primae Olympiadis, qua vicit in ſtadio Agatharchus, Archonte Athenis Heraclide*. Sed Archon ille in Vaticano Dionyſii Codice, & in Diodoro Siculo Libro VI. in Excerptis Valeſii [1] *Thericles* appellatur: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Θηρικλέȣς κατὰ τὴν ξα' Ὀλυμπιάδα Πυθαγόρας ὁ φιλόσοφος ἐγνωρίζετο *Archonte Athenis Thericle circa LXI. Olympiadem Pythagoras Philoſophus clarus habebatur*. Ita Cyryllus [2] ait quod ἑξηκοϛῇ δευτέρᾳ Ὀλυμπιάδι Πυθαγόρας γένεσθαι λέγεται, idemque prorſus Tatianus [3] teſtatur; quemadmodum Laërtius [4] dixerat: ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑξηκοϛὴν Ὀλυμπιάδα *floruit ſexageſima Olympiade*. Itaque Valeſio duce corrigendus Dionyſius Halicarnaſſeus [5], qui Pythagoram μετὰ τὴν πεντηκοϛὴν Ὀλυμπιάδα *poſt quinquageſimam Olympiadem* in Italia verſatum eſſe ſcribit. Etenim, ut nitide diſerteque teſtatur Cicero [6], Pythagoras in Italiam Superbo regnante conceſſit, qui hoc Olymp LXI. anno regnum obtinuit; ibique adhuc degebat iis temporibus, quibus Brutus patriam liberavit [7], quod Olymp. LXVII. contigiſſe mox demonſtrabitur.

OLYMPIAS LXII.

An. $\frac{1}{1}$. Per. Iul. 4182. Vrb. Cond. 222.
. . . . Athenis Archon CLII.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 2.

Eryxias Chalcidenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Milon Crotoniata in Ludis ipſis *lucta* palmam obtinuit ex Africano; quumque Pauſania teſte prius *puerorum* lucta ſemel, mox *virorum* quinquies vicerit, facile huic anno victoria prima adſcribi debet, quum is Olymp. LXXXIII. anno 3. adhuc ſuperſtes fuerit [8].

Ana-

(1) Pag. 241. (2) Adv. Iulian. I. (3) Orat ad Graec pag. 141. (4) Libr. VIII. ſeg. 45. (5) Lib. II. num. 13. (6) Tuſcul. I. c 16. (7) Tuſcul. Lib. IV. c. 1. (8) Vid. Diſſ. Agoniſt. pag. 134.

Anacreon Teius poëta Lyricus hac Olympiade floruiſſe dicitur ab Euſebio.

Polycrates una cum fratribus Pantagnoto, & Syloſonte Sami tyrannidem occupavit, moxque Syloſontem expellens, ac Pantagnotum interficiens ſolus imperavit [1]. Euſebius tamen, ac Hieronymus id in anno 2. proximae Olympiadis collocavit.

An. 3/2. Huic anno Cyri mors, & Cambyſis initium certiſſime adſcribi debet, ut accuratiſſime demonſtravit Petavius [2].

OLYMPIAS LXIII.

An. 4/1. Per. Iul. 4186. Vrb. Cond. 226.
. . . . . . Athenis Archon CLVI.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 6.

Parmenides Camarinaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Anaximander hac Olympiade e vivis exceſſit, ſi Laërtii locum, in quo Anaximenes Olymp. LXIII. natus aſſeritur, rite reſtituerim; ut in ipſo non natalis Anaximenis, ſed emortualis Anaximandri Olympias exprimatur. Vide ad Oly. LIX. Piſiſtratus Athenienſium tyrannus hoc anno e vivis exceſſit. Etenim, ut Heraclides [3] ait, *Πεισίστρατος τριάκοντα τρία ἔτη τυραννήσας, γεράσας ἀπέθανε Piſiſtratus poſt triceſimum tertium tyrannidis annum iam ſenex obiit*; idemque prorſus 33 annorum numerus, quos ille in tyrannide exegerit, a Iuſtino [4], & ab Ariſtotele [5] exprimitur. Eiuſmodi vero mortem hoc anno certiſſime contigiſſe perſpicua temporum ſeries oſtendit, quam ad Olympiadis LV. annum 1. exhibui. Atque inde ſane factum ſuſpicor ut in Alexandrino Chronico Hipparchi & Hippiae mors Olymp LXIII. temere adſcribatur: quod nempe Auctor ille in antiquiori Scriptore Piſiſtrati finem hac Olymp. nota-

(1) Herod. Libr. III. c. 30. (2) Doctr. Temp. Libr. X. c. 15. (3) De Politiis. (4) Lib. II. c. 8. (5) Polit. Lib. V. c. 12.

tatum invenerit. Piſiſtrato vero patri defuncto in patriae tyrannide Hipparchus ſucceſſit; qui licet a Thucydide [1], aliiſque Hippia natu imperioque poſterior aſſeratur, perſpicuo tamen Platonis [2] teſtimonio natu maximus, patriſque ſucceſſor fuit; ut contra Thucydidem accuratiſſime demonſtravit Meurſius [3]. Itaque corrigendus Petavius [4], qui non modo Hippiam natu maiorem, ſed Piſiſtrato patri per annos 18. ſucceſſorem, facit. Quamvis tamen imperii ſumma penes Hipparchum foret, Hippias ac Theſſalus Hipparchi fratres una imperabant; adeoque, ut Ariſtophanis Scholiaſtes [5] ait, Κοινῶς πάντες οἱ Πεισιςρατίδαι τύραννοι ἐλέγοντο *communiter Piſiſtratidae omnes tyranni dicebantur*; quemadmodum opportunius alibi iam obſervatum *Piſiſtratidarum* nomine ipſum quoque *Piſiſtratum* deſignari.

An 2. Anacreon ex Teo quidem Inſula oriundus, ſed Platone [6] teſte Solonis cognatus, facile hoc anno Athenas conceſſit. Siquidem, ut ipſe Plato in *Hipparcho* teſtatur, Hipparchus Piſiſtrati filius, quum literas atque humaniores artes omnes impenſe coleret, Anacreontem miſſa quinquaginta remorum navi Athenas accerſivit: quod inita iam ab Hipparcho tyrannide, ſive potius, ut imperium illud a Platone vocatur, tranquillo, fauſtoque tempore contigiſſe videtur. Diu tamen Piſiſtratidis etiam expulſis ſuperſtes ille fuit, quum Lucianus [7] illi 85. aetatis annos conceſserit.

An. 3. Hoc etiam anno Cambyſes Perſarum rex *quinto* ſui regni anno [8], ſexque menſibus poſt Amaſidis mortem Aegypti regnum occupavit.

An. 4. Aeſchylus Sophili filius ex Decelia Atticae Populo hoc anno naſcitur. Etenim in Oxonienſi Marmore legitur ipſum Marathoniae pugnae tempore, hoc eſt anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXII. 35 aetatis annos egiſse; & Suidas aſſerit illum Olymp. LXX. 25. aetatis anno Tragoedia certaſ-

(1) Lib. VI. (2) In Hipparcho. (3) In Piſiſtr. Cap. 11. (4) Doctr. Temp. Lib. X. c. 11. (5) Ad Veſpas. (6) In Charmide. (7) In Macrob. (8) Herod. Libr. III. c. 10. & 14.

taſse. Ergo utrinque colligitur ipſius ortum in annum hunc incidiſse. Itaque fallitur Aeſchyli Scholiaſtes, qui ipſum 63. annos vixiſse dicit; quum anno 1. Olympiadis LXXXI. *ſeptuagenarius* obierit. Aeſchylum vero ex *Decelia* fuiſse perſpicuo Plutarchi (1) teſtimonio deprehendi, qui ſemel iterumque meminit Aminiae Deceleníis, qui Xerſis Navarchum in Salaminio bello interfecerat. Diodorus (2) autem Aminiam hunc Aeſchyli poëtae fratrem fuiſse teſtatur. Itaque fallitur Fabricius (3), qui ipſum ex *Eleuſine* Atticae civitate fuiſse dicit.

OLYMPIAS LXIV.

An. 1. Per. Iul. 4190. Vrb. Cond. 230.
Miltiades Athenis Archon CLX.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 10.

Evander Theſsalus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Miltiadis nomen a Dionyſio (4) memoratur ubi de tyrannide Cumis ab Ariſtodemo occupata loquens ait: *ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου* *ſexageſima quarta Olympiade Archonte Athenis Miltiade*.

Fortaſse Cimon hac Oly. victoriam *tethrippo* obtinuit. Etenim Herodotus (5) ait illum *tertio* Olympia viciſſe, atque a Piſiſtrati filiis, defuncto iam patre, interemptum fuiſſe. Secundae victoriae laudem Piſiſtrato adſcripſerat Cimon, primamque Miltiadi uterino fratri conceſſerat.

Choerilus Athenienſis Tragicus hac Olympiade floruiſſe, primuſque perſonatos auctores in ſcenam induxiſſe dicitur. Vid. Suidas.

An. 3. Polycrates Samiorum tyrannus a civibus interemptus fuit, quum annis 11. patriae tyrannidem occupaſſet (6).

An.

(1) In Themiſt. & Ariſtide. (2) Libr. XI. c. 27. (3) Biblioth. Graec. Tom. I. pag. 601. (4) Antiq. Rom. Lib. VII. n. 2. (5) Lib. VI. c. 103. (6) Herod. Lib. III.

An. $\frac{3}{4}$. Huic anno Darii Perſarum regis initium certiſſime adſcribi debet, ut oſtendit Petavius [1]; quamvis in Oxonienſi Chronico initium illud ad annum $\frac{3}{4}$. ſequentis Olympiadis referatur; niſi annorum numerus Prideauxio duce emendetur, adeoque facile Chronici calculus cum Ptolemaei, aliorumque calculo componatur.

OLYMPIAS LXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4194. Vrb. Cond. 234.
. . . . Athenis Archon CLXIV.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 14.

Acochas Tarentinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Damaretus Heraeenſis *armatorum curſu* tunc inſtituto palmam obtinuit ex Pauſania [2], qui victorem ipſum alibi [3] quoque memoravit. Africanus illum *Damaretam Heraclidem* perperam appellavit; quamvis optime dixerit *armatorum curſum* tunc primum receptum eſſe.

Archontis autem nomen, qui hoc anno imperavit, in Oxonienſi Chronico prorſus intercidit ubi legitur [4]: Ἀφ' οὗ Δαρεῖος Περσῶν ἐβασίλευσε, Μάγου τελευτήσαντος, ἔτη ΗΗΙΔΙΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι . . . . *A quo Darius in Perſia regnavit, Mago occiſo, anni CLIII. Archonte Athenis* . . . . Quum Lydiatus in Marmore ſcriptum legiſſet *anni* 253., Darium in Perſide anno 4 Olymp. LXV. imperium ſuſcepiſſe dixit, quod Mago occiſo captaque Babylonis urbe liberius imperaverit. Ceterum primus Darii Hyſtaſpidis annus una cum 4 Olymp. LXIV concurrit, quum ille octennio a Cyri morte, ſeptemque menſibus a Cambyſis interitu regnum ſuſceperit. Sed, quum Magus annis 3. ac menſibus 7 Cambyſe defuncto regnum occuparet, Darii initium ad annum 4. Olymp. LXV. revocari poſſe putavit. Eadem fere Palmerius atque Seldenus

(1) Doctr Temp. Lib. X. c. 19. (2) Eliac. II. c. 10. (3) Phocic. c. 7. Eliac. I. c. 8. Arcad. c. 26. (4) Epoch. 45. lin. 59.

excogitarunt ut Marmor ipſum una cum Hiſtoricis aliis componerent. At Prideauxius optime obſervavit in Marmore non annos ΙΔΙΙΙΙ. ſed annos ΙΔΙΠΙ. legendum eſſe; adeoque Darii initium in annum 4. Olymp LXIV. hoc eſt Per Iul. 4194 incideret; quemadmodum prorſus in Ptolemaei Canone principium ipſum in anno 227. Nabonaſſari, ſive Per. Iul. 4193. collocatur.

Euſebius hic adnotavit: Πυθαγόρας Φυσικὸς Φιλόσοφος ἐγνωρίζετο, hoc eſt, ut Hieronymus ad annum ipſum ſcribit, *Pythagoras Phyſicus Philoſophus clarus habetur*: quod optime cum Pythagorae aetate iam conſtituta conveniet.

Athenienſes hoc anno cum Plataeenſibus ſocietatem ineunt. Id enim 93. anno contigiſſe antequam Plataearum urbs a Lacedaemoniis everteretur teſtatur Thucydides (1), qui cladem illam in anno 2. Olymp. LXXXVIII. collocavit. Foedus ipſum Cleomenis Spartani regis aetate ſancitum eſſe ſcribit Herodotus (2).

An. $\frac{3}{4}$. Pindarus Daiphanti, vel Scopelini, vel Pagonidae filius Thebanus hac Olympiade a Suida in lucem editus memoratur: κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν πέμπτην Ὀλυμπιάδα *ſexageſima quinta Olympiade*; adeoque Meurſius, Scaliger, Fabricius, aliique plurimi laudato Suidae teſtimonio ortum illum in anno 1. huius Olympiadis collocarunt; quum praeſertim Suidas ipſe teſtetur quod Salaminiae pugnae tempore, hoc eſt anno 1. Olymp. LXXV. Pindarus *quadragenarius* erat. Ego vero perſpicuo Plutarchi teſtimonio demonſtravi (3) quod Pindari nativitas exeunti fere anno 3. Olymp. LXV. adſcribi debet, quum ille Pythiorum tempore in lucem prodierit, quae *tertiis* Olympiadum annis ineunte vere peragebantur. Itaque, quum Salaminia pugna ineunte anno 1. Olymp. LXXV. circa *viceſimam* Boëdromionis diem contigerit, Pindarus tunc 39. aetatis annum attigerat; ut optime proinde *quadragenarius* appellari potuerit.

OLYM-

(1) Lib. III. c. 68. (2) Lib. IV. c. 108. (3) Tom. II. pag. 64.

OLYMPIAS LXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4198. Vrb. Cond. 238.
. . . . . . Athenis Archon CLXVIII.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 18.

Iſchyrus Himeraeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.
Damaratus Heraeenſis hac etiam Olympiade *armatorum curſu* viciſſe dicitur a Pauſania [(1)].
Cleoſthenes Epidamnius *curſu* ex Pauſania ipſo palmam obtinuit [(2)].

An. $\frac{2}{3}$. Hipparchus Piſiſtrati filius, atque Athenarum tyrannus ab Harmodio, atque Ariſtogitone interfectus fuit. Caedem hanc ineunte 3. Olympiadis anno contigiſſe Thucydides [(3)] indicavit, qui ipſam *Panathenaeorum magnorum* tempore patratam eſſe teſtatur: περιέμενον δὲ Παναθήναια τὰ μεγάλα *exſpectabant Panathenaea magna*; quemadmodum Herodotus [(4)] etiam ait caedem illam prima Panathenaeorum die contigiſſe. Itaque, quum maior illa Panathenaeorum celebritas *tertio* quoque Olympiadis anno ineunte rediret, Hipparchi caedes huic Olympiadis anno adſcribi debet. De Olympiadis autem numero Scriptores ita diſſident, ut Euſebius id anno 1, Hieronymus 2. Olymp. LXV. anno adſcripſerit. Auctor Alexandrini Chronici Olymp. LXIII. Gellius iiſdem temporibus Hipparchum occiſum eſſe teſtatur, quibus Tarquinio Superbo regnum obtinente Pythagoras in Italiam venit, hoc eſt circa Olympiadem LXII. Meurſius vero, qui ſingula Veterum teſtimonia accuratiſſime congeſſit, id anno 1. Olymp. LXV. contigiſſe contendit; quamvis ipſe paucis interiectis ſibi non conſtans 4. expreſſerit. Quum tamen Hippias occiſo fratre *quarto* tyrannidis anno eiectus fuerit, ac Piſiſtratidae filii 18. annis imperaverint, tandemque Hippias 20. ante pugnam Marathoniam anno, hoc eſt $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVII. expulſus fuerit, Hipparchi caedes ab anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVI. dimoveri non

(1) Eliac. II. c. 10. (2) Loc. cit. (3) Lib. VI. c. 59 (4) Lib. V. c. 55.

poterit. Poſt Hipparchi caedem Hippias natu minor tyrannidem occupavit, ut Herodotus (1) aliique plurimi prodidere.

OLYMPIAS LXVII.

An. 4/1. Per. Iul. 4202. Vrb. Cond. 242.
...... Athenis Archon CLXXII.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 22.

Phanas Pelleneus *ſtadio* viciſſe dicitur ab Africano, qui ſubdit: Πρῶτος ἐτρίσσευσεν δίαυλον, ὅπλον *primus diaulum armato curſu triplicavit*. Opportunius alibi iam obſervatum quod is *diaulo* vincere dicebatur, qui a carceribus ad metam, rurſuſque non interrupto curſu a meta ad carceres contendebat; ut proinde in illo ſtadii curſus duplicaretur. Itaque Phanas, qui *diaulum triplicaſſe* dicitur, abſoluto diaulo, ſive ad carceres regreſſus, iterum ab ipſis ad metam cucurrit, ideoque proprie non *diaulum*, ſed *ſtadium*, triplicavit. Cavendum tamen ne Phanas hic cum altero cognomine confundatur, qui Pauſania (2) teſte δολιχοῦ νίκην Ὀλυμπιάσιν ἦν ἀνῃρήμενος *dolicho victoriam in Olympicis Ludis abſtulerat*. Siquidem ille Meſſeniaci belli temporibus floruit, atque ante Olymp. XXIX. palmam retulerat.

Hac Olympiade argentea moneta Athenis cudi coepit. Siquidem Ariſtoteles (3) id Hippiae temporibus contigiſſe ait.

Darius hoc anno Syloſontem una cum exercitu Samum miſit, ut ibi tyrannidem occuparet (4). Dodvellus (5) hoc anno, qui *regifugium* praeceſſit, Pythagoram in Italiam veniſſe dicit.

Hippias Piſiſtratidarum poſtremus Athenis eiectus eſt. Siquidem Herodotus (6) ipſum ἐπ' ἔτεα τέσσαρα *annis quatuor* imperaſſe teſtatur; Plato (7) vero τρία ἔτη *tres annos* illi adſcribit: quod ille nimirum, ut accuratiſſime ſcribit Thucydides (8), τυραννεύσας ἔτη τρία, καὶ παυσθεὶς ἐν τῷ τετάρτῳ

ὑπὸ

(1) Lib. V. c. 62. (2) Meſſen. c. 17. (3) Oeconom. Lib. II. c. 20. (4) Herodot. Lib. III. (5) Diſs. III. ſect. 12. (6) Libr. V. c. 55. (7) In Hipparcho. (8) Libr. VI. c. 59.

ὑπὸ Λακεδαιμονίων, ϗ Ἀλκμαιονιδῶν *quum triennium tyrannidem tenuiſſet, quarto anno a Lacedaemoniis, & Alcmaeonidis eiectus eſt*. Itaque Hippias Laconum ope, civiumque armis expulſus in Sigeum Scamandro fluvio proximum ſeceſſit, ſicque Piſiſtratidarum tyrannis, ut Herodotus [1] ait, 36. tandem anno ſublata fuit: Μετὰ δὲ ἐξεχώρησαν ἐς Σίγειον τῷ ἐπὶ τῷ Σκαμάνδρῳ ἄρξαντες μὲν τῶν Ἀθηναίων ἐπ' ἔτεα ἓξ καὶ τριάκοντα *poſtea vero exceſſere in Sigeum ad Scamandrum fluvium ſitum, quum principatum Athenienſium annos ſex & triginta tenuiſſent*. Hippiae vero caſum hoc anno contigiſſe perſpicuo Thucydidis [2] teſtimonio demonſtratur, qui, quum dixiſſet tyrannum Athenis digreſſum prius in Sigeum ſe recepiſſe, tum Lampſacum ad Aeantidem, cui Archedicem filiam nupſerat, tandemque in Perſiam ad Darium regem conceſſiſſe, ſubdit: ὅθεν καὶ ὁρμωμένος ἐς Μαραθῶνα ὕϛερον ἔτει εἰκοϛῷ ἤδη γέρων ὢν μετὰ Μήδων εϛράτευσεν *unde poſtea Marathonem profectus anno viceſimo iam ſenex cum Medis militavit*. Ac certe Ciceroni [3] Hippias ipſe in Marathonia pugna arma contra patriam ferens cecidiſſe dicitur; quamvis Suidas ipſum in Lemno e pugna profugum periiſſe memoret. Hic ipſe fugae annus ex alio Thucydidis [4] loco perſpicue confirmatur, ubi Scriptor ille teſtatur fugam hanc *centum* annis *Quadringentorum* tyrannidem praeceſſiſſe. Itaque, quum Quadringenti anno 1. Olymp. XCII. imperium Athenis occupaverint, Hippiae fuga in exeunte anno 2. huius Olympiadis conſtitui debet, a quo 99. anni ad victas a Lyſandro Athenas, ac Quadringentorum initium, hoc eſt annum $\frac{2}{3}$. Olymp. XCII. fluxere. Sed quid praeſtantiſſimo Marmorei Chronici Auctori faciemus, qui Piſiſtratidas anno 1. Olymp. LXVII. eiectos eſſe memoravit [5]? Ἀφ' οὗ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριϛογείτων ἀπέκτειναν Ἵππαρχον Πεισιϛράτου Ἀθηνῶν τύραννον, ϗ Ἀθηναῖοι συμπαρέϛησαν τοὺς Πεισιϛρατίδας ἐκχωρεῖν τοῦ Πελασγικοῦ τείχους, ἔτη ΗΗΔΔΔΔΠΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κλισθένους *A quo Harmodius & Ariſtogiton interfecerunt Hipparchum Piſiſtrati filium Athenarum tyrannum, & Athenienſes pacti ſunt cum Piſiſtratidis eos Muro Pelaſgico excedere anni CCXLVII. Archonte Athenis Cliſthene*. Integer hic locus, ut

(1) Lib. V. c. 62. 65. (2) Lib. VI. c. 59. (3) Ad Att. Lib. IX. ep. 10. (4) Lib. VIII. c. 68. (5) Epoch. 46. lin. 59.

ut a Palmerio ceteriſque ſuppletus fuit, duas diſtinctaſque hiſtorias una confundit: perinde quaſi unius eiusdemque Archontis anno & Hipparchi caedes, & Hippiae fuga contigerit; quum tamen haec illa *quadriennio* poſterior fuerit, ut ſuperius oſtendi. Itaque ſuſpicor Marmoris Auctorem medium fere tempus indicaſſe; quumque Hipparchi caedes anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVI., Hippiae fuga anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVII. contigerit, utramque hiſtoriam ad annum $\frac{4}{7}$. Olymp. LXVII. revocaſſe. Quod ſi temporum annorumque characteres ad alterutrum ex factis illis retuliſſet, utrobique in re perſpectiſſima deceptus eſſet; quod facile in accuratiſſimo Scriptore concedi non poterit. Quod ſi fortaſſe utrumque uno eodemque anno 1. Olymp. LXVII. contigiſſe ille voluit, ipſius tamen auctoritas tyrannidis hiſtoriam perſpicuis adeo certiſque characteribus confirmatam convellere non poterit.

An. $\frac{3}{4}$. Cliſthenes Athenis Archon CLXXV.

Tarquinius Superbus Rex VII. anno 25.

Cliſthenis Archontis nomen hoc anno Faſtis inſerui Palmerii coniecturam ſequutus, quamvis ab illo, ceteriſque Marmorei Chronici Interpretibus in definiendo Archontis huius ſitu ego diſſideam. Etenim ille, quum in 46 Marmoris Epocha, quam ſuperius exhibui, Piſiſtratidas Athenis eiectos memorari vidiſſet Archontis cuiuſdam anno, cuius nomen in exeſo Marmore prorſus exciderat, in illo *Cliſthenis* nomen reſtituendum eſſe putavit; quum Plutarchus (1), & Herodotus (2) afferant Cliſthenem ipſum eiectis Piſiſtratidis Athenienſem Rempublicam ordinaſſe, legibuſque novis editis confirmaſſe: quod argumento eſſe poterit, ut Palmerius exiſtimavit, Cliſthenem ipſum Eponymi Archontis munere perfunctum eſſe. Itaque, quum ex Marmoris hypotheſi Piſiſtratidarum fuga anno $\frac{4}{7}$ Olymp LVII. contigerit, Lydiatus, & Prideauxius Cliſthenis nomen eo anno Faſtis Atticis inſcripſere. Ego vero, ſi Cliſthenes ille Eponymis Athenienſium Archontibus accenſeri debeat, ipſum

(1) In Pericle. (2) Lib. V. c. 68. 69.

pſum non alteri, quam $\frac{3}{4}$. Olympiadis huius anno conceſſerim [1]. Etenim Piſiſtratidarum fuga ſuperiori anno ante Hecatombaeonem menſem certo contigerat, quo *quartus* Hippiae annus abſolvi debuerat. Itaque, ſi Cliſthenis Archontis annus fugam illam eſt inſequutus, ille ad 4. hunc Olympiadis annum ſpectavit; quum praeſertim iis temporibus Archontes annui Gamelione menſe magiſtratum ſuſciperent, nihilque veriſimilius aſſeri poſſit, quam egregium hunc virum, qui ſublata tyrannide patriam conſilio, viribuſque iuverat, inſequentis anni principio ſupremam illam dignitatem obtinuiſſe. Accedit etiam quod Archon ille, cuius nomen in Marmore obliteratur, eo anno imperaſſe debuit, quo Piſiſtratidae ſaltem uſque ad Metagitnionem menſem tyrannidem occuparunt. Quis vero exiſtimet Hippia rerum potiente, ſaevitiamque ſuam in tyrannidis oſores exercente Cliſthenem electum eſſe, qui genere Alcmaeonida, & Megaclis filius erat, adeoque tyrannidis odium haereditario veluti iure ſpirabat?

Quid vero quod Hippiae temporibus Alcmaeonidae, adeoque Cliſthenes ipſe, patria extorres, Delphos ſe receperant, ibique pecunia fraudibuſque patriae libertatem curabant? Certe Herodotus [2] aſſerit quod Alcmaeonidae *ἔφευγον τὸν πάντα χρόνον τὰς τυράννας per omne tyrannidis tempus in exilio* vixerunt, idque Hippiae etiam temporibus contigiſſe alibi [3] quoque diſerte teſtatur. Itaque, quum Plutarchus [4] aſſerit quod Cliſthenes *ἐξήλασε Πεισιςρατίδας καὶ κατέλυσε τὴν τυραννίδα γενναίως καὶ νόμας ἔθετο Piſiſtratidas eiecit, & tyrannidem diſſolvit ſtrenue, & leges poſuit*, id de poſtremis ſolum menſibus intelligi debet, quibus exercitum una cum Lacedaemoniis Athenas deduxit, ut inde Piſiſtratidas eiiceret; adeoque vix fieri certe potuit ut Cliſthenes Hippia adhuc imperante ſupremam illam Athenis dignitatem occupaverit.

Ceterum Cliſthenes ipſe, quum Iſagoram Tiſandri filium adverſas ſibi in Republica partes foventem ſuperaſſet, ut populi gratiam ſibi conciliaret, Tribuum Athenienſium numerum augere voluit; ut, quum prius *quatuor* forent, *de-*

(1) Vid Dodvel. Diſs. V. ſect. 10. (2) Lib. VI. c. 122. & vid. Thucyd. Libr. I. c. 20. (3) Lib. V. c. 62. (4) In Pericle.

decem exinde haberentur [1]. Tribus illas, earumque nomina ab Heroibus derivata fuſius atque opportunius alibi [2] expoſui. Illud unum hic opportune obſervandum quod Herodotus [3] ita varios etiam Atticae Populos in decem Tribus a Cliſthene diſtributos eſſe ſubindicat, ut ipſarum quaelibet *decem* Populos complecteretur: Τὰς Φυλὰς μετωνόμασε κ̀ ἐποίησε πλεῦνας ἐξ ἐλασσόνων, δέκα τε δὴ Φυλάρχυς ἀντὶ τεσσέρων ἐποίησε. δέκα δὲ καὶ τὺς Δήμυς κατένεμε ἐς τὰς Φυλὰς *Tribubus nomina impoſuit, & ex paucioribus plures effecit; decem quoque Tribuum Principes pro quatuor conſtituit, decemque Populos diviſit in Tribus*. Sed obſcurior ille Herodoti locus non ita intelligi profecto debet, ut Atticae Populi nonniſi *centum* tunc forent, atque in *decem* Tribus ex aequo diſtributi fuerint; ſed quod univerſus Populorum numerus ad *decem* Tribus illas a Cliſthene tunc inſtitutas revocatus fuit. Itaqae vox δέκα non ad Δήμυς, ſed ad Φυλὰς, referri, ipſique coniungi debet.

Harmodio, atque Ariſtogitoni, qui Hipparchum Piſiſtrati filium ſuſtulerant, aereae ſtatuae publice erectae ſunt. Etenim Plinius [4] ait quod *hoc actum eſt eodem anno, quo & Reges Roma pulſi*. Itaque, quum Regifugium anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXVII. contigerit, publica illa ſtatuarum dedicatio eidem anno adſcribi debet.

Denique hic annus in Hiſtoria Romana celeberrimus eſſe debet. Siquidem exeunte fere anno 244. ab Vrbe Roma Condita Per. Iul. 4205. & $\frac{3}{4}$. Olymp. LXVII., VI. Kalendas Martias Tarquinius Superbus VII. poſtremuſque Romanorum rex Vrbe pulſus, ac regia poteſtas extincta fuit; adeoque Conſules Populi ſuffragio inſtituti ſunt, quorum agmen duxere

L. Iunius M. F. Brutus
L. Tarquinius Egerii F. Aruntis N. Collatinus

quumque Collatino in ordinem redacto

P. Valerius Voluſi F. Poplicola

ſucceſſiſſet, Bruto in acie occiſo

Sp.

(1) Herod. Libr. V. c. 66. (2) Tom. I. pag. 116. (3) Lib. V. c. 69. (4) Libr. XXXIV. c. 4.

Sp. Lucretius Tricipitinus, & mox
M. Horatius Pulvillus

ſuffectus fuit.

Ceterum in Prolegomenis eſt obſervatum in Catonis hypotheſi a *Palilibus*, Vrbiſque conditu, quem ille in exeunte anno 4. Olymp. VI. collocavit, ad primos Conſules annos integros 243. interceſſiſſe; at in Varronis hypotheſi, qui Palilia prima, Vrbiſque originem in anno ſuperiori 3. exeunte Olymp. VI. conſtituit, a Palilibus ad Conſules anni 244. interceſſere; ut proinde in optima Varronis hypotheſi, quam amplector, primi Conſules cum anno Vrb. Cond. 245. concurrant.

OLYMPIAS LXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4206. Vrb. Cond. 246.
Iſagoras Tiſandri filius Athenis Archon CLXXVI.

P. Valerius Voluſi F. Poplicola II.
T. Lucretius T. F. Tricipitinus Coſſ.

Iſchomachus Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, Pauſania, & Dionyſio mox proferendo.

Lycus Corinthius Phidolae filius in Olympiis ipſis *celete* victor fuit, ut Pauſanias (1) teſtatur, qui alteram quoque victoriam *celete* partam ipſi adſcribit. Victoria ipſa in Anthologia (2) memoratur.

Iſagorae vero Archontis nomen, ac ſitus partim Oxonienſis Marmoris teſtimonio, partim Dionyſii auctoritate confirmatur. Etenim in Marmore legitur (3) Ἀφ' οὗ χόροι πρῶτον ἠγωνίσαντο ἄνδρων, ὃν διδάξας Ὑποδικὸς Χαλκιδεὺς ἐνίκησεν, ἔτη ΗΗΔΔΔΔΙΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἰσαγόρου *A quo Chori primum certarunt virorum, cuiuſmodi primum docuit Hypodicus Chalcidenſis, & vicit, anni CCXLIV., Archonte Athenis Iſagora*. Dionyſius vero de Conſulum initio loquens ait (4): Ἀνάγκη τοὺς πρώτους ἀποδειχθέντας Ὑπάτους ὁμολογεῖν Ἀρ-

(1) Eliac. II. c. 13. (2) Libr. IV. c. 2. (3) Epoch. 47. lin. 61. (4) Libr. I. num. 74.

χοντος Ἀθήνησιν Ἰσαγόρου παρειληφέναι τὴν ἀρχὴν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης καὶ ἑξηκοστῆς Ὀλυμπιάδος *neceſſe eſt fateri eos, qui primi Romae Conſules deſignati, & creati fuerunt, magiſtratum iniiſſe Archonte Athenis Iſagora anno primo ſexageſimae octavae Olympiadis;* alibique de regio Romae dominatu, eiuſque duratione differens ait: ἡ βασιλικὴ Ῥωμαίων πολιτεία διαμείνασα μετὰ τὸν οἰκισμὸν τῆς Ῥώμης ἐτῶν τεττάρων καὶ τετταράκοντα καὶ διακοσίων ἀριθμὸν κατελύθη Ὀλυμπιάδος μὲν ὀγδόης καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἰσχόμαχος Κροτωνιάτης, Ἀθήνησι δὲ τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος Ἰσαγόρου *regium apud Romanos imperium, quum annos ab Vrbe condita ducentos quadraginta quatuor perduraſſet, eſt everſum initio LXVIII. Olympiadis, qua in ſtadio vicit Iſchomachus Crotonienſis, gerente Athenis annuum principatum Iſagora.* Itaque, licet in Marmore *Lyſagoras* appelletur, facile tamen *Iſagorae* nomen, quod in omnibus Dionyſii Codicibus obſervatur, retineri debet; quemadmodum in mutilo annorum numero non 245. cum Palmerio, ſed 244. cum Prideauxio reſtitui debet, ut Marmor ipſum conſueta methodo cum Dionyſio conſpiret.

Quid vero ſi illud idem *Iſagorae* Archontis nomen ab Herodoto quoque memoratum hic dicam, eumque *Tiſandri* filium appellem? Certe Herodotus (1) ita Piſiſtratidarum tyrannidem ab Athenienſibus everſam eſſe teſtatur, ut ii gravioribus fere turbis, civiumque diſſenſionibus agitati mox fuerint; quum Cliſthenes, & Iſagoras Tiſandri filius Athenienſium primores inter ſeſe de principatu contenderent. Hinc ille memorat initio Cliſthenem, quum ſuperior foret, Iſagoram, pluresque civium familias, quae cum ipſo fecerant, eieciſſe, Athenis imperium occupaſſe, populique gratiam aucto Tribuum numero ſibi conciliaſſe. Mox ſubdit Iſagoram ad Cleomenem Spartae regem confugiſſe, eiuſque copiis inſtructum Athenas rediiſſe, indeque Cliſthenem ceteroſque ipſius fautores expuliſſe; quamvis deinde mutata rerum facie Lacedaemonii Athenis expulſi fuerint, adeoque Cliſthenes cum exulibus Athenienſium civibus in patriam remeaverit. Itaque, ſicuti Cliſthenes, ubi primas Athenis obtinuit, ſupremam Archontis Eponymi dignitatem ſuſce-

(1) Libr. V. c. 72.

ſuſcepit; ita facile Iſagoras etiam, eiecto Cliſthene, dignitatem illam obtinuit; ut proinde facile unus idemque civis, qui in Oxonienſi Marmore *Lyſagoras*, & a Dionyſio *Iſagoras* vocatur, cum Iſagora Tiſandri filio confundi debeat, qui ab Herodoto memoratur.

Ad haec ipſa tempora referri debet Legatio, quam Athenienſes a Lacedaemoniis metuentes ad Darium Perſarum regem Sardes miſere, ut cum illo foedera ac ſocietatem inirent; ſimulque bellum, quo Eleuſine dimicantes Cleomenem ab Atticae finibus expulerunt, moxque Euboeam imperio ſuo ſubegerunt, Boeotoſque ſibi infeſtos ſuperarunt; quae certe ſingula hoc ordine, temporumque ſerie ab Herodoto [1] memorantur.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . Athenis Archon CLXXVII.

P. Valerius Voluſi F. Poplicola III. | Coſſ.
M. Horatius Pulvillus II. ex Dionyſ.
vel *P. Lucretius* ex Liv.

An. $\frac{2}{3}$. . . . . Athenis Archon CLXXVIII.

Sp. Larcius Flavus | Coſſ.
T. Herminius Aquilinus
omittuntur a Livio.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . Athenis Archon CLXXIX.

M. Valerius Voluſi F. Publii frater | Coſſ.
P. Poſthumius Q. F. Tubertus

OLYMPIAS LXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4210. Vrb. Cond. 250.
Aceſtorides Athenis Archon CLXXX.

P. Valerius Voluſi F. Ploplicola IV. | Coſſ.
T. Lucretius T. F Tricipitinus II.

(1) Libr. V. c. 73. 74. &c.

Iſchomachus Crotoniata *ſtadio* iterum vicit Olympia ex Africano, & Dionyſio [1].

Lycus Corinthius Phidolae filius iterum *celete* vicit Olympia; niſi fortaſſe victoria ipſa alteri Phidolae filio, ac Lyci fratri concedi debeat. Vid. Pauſanias Eliac. II. cap. 13

Theſſalus Corinthius a Pindaro [2] *curſu* viciſſe dicitur; idque hac Olympiade contigiſſe ſcribit Scholiaſta: τρεῖς νίκας αὐτοῖς συμβέβηκε γινέσθαι τῷ μὲν παιδὶ δύο κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν, πεντάθλῳ καὶ ςαδίῳ ἀγωνισαμένῳ τῷ δὲ πατρὶ Θεσσάλῳ τοὔνομα, πρῶτον ἐν τῇ ἑξηκοςῇ ἐννάτῃ Ὀλυμπιάδι *Contigit ipſos tribus victoriis potiri, filium quidem duabus eadem die, pentathlo, & ſtadio certantem; patrem autem, cui Theſſalo nomen, primum ſexageſima nona Olympiade.* Itaque, quum hac Olympiade Iſchomachus *ſtadio* vicerit, Theſſalus aut *diaulo*, aut *dolicho* victoriam reportavit; ac certe fallitur Scaliger, itemque Meurſius, qui *ſtadii*, ac *pentathli* victorias ipſi Theſſalo adſcribunt; quum Pindari Scholiaſtes utramque Theſſali filio concedat. Non facile vero ego dixerim an ipſe quoque Theſſali filius hac Olympiade inter pueros *pentathlo*, & *ſtadio* victor fuerit. Certe Pindarus inſignem hanc laudem minime diſſimulaſſet, ſi *triplex* illa victoria una eademque Olympiade contigiſſet.

Archontis vero nomen perſpicue a Dionyſio laudatur [3]: Ὀλυμπιὰς μὲν ἦν ἐννάτη καὶ ἑξηκοςὴ, ἣν ἐνίκα ςάδιον Ἰσχόμαχος Κροτωνιάτης, Ἀθήνησι δὲ τὸ δευτερον Ἄρχων Ἀκεςορίδης, ὕπατοι δὲ Ῥωμαίων Μάρκος Οὐαλέριος, καὶ Πόβλιος Ποςύμιος *Olympias erat ſexageſima nona, qua vicit in ſtadio Iſchomachus Crotoniates, Athenis vero iterum Archon erat Aceſtorides: At Romae Conſules creati M. Valerius, & P. Poſtumius;* ubi Meurſius optime voces τὸ δεύτερον non ad Archontem, ſed Olympionicam referendas eſſe iam monuit [4].

Heraclitus Epheſius hac Oly. floruiſſe dicitur. Laërtius [5]: Ἤκμαζε μὲν κατὰ τὴν ἐννάτην καὶ ἑξηκοςὴν Ὀλυμπιάδα *floruit circa LXIX. Olympiadem*: idemque prorſus Suidas teſtatur. Hinc Hieronymus Democritum, Heraclitum, & Anaxagoram anno 1. Olymp. LXX. celebres extitiſſe memo-

(1) Lib. V. n. 37. (2) Ad Olymp. XIII. (3) Libr. V. n. 37. (4) Lect. Attic. Lib. IV. c. 26. (5) Lib. IX. ſeg. 1.

moravit. Sed in Anaxagora certe ille fallitur, quum is anno ipſo in lucem prodierit.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . Athenis Archon CLXXXI.

P. Poſthumius Q. F. Tubertus II. Coſſ.
Agrippa Menenius C. F. Lanatus

An. $\frac{2}{3}$. . . . . Athenis Archon CLXXXII.

Opiter Virginius Tricoſtus Coſſ.
Sp. Caſſius Viſcellinus

An. $\frac{3}{4}$. . . . . Athenis Archon CLXXXIII.

T. Larcius Flavus Coſſ.
Poſthumus Cominius Auruncus

Ariſtagoras Mileſius, quum a Dario Perſarum rege defeciſſet, novaſque ſibi ſedes ac perfugium inquireret, in Thraciam contendit, ibique ab Edonis ſuperatus, ac occiſus fuit, ut Herodotus (1), atque Thucydides (2) memorarunt. Defectionis, mortiſque tempus a Phaedonis Archontis anno ſive Colonia ab Athenienſibus Amphipolim deducta dependet, quum Thucydides aſſerat Ariſtagorae mortem 32. annis coloniae deductae tempus praeceſſiſſe. Itaque, quum Dodvellus Phaedonem illum anno $\frac{3}{4}$. Oly. LXXVIII. imperaſſe dixerit, Ariſtagorae mortem in anno $\frac{2}{3}$. Olym. LXX. collocavit. Quandoquidem tamen Phaedonis imperium, adeoque colonia Amphipolim ducta ab anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. dimoveri non poteſt, ut opportunius ibi demonſtrabitur, Ariſtagorae mors ad hunc annum referri debet.

OLYM-

(1) Lib. V. c. 126. (2) Lib. IV. c. 102.

OLYMPIAS LXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4214. Vrb. Cond. 254.
Myrus Athenis Archon CLXXXIV.

Manius Tullius Longus
Ser. Sulpicius P. F. Camerinus Coſſ.

Nicias Opuntius Locrus *ſtadio* vicit Olympia ex Dionyſio mox citando, a quo tamen Nicaeas appellatur.

Therſias vero Theſſalus *apene* tunc inſtituta palmam obtinuit. Pauſanias (1): Τῆς δὲ ἀπήνης τὸν δρόμον Ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ .... πρῶτον Θερσίου ἀπήνη Θεσσαλοῦ ἐνίκησε *quumque Apenen ſeptuageſima Olympiade ſolenniter inſtituiſſent ...... Therſiae primum Theſſali Apene vicit*. Quid vero Apene ipſa fuerit, quove anno inſtituta Pindari Scholiaſtes (2) exponit: Ἀπήνη ἐστιν ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν. εἰθισμένον δὲ ἵπποις ἀγωνίζεσθαι, Ἀσάνδραστος ἐπιτήδευσε καὶ ἡμιόνοις ἀγωνίζεσθαι *Apene eſt currus, cui iuncti muli; quum enim equis certare ſolerent, Aſandraſtus auctor fuit, ut mulis quoque certaretur.*

Myri autem Archontis nomen ac ſitus a Dionyſio (3) demonſtratur, qui Poſthumii & Larcii tempus exponens ait: Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Νικαίας ὁ Λοκρὸς ἐξ Ὀποῦντος Ἄρχοντος Ἀθήνησι Μύρου παραλαμβάνουσι τὴν ὕπατον ἀρχὴν *ſeptuageſima Olympiade, qua vicit in ſtadio Nicaeas Locrenſis Opuntius, Archonte Athenis Myro, conſules creati ſunt.* &c.

Hac Olympiade Zenonem Eleatem floruiſſe (4), & Anaxagoram Clazomene in lucem editum eſſe dicit Laërtius (5), idque cum illo mire conſentit, quod a Laërtio ipſo dicitur, Anaxagoram in Xerſis tranſitu, hoc eſt anno 1. Olymp. LXXV. *viceſimum* aetatis annum egiſſe.

Aeſchylus 25. annos natus Athenis cum Pratina, & Choerilo tragoedia certavit, ut Suidas (6) teſtatur; ut optime proinde dixerit Gellius (7) Aeſchylum ipſum Marathoniae pugnae tempore floruiſſe, quemadmodum in Oxonienſi Chro-

(1) Eliac. I. c. 9. (2) Olymp. V. (3) Lib. V. n. 50. (4) Lib. IX. ſegm. 29. (5) Lib. II. ſegm. 7. (6) In Πρατίνας. (7) Lib. XVII. c. 21.

Chronico dicitur ipſum anno 35. natum in Marathonio bello dimicaſſe.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . Athenis Archon CLXXXV.

T. Aebutius Elva
P. Veturius Geminus Coſſ.

Hac Olympiade, ac fortaſſe 2. ipſius anno Epimenidis mortem contigiſſe putaverim. Quamvis enim Dodvellus (1) ipſum Athenas Olymp. XLVI. conceſſiſſe dixerit, eiuſque mortem occupata iam a Piſiſtrato tyrannide anno 4. Olymp. LIV. contigiſſe, quod Epimenides (2) in *Epiſtola ad Solonem* de tyrannidis ab illo arreptae initio loquatur, perſpicue tamen ex celebri Platonis loco, quem in Olymp. XLVI. iam protuli, inferri debet Epimenidis adventum Athenas in annum 1. huius Olympiadis incidiſſe; quumque Laërtio teſte brevi poſt reditum in patriam e vivis exceſſerit, ipſius mors ultra Olympiadem LXX. differri non poterit. Itaque fruſtra ſe torſerat, pluribuſque diſputavit Dodvellus quî Pythagoras anno 3. Olymp. LII. in lucem editus Epimenidem audire potuerit, qui exeunte Olymp. LIV. interiit. Etenim, ſi Epimenidis mors ad Olympiadem hanc differatur, optime intelligi, exponique poterit Sapientes illos coaevos fuiſſe, atque Pythagoram ante annum 2. Olymp. LXVII. qua ex Dodvelli calculo in Italiam conceſſit, cum Epimenide verſatum eſſe.

An. $\frac{2}{3}$. . . . . Athenis Archon CLXXXVI.

T. Larcius Flavus II.
Q. Cloelius Siculus Coſſ.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CLXXXVII.

A. Sempronius Atratinus
M. Minucius Augurinus Coſſ.

Hip-

(1) Differt. III. ſect. 11. (2) Apud Laert. Lib. I. ſeg. 113.

Hippocleas Theſſalus Phriciae filius Pythia *diaulo puerorum* vicit. Etenim Scholiaſtes Pindari, qui illum Pythiaca X celebravit, aſſerit illum Pythiade XXII. palmam retuliſſe, quae certe Pythias hac Olympiade peracta fuit. Pindarus autem, qui Pythiaca X. victorem hunc laudavit, hoc primum ingenii ſui ſpecimen edidiſſe videtur, quum Pythiadis huius tempore 20. aetatis annum impleſſet.

Hoc anno Dodvellus (1) Ariſtagoram Mileſium, qui a Dario Perſarum rege defecerat, in Thraciam confugiſſe, ibique ab Edonis occiſum fuiſſe contendit. Etenim Thucydides (2), ubi de Amphipoli Athenienſium colonia loquitur, haec ait: *τὸ δὲ χωρίον τοῦτο ἐφ᾽ οὗ νῦν ἡ πόλις ἐστιν, ἐπείρασε μὲν πρότερον καὶ Ἀρισταγόρας ὁ Μιλήσιος, φεύγων βασιλέα Δαρεῖον, κατοικίσαι, ἀλλὰ ὑπὸ Ἠδώνων ἐξεκρούσθη. ἔπειτα δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἔτεσι δύο καὶ τριάκοντα ὕστερον, οἱ διεφθάρησαν ἐν Δραβήσκῳ ὑπὸ Θρᾳκῶν. καὶ αὖθις ἑνὸς δέοντος τριακοστῷ ἔτει ἐλθόντες οἱ Ἀθηναῖοι, Ἅγνωνος τοῦ Νικίου οἰκιστοῦ ἐκπεμφθέντος Ἠδῶνας ἐξελάσαντες, ἔκτισαν τὸ χωρίον τοῦτο ὅπερ πρότερον ἐννέα ὁδοὶ ἐκαλεῖτο* *hunc autem locum, in quo nunc urbs eſt ſita, primum quidem & Ariſtagoras Mileſius, quum Regem Darium fugeret, colonia huc deducta, condere tentavit: ſed ab Edonis expulſus fuit. Deinde vero & Athenienſes duobus & triginta poſt annis, huc miſſis decem millibus incolarum, tum ſuorum, tum aliorum quotquot ire voluerant, qui apud Drabeſcum a Thracibus interfecti fuerunt, eumdem locum condere ſunt conati. Rurſus etiam iidem Athenienſes undetriceſimo anno huc reverſi Agnone Niciae filio coloniae duce emiſſo, expulſis Edonis hanc urbem condiderunt, quae prius Novem viae vocabatur.* Itaque, quum colonia ab Agnone deducta fuerit Euthymenis Archontis anno, hoc eſt 4. Olymp. LXXXV., ut Diodorus (3), & ineditus etiam Aeſchinis Scholiaſtes teſtatur, qui ad Olymp. LXXVII an. $\frac{3}{4}$. proferetur, alterius coloniae deductae tempus in annum $\frac{3}{4}$. Olymp LXXVII. incidiſſe debuit; adeoque Ariſtagorae conſilium, atque iter in Thraciam, quod ante 32. annos contigerat, ad annum $\frac{3}{4}$. Oly LXX. referri debebit. Atque optime id quidem, ſi colonia ab Athenienſibus deducta uno eodemque anno deleta etiam fuerit. Quod ſi, ut veriſimilius exiſtimo, haec anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII.

(1) Annal. Thucyd. pag. 76. (2) Lib. IV. c. 102. (3) Lib. XII. c. 32.

LXXVIII. deleta, ſed anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. deducta fuerat, Ariſtagorae fuga, & interitus ad ſuperioris Olymp. LXIX. annum $\frac{3}{4}$, referendus eſſet. Qua tamen ratione haec rite conſtitui, & obſcurior ille Thucydidis locus exponi debeat, in Olymp. LXXVII. anno 3. oſtendetur.

OLYMPIAS LXXI.

An. $\frac{1}{4}$. Per. Iul. 4218. Vrb. Cond 258.
Hipparchus Athenis Archon CLXXXVIII.

A. Poſthumius P. F. Albus
T. Virginius Tricoſtus Coelimontanus Coſſ.

Tiſicrates Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Dionyſio, qui mox proferetur.

Pythagoras *celete*, vel equo ſingulari victoriam retuliſſe dicitur ab Anonymo, & Meurſio [1]. Sed certe uterque fallitur, quum victoria illa tunc ab Empedocle parta fuerit.

Pataecus Dymenſis *calpe* tunc recepta vicit, ut Pauſanias [2] teſtatur. Παταίκȣ δὲ Α᾽χαιȣ̃ τῶν ἐκ Δύμης ἐνίκησε ἡ κάλπη *calpe vicit Achaeus Pataecus ex Dyma*. Empedocles Agrigentinus *celete*, eiuſque filius Exaenetus *lucta* viciſſe legitur apud Laërtium [3]: Σάτυρός φησιν ὅτι Ε᾽μπεδοκλῆς ὑιὸς μὲν ἦν Ε᾽ξαινέτȣ, κατέλιπε δὲ καὶ ἀυτὸς ὑιὸν Ε᾽ξαίνετον. Ε᾽πί τε τῆς ἀυτῆς Ο᾽λυμπιάδος τὸν μὲν Ε᾽μπεδοκλῆ ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι, τὸν δὲ ὑιὸν ἀυτȣ̃ Ε᾽ξαίνετον πάλῃ, ἢ ὡς Η῾ρακλείδης, δρόμῳ *Satyrus ait Empedoclem eſſe filium Exaeneti. Reliquiſſe autem & illum filium Exaenetum, eademque Olympiade ipſum quidem equeſtri certamine viciſſe, filium vero illius lucta, ſive (ut ait Heraclides in Epitome) curſu*. At Eratoſthenes, ut Laërtius ipse obſervavit [4], ἐν τοῖς Ο᾽λυμπιονίκαις τὴν πρώτην καὶ ἑβδομηκοςὴν Ο᾽λυμπιάδα νενικηκέναι τὸν τȣ̃ Μέτωνος πατέρα μάρτυρι χρώμενος Α᾽ριςοτέλει *ſeptuageſima prima Olympiade viciſſe Metonis patrem, Ariſtotelis utens teſtimonio*. Itaque praeclare falluntur ii, qui victoriam hanc Empedocli Phyſico adſcripſere; quum ille non *Exaeneti*, ſed *Metonis*, filius, & *Empedoclis* alterius nepos eſſet [5], ut Hippobotus,

(1) De Arch. Ath. Libr. II. c. 3. (2) Eliac. 1. c. 9. (3) Libr. VIII. ſegm. 53. (4) Seg. 52. (5) Laertius ibi ſeg. 51.

Timaeus, Apollodorus teſtantur; qui proinde obſervavit quod ὁ πρώτην καὶ ἑβδομηκοστὴν Ὀλυμπιάδα νενικηκὼς κέλητι τούτου πάντως ἦν ὁμώνυμος *qui ſeptuageſima prima Olympiade vicit equo, eodem cenſebatur nomine*. Ac certe quidem Empedocles Phyſicus ad LXXXIV. Olympiadem pervenit, ut a Laërtio (1) erudimur, ac 60. aetatis anno e vivis exceſſit. Ergo Olymp. LXXI. anno 1. vix *octavum* aetatis annum agebat, ut proinde nec ipſe, nec eius filius in Olympia certare potuerit. Hinc ego ſuſpicor Empedoclem illum, qui *celete* vicerat, Exaeneti filium, & Philoſophi avum fuiſſe, qui praeter Metonem Empedoclis phyſici patrem, filium alium *Exaeneti* nomine vocatum habuerit, cum quo Olymp. LXXI. Olympia vicerit. Certe Empedoclis noſtri avus hoc ipſo *Empedoclis* nomine vocabatur, ut Scriptores omnes affirmant; ipſumque equos nutriviſſe dicit Heraclides. Quandoquidem vero Ἐμπεδοκλῆς Ἀκραγαντῖνος ἵπποις Ὀλύμπια νικήσας Πυθαγορικός *Empedocles Agrigentinus, qui equis Olympia vicit, Pythagoricus* fuiſſe dicitur ab Athenaeo (2), Porphyrio (3), & Philoſtrato (4), adeoque victoria parta bovem ex aromatibus confectum diſtribuiſſe; perſpicue apparet quod avus etiam Pythagoricae diſciplinae ſtudio addictus erat; quum iampridem Pythagoras in Italia verſaretur. Vnde facile Timaeo erroris occaſio oblata fuit, qui apud Laërtium (5) Empedoclem phyſicum Pythagoram audiviſſe teſtatur, quod Pythagorae aetati accurataeque temporum rationi repugnat.

Hipparchi vero Archontis nomen ac ſitus perſpicuo Dionyſii loco definitur: Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ πρώτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Τισικράτης Κροτωνιάτης Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἱππάρχου *ſeptuageſima prima Olympiade, qua vicit ſtadio Tiſicrates Crotoniata, Archonte Athenis Hipparcho*.

Democritum hoc anno natum putaverim. Thraſyllus quidem apud Laërtium (6) aſſerit ipſum anno 3. Oly. LXXVII. uno ante Socratem anno in lucem prodiiſſe, quod Apollodorus Oly. LXXX. contigiſſe ſcribit: γεγόνοι δὲ ἂν ὡς μὲν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα *Natus igitur fuerit, ut ait Apollodorus in Chronicis, Olympiade octo-*

(1) Seg. 73. (2) Lib. I. c. 3. (3) De Abſtinent. (4) Vita Apollon. Lib. I. c. 1.
(5) Lib. VIII. ſeg. 54. (6) Lib. IX. ſeg. 41.

octogeſima. Itaque Laërtius in hac hypotheſi mox dixit Democritum Anaxagora 40. annis iuniorem fuiſſe, quem anno 1. Olymp. LXX. natum eſſe iam vidimus. Vtraque tamen opinio facile refelli poterit. Siquidem Valerius Maximus [1], & Laërtius [2] laudato Herodoti [3] teſtimonio perſpicue docet quod, ubi Xerſes poſt cladem Salamine acceptam ſe in Aſiam recepit, Abderae ſubſtitit; ibique pavore, quo perculſus ex Graecia repente aufugerat, depoſito a Democriti patre perhonorifice exceptus Abdera diſcedens Magos ibi reliquit, a quibus Democritus adhuc puer in Phyſicis, Aſtrologicis, ac Theologicis erudiretur. Ergo anno 1. Oly. LXXV. Democritus iam natus erat, eaque aetate, quae variis eiuſmodi diſciplinis par eſſe poſſet. Id vero mire conſpirat ſi Democritus ineunte Olymp LXXI. natus dicatur, adeoque in Xerſis tranſitu 16. aetatis annum attigerit. Ita Democritus ipſe *parvum Diacoſmum* anno poſt Troiae excidium 730 edidiſſe dicitur; hoc eſt, ſubducto ex Eratoſthenis opinione calculo, anno 1. Olymp LXXXIV. quod aegre intelligi profecto poſſet, ſi Olymp. ſolum LXXX. natus dicatur. Ita Protagoras ex Philochoro ante Euripidem, hoc eſt annum 2. Olymp. XCIII. e vivis exceſſit, quum is Platone teſte [4] 70. aetatis annos egiſſet, anniſque 40. Sophiſticam artem exercuiſſet, ut proinde Laërtius illum Olymp. LXXXIV. floruiſſe dixerit. Protagoras autem ille Laërtio [5] teſte Democriti auditor fuit, ideoque Democriti nativitas ad Olymp LXXX. revocari certe non poterit; ne Protagora longe iunior dicatur, qui poſt Olymp. LXXV. oriri non potuit. Denique Diodorus [6] aſſerit Democritum ipſum 90 annos natum anno 1. Olymp XCIV. obiiſſe, adeoque ipſius ortum ad ineuntem Olymp LXXI revocavit. Sed quid Laërtio reponemus, qui Democritum τεσσαράκοντα annis Anaxagora iuniorem fuiſſe ſemel iterumque teſtatur? Non aliud profecto, niſi quod ille Apollodori calculum hac in parte ſequutus Democriti nativitatem ad Olympiadem LXXX. revocavit. Quod ſi Laërtius opinionem illam ex monimentis illis accepiſſet, facile in ipſius textu pro τεσσαράκοντα ego τέσσαρσι reſcriberem, adeoque Laërtius ipſe

(1) Lib. VIII. c. 7. (2) Seg. 34. (3) Lib. VIII. c. 120. (4) In Menone. (5) Lib. IX. ſeg. 65. (6) Lib. XIV. c. 11.

pſe ſecum, cum Herodoto, Diodoro, aliiſque Scriptoribus conveniret. Quod enim ad Euſebium attinet, qui Hellanicum, Heraclitum, Democritum, Anaxagoram anno 1. Olymp. LXX. celebres fuiſſe dicit, perſpicue apparet ipſum ingenti errore deceptum eſſe.

An. 1/2. Philippus Athenis Archon CLXXXIX.

Appius Claudius Regillenſis Sabinus
P. Servilius P. F. Priſcus Coſſ.

Archon ille ſolo Scholiaſtae loco demonſtratur, qui in Sophoclis Vita dicit: *γεννηθῆναι ἀυτόν φασιν ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ Ὀλυμπιάδι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος Ἄρχοντος Φιλίππου septuageſima prima Olympiade eum natum fuiſse tradunt ſecundo anno, Archonte Philippo.* Itaque ex Scholiaſtae hypotheſi huic Olympiadis huius anno & Philippus Archon, & Sophoclis nativitas adſcribi debet; & quamvis etiam in definiendo natali Sophoclis anno Scholiaſtes ille errare potuerit, in vero tamen Archontis nomine & ſitu ex Faſtis exſcribendo falli non poterat. Hinc Lydiati [1] coniectura admitti non poteſt, qui, quum in Suida legiſſet Sophoclem *κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν τρίτην Ὀλυμπιάδα circa LXXIII. Olympiadem* natum eſſe, annoque 3. Olymp. LXXIII. *Phaenippum* Archontem offendiſſet, in Sophoclis Vita pro *Φιλίππου*, *Φαινίππου*, & pro *ἑβδομηκοστῇ πρώτῃ*, *ἑβδομηκοστῇ τρίτῃ* reſcribendum eſſe putavit. Vt enim praetereams Suidae teſtimonium ambiguum eſſe, Phaenippus ille non anno 3. Olymp. LXXIII ſed LXXII. imperaſset; adeoque, ſi Sophocles Olympiadis LXXII. anno 3. natus foret, 24. annis Euripide ſenior eſſe non poterat, quod Scriptor ille teſtatur.

Quum Miletum hoc anno a Perſis exciſum, ceteraeque Ioniae urbes vexatae forent, Samii, ac Mileſii a Siculis invitati, atque ab Anaxila Rhegii tyranno adiuti *Zanclen* Siciliae urbem occuparunt. Hiſtoriam hanc ab Herodoto [2] memoratam hoc anno antiquiorem eſse non poſse perſpicue exinde colligitur, quod Anaxilas ille, Diodoro [3] teſte, anno 1. Olymp. LXXVI. poſtquam 18. annos imperave-

(1) Ad Marm. Oxon. pag. 63. (2) Libr. VI. (3) Libr. XI. c. 48.

raverat, e vivis exceſſit. Id vero ante annum 1. Olympiadis LXXII. contigiſse Hippocratis Gelae tyranni aetas oſtendit, quem eo tempore adhuc ſuperſtitem fuiſſe Herodotus teſtatur, & coloniam illam longe ante Marathoniam pugnam collocavit. Itaque facile hoc Anaxilae conſilium, Ionum migratio, Mileti clades 2. huius Olympiadis anno adſcribi debebit; quamvis illa a Petavio in anno 3. ſuperioris Olympiadis referatur, quo nondum Anaxilae tyrannis inceperat. Hiſtoriam ipſam Thucydides (1) memoravit, aſſeritque a Ionibus iſtis colonos illos expulſos fuiſſe, qui illuc Periere Chalcidenſi, & Crataemene Cumaeo ducibus migraverant; additque quod Iones ipſi *ὐ πόλλῳ ὕϛερον haud multo poſt* Anaxilae Rheginorum tyranni viribus eiecti ſunt, ipſiſque Meſſenii ſuffecti, qui *Zanclen* urbem patriae urbis nomine *Meſſenem* vocarunt. Pauſanias tamen colonos illos, qui Periere Chalcidenſi, & Crataemene Samio ducibus in Siciliam appulerant, a Meſſeniis Anaxilae Rheginorum tyranni auſpicio expulſos, urbemque illam Meſſenes nomine nuncupatam eſſe teſtatur Olymp. XXIX. qua Chionis Lacon *iterum ſtadio* vicit, ac Miltiades Athenis Archon erat. Quis eiuſmodi turbas ac ingens adeo temporum diſſidium componat? Certe Thucydides ab Herodoto, Pauſanias ab utroque diſſentit; diſſidiumque ipſum facilius componi non poſſet, quam ſi Miltiadis Archontis nomen in anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXIII. Faſtis inſcriberetur, ut ad annum illum, ſed liberiori ſolum coniecturae genere, obſervabitur. Quod ſi nullus in Pauſania tum in Olympiadis numero, tum in Archontis nomine exprimendo error irrepſit, ſed Pauſanias ipſe rite tempus expreſſit, neceſſario dicendum erit duplicem *Anaxilam* admittendum eſſe, quorum unus Olymp. XXIX. vixerit, alter Olymp. LXXVI. e vivis exceſſerit, atque ipſorum uterque Meſſenios Zanclen tranſtulerit.

An. $\frac{2}{3}$. Pythocritus Athenis Archon CXC.

A. Virgilius A. F. Tricoſtus Coelimontanus
T. Veturius Geminus Cicurinus Coſſ.

Oxo-

(1) Lib. VI. c. 4. & 5.

Oxonienſi Chronico huius etiam Archontis nomen debemus, in quo lacerae quidem vocum laciniae, ſed perſpicuae tamen temporis notae ſuperſunt (1): Α'φ' ὗ νε .... Ιππια ..... εν Α'θήνησι ἔτη ΗΗΔΔΔΙ. Α'ρχοντος Αθήνησι Πυθοκρίτȣ *a quo ne ...... Hippias .... Athenis, anni 231. Archonte Athenis Pythocrito.*

Quid in brevi mutilaque hac periodo exaratum fuerit, adeoque quid in lacunis ipſis inſeri, ſuppleriqne debeat, divinare vix poſſumus. Interpretes omnes una veluti voce conſpirant, ut ibi quidpiam de Hippia Piſiſtrati filio memoratum eſse arbitrentur, quod propter veterum Hiſtoricorum ſilentium ignorare nunc cogimur. Ac certe quidem Hippias tunc temporis apud Perſarum regem verſabatur; regiſque Legatis, qui Athenas advenerant, ut cum Athenienſibus de Hippiae reditu agerent, Athenienſes ipſi libere, conſtanterque dixerunt ſe bellum potius cum rege, quam Hippiae reditum pati paratos eſſe. Quandoquidem vero in mutilis Marmoris vocibus quidpiam *Athenis* geſtum innuitur, quid ſi fortaſſe quis dixerit ibi coniugis ab Hippia relictae mortem memorari, eius nimirum, quae Charmi filia fuerat, cuiuſque nomen hactenus ignoratur? Ita nimirum characteres N E.. ignotum hactenus coniugis nomen indicarent, ſuppleriqne facile poſſet ... τȣ̃ Ι'ππία γύνη ἐτελεύτησεν Α'θήνησιν ... *Hippiae coniux obiit Athenis.* Quamvis enim Hippias, eiuſque liberi Athenis expulſi fuerint, id de coniuge tamen a nullo Scriptore memoratur, ut illa proinde facile Athenis relinqui, ibique 16. poſt mariti exilium anno interiiſſe potuerit. Quod ſi mors illa obſcurior videatur, quam ut ipſius memoria in Marmore conſervari debuerit, fortaſſe ΑΘΗΝΑΣ ΙΠΠΙΑΣ *Minervae Hippiae* nomen ſuppleri ibi poterit; quod nempe Pythocriti Archontis anno Minervae Hippiae vel ſtatua, vel ara, vel templum Athenis dicatum fuerit. Certe Pauſanias aſſerit *Hippiae* Minervae aram in Academia fuiſſe (2); quemadmodum Minervam *Hippiam* apud Acharnenſes (3) in Attica, in Elide (4), in Arcadia (5) cultam eſſe teſtatur. Eiuſmodi vero *Hippiae* Minervae cultum antiquis etiam temporibus in Attica

(1) Epoch. 48. Lin. 61. (2) Attic. c. 30. (3) Ibi c. 31. (4) Eliac. I. c. 15. (5) Arcad. c. 47.

ca fuiſſe exinde apparet quod Iſaeus, Harpocratione [1] teſte, *Hippiae Athenae* meminerit. Sed ambiguis coniecturis immorari non libet, adeoque Marmorei Chronici lacunam tum reſtituere fortaſſe cui liceat, cum uberior lux aliqua ex Monimentis aliis affulgeat.

Antequam vero ad Eponymos Athenienſium Archontes mox inſequutos accedam, hic opportune monuiſſe iuverit, quod Cl. Meurſius in contexenda Archontum illorum ſerie, qui anno tertio, & quarto Olympiadis LXXI. & 4. annis Olymp. LXXII. imperarunt, mirifice perplexus eſt, ſibique non conſtat. Siquidem in Cap. III. titulo diſerte dicit quod anno 3. Olymp. LXXI. *Philippo* ſuccedit *Ariſtides*, *illi Themiſtocles*; in ipſo vero Capitis textu ſubdubitat an *Ariſtides*, an vero *Themiſtocles* ipſe Philippo ſucceſſerit, an *Themiſtocles* tertio, vel quarto potius anno Olymp. LXXI Archon fuerit, idque in ſequenti Capite dirimendum ſignificat. In ſequentis vero Capitis titulo *Philippum* Archontem aſſerit anno 2. Olymp. LXXII. & poſt eum *Ariſtidem*. Verum in Capite Archontem illum, cui forte ſucceſſerit Ariſtides, non *Philippum*, ſed cum Plutarcho *Phaenippum*, nominat. Denique *Philippi*, *Phaenippi*, & *Ariſtidis* immemor Archontem Olymp. LXXII. anno 2. fuiſſe dicit *Hybrilidem*; atque poſt illum duos ignorari; ut nullus proinde *Philippo*, *Phaenippo*, vel *Ariſtidi* locus ſuperſit. Ambagem hanc, quae in doctiſſimi Viri, atque de literis, univerſaque Graeca hiſtoria praeclare meriti Faſtos irrepſit, opportunius alibi [2] iam demonſtravi. Itaque id unum ſupereſt ut diſſimulatis Meurſii erroribus, meliorem veramque Archontum ſeriem hic proferam, ipſamque perſpicuis Veterum teſtimoniis confirmem; quum praeſertim Scriptorum teſtimonia, quibus abutitur Meurſius, alibi explicaverim.

An. $\frac{3}{4}$. Themiſtocles Athenis Archon CXCI.

Sp Caſſius Viſcellinus II.
Poſthumus Caninius Aurunc. II. Coſſ.

iniverunt Kal. Sept. maturius ſolito.

Ti-

(1) In Ἱππία (2) Tom. I. pag. 336.

Timaenetus Phliuntius Pyth. XXIII. *armatorum curſu* viciſſe dicitur a Pauſania [(1)]. Themiſtoclis Archontis nomen Scaligero, vel ut ait ille, Anonymo duce Meurſius in ſuperiorem annum coniecerat; quemadmodum Dodvellus, quum in Archontum ſerie Diognetum anno $\frac{1}{2}$. Olymp. LXXII. tribuiſſet, Themiſtoclem anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXI. adſcripſit: perinde quaſi inter Themiſtoclem, & Diognetum Archon alius inſeri debeat, qui exeunte 4., ac ineunte 1. Olymp. anno imperaverit. Ego vero Themiſtoclem Gamelione menſe anni 3. Olymp. LXXII. magiſtratum hunc iniiſſe, adeoque anno $\frac{3}{4}$. Archontum Faſtis inſcribendum eſſe contendo.

Atque illud in primis argumento graviſſimo eſſe debet quod Phaenippus ab exeunte anno 2. Oly. LXXII. divelli non poteſt, ut inferius oſtendetur; ante Phaenippum vero Hybrilides, ante Hybrilidem Diognetus ex Dionyſio, ceteriſque Auctoribus imperavit. Itaque Diognetus ipſe anno $\frac{4}{1}$. Olympiadis adſcribi debet; adeoque Themiſtocles, qui inter Pythocritum, & Diognetum inſeri debet, non alteri, quam $\frac{3}{4}$ huius Olympiadis anno tribuendus erit. Deinde vero Dionyſius [(2)], licet obſcurius, hunc ipſum Themiſtoclis Archontis ſitum expreſſit, ubi de A. Virginii Montani, & T. Veturii Gemini Conſulatu loquens ait: *παραλαμβάνουσι τὴν ὑπατικὴν ἀρχὴν Ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεμιστοκλέους, ἑξακοστῷ καὶ διακοσιοστῷ μετὰ τὴν κτίσιν ἔτει, μελλούσης εἰς τουπιὸν τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον δεύτερον Στησικράτης Κροτωνιάτης Magiſtratum inierunt Archonte Athenis Themiſtocle, anno ab Vrb. Cond. ducenteſimo ſexageſimo, eorumque Conſulatus praeceſſit initium ſeptuageſimae ſecundae Olympiadis, qua iterum vicit in ſtadio Steſicrates Crotoniates*. Conſules iſti, ut optime Dodvellus [(3)] obſervavit, inierunt anno 4. Olymp. LXXI. ipſoſque Dionyſius, contra morem alibi obſervatum, retulit ad Olympicum annum ſequentem, qui fuerat incepturus iisdem Conſulatu iam fungentibus; quum alioquin apud Dionyſium ipſum initium anni Olympici praecedere conſueverit initium anni conſularis. Itaque perſpicuum eſt *Themiſtoclem* Archontem fuiſſe anno, qui proxime praeceſſit Olympiadem LXXII.

(1) Phocic. c. 7. (2) Lib. VI num. 34. (3) In Chron. Dionyſ.

LXXII.; quum Dionyſius ipſe alibi [1] anno 1. Oly. LXXII. Archontem fuiſſe dicat Diognetum, atque Hybrilidem 2. Sed in eximio Dionyſii loco illud in primis eſt obſervandum quod Conſules illi non exeunte, ſed ineunte potius, anno 4. Olympiadis inceperunt; hoc eſt antequam Gamelion Atticorum, ſive Ianuarius Romanorum, menſis inciperet. Quemadmodum nempe Dodvellus [2] ex Dionyſio obſervavit, iis temporibus Conſules maturius inire conſueverunt; ut aliquando a Septembri, interdum etiam a Sextili Romano inciperent. Ergo, ſi Conſules illi Themiſtocle adhuc Athenis imperante coeperunt, Themiſtoclis magiſtratus poſtremos ſex anni 3. totidemque primos anni 4. menſes huius Olympiadis occupavit; ut proinde ipſius nomen non anno 3. ut putavit Meurſius, ſed anno $\frac{3}{4}$. Faſtis inſcribi debeat.

At neque ſolum in definiendo Themiſtoclis Archontis anno fallitur Meurſius, verum etiam a perſpicuis Veterum teſtimoniis aberrat, ubi Themiſtoclem hunc non alium eſſe arbitratur, quam celebrem Imperatorem illum, quo duce ad Salaminam pugnatum eſt, & de quo certe ſunt illa Thucydidis verba, quae hîc a Meurſio proferuntur. Etenim Plutarchus non modo hanc ipſius dignitatem nuſpiam commemorat; ſed perſpicue quoque, diſerteque teſtatur quod Themiſtocles ipſe νέος ἦν ἔτι τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης πρὸς τὺς βαρβάρυς γενομένης *quo tempore in Marathone barbari ſuperati ſunt iuvenis adhuc erat:* primumque ipſius facinus fuiſſe dicit ex argenti fodinis proventus in militarem uſum convertere, atque exinde centum triremes conficere ad Aeginenſe bellum gerendum. Ita Cornelius Nepos aſſerit quod *primus gradus fuit* Themiſtocli *capeſſendae Reipublicae bello Corcyraeo, ad quod gerendum Praetor a populo factus .. perſuaſit populo ut pecunia publica, quae ex metallis redibat, claſſis centum navium aedificaretur: qua celeriter effecta primum Corcyraeos fregit, deinde maritimos praedones conſectando mare tutum reddidit.* Itaque, quum haec omnia poſt Marathoniam pugnam contigerint, ideſt annum 3. Olymp LXXII. Themiſtocles anno 4. Olymp LXXI. Archon eſſe non potuit. Idipſum quoque manifeſte demonſtrat Piraei munitio, quae Themiſtocle Archonte ſuſcepta in hunc annum 4. Olymp. LXXI.

(1) Lib. VI. n. 49. (2) Differt. X. pag. 890.

LXXI. temere a Meurſio, ſimulque Petavio coniicitur. Plutarchus enim perſpicue docet quod poſt Plataeenſem victoriam Themiſtocles Piraeum aedificavit: ἐκ δὲ τούτου τὸν Πειραιᾶ κατεσκεύαζε *deinde Piraeum exſtruxit*: ſicuti Diodorus (1) aperte docet quod Athenienſes μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς νίκην εὐθὺς τὴν πόλιν ἐπεχείρησαν τειχίζειν *poſt victoriam ad Plataeas acquiſitam ſtatim ad inſtauranda Vrbis moenia opes, operamque contulerunt* anno 3. Oly. LXXV. Timoſthene Archonte; Piraei vero munitionem anno ſequenti 4. Olymp. LXXV. Adimanto Archonte ſuſceptam ſcribit, quod Meurſius ipſe ſui immemor, utroque illorum citato, Cap. IX. teſtatur. Atque ita prorſus Euſebius Piraei munitionem in anno 2. Oly. LXXV collocavit. Poſtremo Plutarchus, & Diodorus mira conſenſione referunt Themiſtoclem conſilium a ſe conceptum de muniendo Piraeo veluti novum, ac mirum quiddam prodere populo noluiſſe, tandemque Ariſtidis, & Xanthippi ſuffragio, qui a populo veluti conſilii iudices electi fuerant, probatum, populoque commiſſum fuiſſe: quod certe fieri non poterat, ſi iampridem Piraei munitio Themiſtoclis ipſius conſilio anno 4. Olymp. LXXI. ſuſcepta fuiſſet. Ergo Themiſtocles Imperator anno 4. Olymp. LXXI. Archon eſſe, ac Piraei munitionem incipere non potuit, & ἀρχὴ illa, ἣ κατ' ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις ἦρξε *qua anni ſpatio imperavit*, non aliud eſſe potuit, quam dignitas quidem Archontis, ſed non Eponymi. Hinc fallitur Lydiatus, qui Themiſtoclem hunc Archontem fuiſſe putat anno $\frac{4}{1}$. Olymp. LXXVI. quod ex nullo veteri monumento, nec ipſis quidem Thucydidis verbis inferri poteſt. Sed haec opportunius alibi (2) iam demonſtravi.

OLYMPIAS LXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4222. Vrb. Cond. 262.
Diognetus Athenis Archon CXCII.

T. Geganius Macerinus Coſſ.
P. Minucius Augurinus

Ti-

(1) Lib. XI. c. 39. (2) Tom. I. pag. 336.

Tiſicrates Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, Pauſania [1], & Dionyſio.

Ita quoque Dionyſius ipſe Archontis Diogneti nomen expreſſit [2]: ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοςῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα ςάδιον Τισικράτης Κροτωνιάτης Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διογνήτου *ſeptuageſima & ſecunda Olympiade, qua vicit in ſtadio Tiſicrates Crotoniates, Archonte Athenis Diogneto.*

Cleomedi Aſtypalenſi, qui Iccum Epidaurium ſibi in *pugilatu* adverſarium occiderat, in Olympicis ipſis victoria negata fuit, ut Pauſanias [3] teſtatur.

Hippocleas Theſſalus Phriciae filius in Ludis ipſis *diaulo* viciſſe dicitur a Pindari Scholiaſte: Ἐνίκησε Ἱπποκλέας οβ', καὶ ογ' Ὀλυμπιάδα *vicit Hippocleas LXXII. & LXXIII. Olympiade.*

Xenocrates Agrigentinus Aeneſidami filius, ac Theronis frater huius Olympiadis anno 3. in Pythicis Ludis victoriam *equis* obtinuit, ut inferius obſervabitur. Quandoquidem tamen Pindarus [4], qui victoriam aliam in Iſthmiis partam celebravit, aſſerit illum in Olympicis etiam Ludis viciſſe, facile Olympica haec palma ad Olympiadem hanc referri poterit.

An. $\frac{1}{2}$. Hybrilides Athenis Archon CXCIII.

A. Sempronius Atratinus II.
M. Minucius Augurinus II. Coſſ.

Hybrilidis Archontis nomen, ac ſitum perſpicue demonſtrat Dionyſius [5], qui Archontis huius anno Romanorum Legatos in Siciliam veniſſe dicit: Ἡ μὲν εἰς Σικελίαν ἀποδεχθεῖσα πρεσβεία κατὰ τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν τῆς ἑβδομηκοςῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐξέπλευσεν Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ὑβριλίδου *decreta in Siciliam legatio anno ſecundo ſeptuageſimae ſecundae Olympiadis eo navigavit, Archonte Athenis Hybrilide.* Quumque Dionyſius ipſe dixerit legationem illam 17 anno poſt exactos Reges contigiſſe, primumque ab exactis Regibus annum Iſagorae Archontis nomine inſigniverit, Hybrilides iſte non alteri, quam $\frac{1}{a}$ huius

(1) Eliac. II. c. 32. (2) Lib. VI. num. 49. (3) Eliac. II. c. 9. (4) Iſthm. II. ver. 41. (5) Lib. VII. num. I.

ius Olympiadis anno, adſcribi poterit. Ita Pauſanias ait [1]: Γέλων ὁ Σικελίας τυραννήσας Συρακέσας ἔσχεν Ὑβριλίδε μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας κὴ ἑβδομηκοςῆς Ὀλυμπιάδος *Gelon tyrannus Syracuſis rerum potitus eſt Olympiadis ſeptuageſimae ſecundae anno ſecundo, quo itidem anno Archon fuit apud Athenienſes Hybrilides*. Itaque Gelon Hippocrati, qui ſeptem annis Herodoto [2] teſte Gelae imperaverat, hoc anno in imperio ſucceſſit; quumque poſtea Syracuſas etiam occupaſſet, Gelam Hieroni fratri regendam reliquit. Hinc ipſe Gelo modo *Gelous*, modo *Syracuſanus* vocatur; quod nempe utrobique imperaverit. Vide in proximae Olympiadis anno 1.

Huic anno Aeginetarum victoria adſcribenda videtur, qua claſſe Athenienſes ſuperarunt; quamvis Eurybates Argivus Nemeonica celebris, qui Aeginetis opem tulerat, a Sophane Decelenſi ſingulari certamine victus fuiſſet, ut Pauſanias [3], ac Herodotus [4] teſtantur. Etenim Herodotus victoriam hanc proxime ante Marathoniam pugnam memoravit.

An. $\frac{2}{3}$. Phaenippus ſecundus Athenis Archon CXCIV.

Q. Sulpicius Camerinus Cornutus
Sp. Lartius Flavus II. Coſſ.

Phaenippi Archontis nomen, ſimulque Marathonia pugna, quae ipſius Archontis anno contigerat, a Plutarcho, & Oxonienſi Chronico memoratur. Etenim Plutarchus [5], ut in anno proximo demonſtrabitur, Marathoniam Perſarum cladem *Phaenippi* Archontis anno adſcribit. In Oxonienſi vero Chronico [6] legitur: Ἀφ᾽ ὃ ἐμ Μαραθῶνι μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς τὲς Πέρσας, καὶ Ἀρταφέρνεα Σατράπην τῶν Δαρείε ἀδελφιδῶν τὸν ςρατηγὸν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, ἔτη ΗΗΔΔΠΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι τε δευτέρε Φαινίππε *A quo in Marathone pugna commiſſa eſt ab Athenienſibus contra Perſas, & Artaphernem Satrapam, unum e Darii nepotibus, ducem ſuperarunt Athenienſes, anni CCXXVII. Archonte Athenis Phaenippo ſe-*

(1) Eliac. II. c. 9. (2) Lib. VII. c. 154. 155. (3) Att. c. 29. (4) Libr. VI. c. 93. & Lib. IX. (5) In Ariſtide. (6) Epoch. 49. lin. 62.

ſecundo. Annorum numerus, qui Marmori inſcriptus conſpicitur 227. non alteri, quam ſecundo exeunti, huius Olymp. anno convenire poteſt; ut proinde Phaenippus Gamelione menſe anni 2. incepiſſe debuerit. Quandoquidem vero Marathonia pugna, ut perſpicue Plutarchus [1] ſemel iterumque teſtatur, 6. Boëdromionis Attici die, adeoque iam incepto 3. Olympiadis anno commiſſa fuit, optime intelligi ſalvarique debet quod illa Phaenippo adhuc Archonte contigerit, ſed illa tamen ab ineunte anno 3. dimoveri non poterit. Itaque fallitur Scaliger, Pontacus, aliique, qui Euſebium ſequuti ipſam in anno 1. huius Olymp. collocarunt; ſimulque Lydiatus [2], qui ipſam anno 2. *neque prius neque poſterius* contigiſſe contendit. Ita Palmerius [3] etiam hîc fallitur, qui, quum Ariſtidem proxime poſt Phaenippum, & Marathonium bellum imperaſſe ſciret, atque Ariſtidis anno numerum 227. in Marmore tributum eſſe conſpiceret, in ſuperiori Marmoris Epocha, vel Phaenippi Archontis anno, non 225. ſed 226. legendum eſſe coniecit, ut annus 3. Olymp. LXXII. exprimeretur. Ea vero de cauſſa *Phaenippum* hunc in Marmore *ſecundum* appellari putavit Lydiatus [4] quod *Phaenippus* alter Olymp. XLVIII. imperaverit. Sed Archon ille non *Phaenippus*, ſed *Philippus*, vocatur; adeoque *Phaenippus primus* vel ad ſuperiorem aliam, vel inſequentem Olympiadem aliquam referri debet, qua Faſtos nunc hiantes habemus. Hic ipſe Marathoniae pugnae ſitus ex Thucydidis, & Platonis teſtimonio mirifice confirmatur Siquidem Thucydides ait [5]: ἡ ἐν Μαραθῶνι μάχη Μήδων πρὸς Ἀθηναίους ἐγένετο· δεκάτῳ δ᾽ ἔτει μετ᾽ αὐτὴν αὖθις ὁ βάρβαρος τῷ μεγάλῳ στόλῳ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα δουλωσόμενος ἦλθε *Medorum praelium cum Athenienſibus in Marathoniis campis eſt commiſſum, & decimo poſt hanc pugnam anno Barbarus cum magna claſſe rurſus in Graeciam venit ut eam in ſervitutem redigeret*. Plato vero [6] integrum decennium inter haec duo bella ſtatuit. Ariſtides [7] inter utramque pugnam annos *decem* fluxiſſe dicit; idemque prorſus a Lyſia [8] aſſeritur, qui Xerſem δεκάτῳ ἔτει *decimo anno* poſtquam claſſem inſtrue-

re

(1) De Herod Malignit. & in Camillo. (2) Ad Marm. Oxon. pag. 56. (3) Exercit. pag. 706. (4 Ad Marm. Oxon. p. 1. (5) In Prooemio. (6) De Leg. III. (7) Platon. II. (8) Orat. XXXI.

re coeperat, in Graeciam appuliſſe teſtatur: quod decennii ſpatium poſtremos etiam Darii patris adhuc ſuperſtitis annos complectitur. Itaque, quum Salaminia pugna die 20. Boëdromionis anno 1. Oly. LXXV. contigerit, Marathonia clades 6. eiusdem Boëdromionis menſis diei anni 3. Olymp. LXXII. certiſſime adſcribi debet.

Hinc corrigendus Aelianus [1], qui Perſas a Miltiade 6. Thargelionis die ſuperatos eſſe teſtatur; quemadmodum alibi [2] Dodvelli ſententiam refutavi, qui Aeantidem Tribum ſingulis annis 29. Scirrophorionis die Prytaniae munus iniiſſe putat; quamvis illa praeſidente decretum editum ſit, quo Miltiades turmas in praelium deduxit. In ea vero pugna 6400. ex Perſis, ex Athenienſibus 172. cecidiſſe narrat Herodotus [3]; quum Plutarcho [4] teſte 300. Perſarum millia adverſus 9. millia Athenienſium, ac 3. millia Plataeenſium conflixiſſent.

Hoc eodem anno Athenienſes Miltiade duce Lemnum inſulam occuparunt, ut ex Herodoto [5] erudimur.

Dodvellus [6] Phalaridis, & Steſichori Poëtae mortem ad haec tempora revocavit; quum utramque inter annum $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXII. & 1. Olymp. LXXIII. contigiſſe putaverit.

An. $\frac{3}{4}$. Ariſtides Athenis Archon CXCV.

Q. Iulius L. F. Iulus
P. Pinarius Mamercinus Rufus Coſſ.

Ariſtidem Lyſimachi filium ex Alopece Atticae Populo hoc anno Archontum Faſtis inſerendum eſſe partim Oxonienſis Chronici, partim Plutarchi, aliorumque teſtimonio demonſtratur. Ac in Oxonienſi quidem Marmore legitur [7]: *Ἀφʼ οὗ Σιμωνίδης, πάππος τοῦ ποιητοῦ, ποιητὴς ὢν καὶ αὐτὸς ἐφάνη Ἀθήνησι, καὶ Δαρεῖος τελευτᾷ, Ξέρξης δὲ ὁ υἱὸς βασιλεύει, ἔτη ΗΗΔΔΠ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστείδου a quo Simonides avus Simonidis Poëtae, qui & ipſe Poëta fuit,*

(1) Var. Hiſt. Libr. II. c. 25. (2) Tom. I. pag. 183. (3) Libr. VI. c. 130. (4) In Parallel. & de defectu Oracul. (5) Libr. VI. c. 130. (6) Diſſert. V. ſect. 10. (7) Epoch. 50. lin. 63.

fuit, Athenis claruit, & Darius mortuus eſt, Xerſes vero filius illius regnat, anni CCXXV. Archonte Athenis Ariſtide. Quo quidem loco Prideauxius annos 225. in Marmore expreſſos putavit: Seldenus ſubdubitat utrum 225 vel 226 legi debeat, ſed numerum 225 anteponit. Lydiatus ac Palmerius optime 226. reſcribendum aſſerit, quod nimirum Phaenippo numerus 227. adſcribatur, compertumque ſit Ariſtidem Phaenippo proxime ſucceſſiſſe. Itaque ex Marmoris hypotheſi Ariſtides anno proximo poſt Marathoniam pugnam, adeoque 4. huius Olympiadis imperavit. Quod vero Ariſtidis Archontis anno Darius obiiſſe dicitur a perſpicuo Herodoti teſtimonio abhorret. Quamvis enim Thucydides (1) pugnam ipſam Dariique mortem coniungat: ὀλίγον πρὸ τῶν Μηδικῶν καὶ τοῦ Δαρείου θανάτου *paullo ante Medicum bellum, & Darii mortem*; & Syncellus, auctore fortaſſe Cteſia, teſtetur quod ἀυτὸς ὁ Δαρεῖος οὐκ ἐνεγκὼν τὸ πάθος ἐξ ἀθυμίας ἀπόλλυται *ipſe Darius quum dolorem* ex accepta clade *ferre non poſſet prae moerore obiit*; Herodotus tamen mortem illam *quinto* poſt cladem Marathone acceptam anno contigiſſe dicit, ut in anno 1. Olymp. LXXIV. opportunius demonſtrabitur.

Quod vero ad Plutarchum (2) attinet, is nitide diſerteque docet quod μετὰ Φάνιππον, ἐφ᾽ οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Ἀριστείδης Ἄρχων ἀναγέγραπται *ſecundum Phanippum, cuius in magiſtratu pugnae Marathoniae palmam retulerunt, ſtatim Ariſtides Archon perſcriptus eſt*; quamvis alibi dixerit: Καί τοι φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἄρξαι τὸν ἄνδρα μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου, μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην *quamvis Archontem eum fuiſſe Phalereus Demetrius auctor eſt, paullo ante obitum ſuum poſt Plataeenſem pugnam*; idque mox repetat: μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἦρξεν Ἀριστείδης, ὡς Δημήτριος γέγραφε *poſt Plataeenſem pugnam Archon fuit Ariſtides, ut Demetrius ſcripſit*. Ac certe quidem Plutarchum aut Faſtos, ad quos ille provocaverat, Demetrii Faſtis atque ſententiae praeferendos hîc eſſe iam monui (3); nec aliunde Demetrii errorem profluxiſſe conieci quam quod ille Ariſtidem poſt Athenienſium victoriam, & Archontem Phaenippum imperaſſe viderat; adeo-

que

(1) Lib. I. c. 14. (2) In Ariſtide. (3) Tom. I. pag. 341.

que nominis ſimilitudine deceptus ipſum poſt Xanthippum, & Plataeenſem pugnam, quae Xanthippo hoc Archonte contigerat, collocavit. Fieri quoque potuiſſe conieci ut Ariſtides iterum poſt Plataeenſe bellum Archon non *ſorte*, ſed *ſuffragiis* electus fuerit, ut proinde Plutarchi Demetriique ſententiae aliquo foedere componi poſſint.

Miltiades, quum circa Parum Inſulam infeliciter dimicaſſet, Athenas rediens in vincula coniicitur, ibique moritur (1).

Xenocrates Agrigentinus Aeneſidami filius, Theroniſque Pythionicae frater Pythiade XXIV quae hoc anno celebrata fuit, *curru* viciſſe dicitur. Pindarus ipſum Pythiaca VI. laudavit, eiuſque Scholiaſtes victoriam hanc variis in locis (2) memoravit.

Midas Agrigentinus hac ipſa Pythiade & XXV. mox inſequuta *auloedia* palmam obtinuit. Pindarus utramque victoriam Pythiaca XII. celebravit.

Pythagoras hoc anno fortaſſe e vivis exceſſit. Siquidem Iuſtinus (3) aſſerit illum Crotone per annos 20 degiſſe; ideoque, ſi Crotonem appulit anno 3 Olymp. LXVII. ipſius interitus hac Olympiade contigiſſe debuit. In Euſebio tamen ad annum 4. Olymp. LXX. legitur: Πυθαγόρας ὁ Φιλόσοφος τέθνηκεν ἐτῶν ϚΕ, οἱ δὲ ΟΕ *Pythagoras Philoſophus obiit annos natus 95. ſive, ut alii tradiderunt, 75.*

OLYMPIAS LXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul 4226. Vrb. Cond. 266.
Anchiſes Athenis Archon CXCVI.

Sp Nautius Rutilus
Sex. Furius Fuſus Coſſ.

Aſtylus Crotoniata *ſtadio* vicit Olympia ex Dionyſio, & Africano, qui tamen *Aſtyalum* ipſum appellat. Dionyſius vero & Olympionicae, & Archontis etiam nomen expreſſit (4): Κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ τρίτην Ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν

(1) Herod. Libr. VI. (2) Ad Pyth. VI. & Iſthm. II. & Olymp. II. verſ. 88. & 90. (3) Libr. XX. c. 5. (4) Lib. VIII. num. 1.

ἣν ἐνίκα ςάδιον Α῎ςυλος Κροτωνιάτης Α῎ρχοντος Α᾽θήνησι Α᾽γχίσε *Olympiade ſeptuageſima tertia, qua vicit in ſtadio Aſtylus Crotoniates, Archonte Athenis Anchiſe*. Gelo Dinomenis filius Gelous in Olympiis ipſis *curru* palmam obtinuit, ut Pauſanias teſtatur [1]: καὶ ὁ χρόνος τέτῳ τῷ Γέλωνί ἐςι τῆς νίκης τρίτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα Ο᾽λυμπιάδι. Γέλων δὲ ὁ Σικελίας τυραννήσας Συρακέσας ἔσχεν δευτέρῳ ἔτει τῆς δευτέρας, ϗ ἑβδομηκοςῆς Ο᾽λυμπιάδος *at enim vicit hic Gelon Oly. LXXIII quum Syracuſis Gelon tyrannus rerum potitus eſſet Oly. LXXII. anno* 2. Itaque, quum in Inſcriptione Olympiae poſita Gelon ille ſe *Geloum*, non *Syracuſanum*, eſſe teſtetur, concludit Pauſanias Gelonem hunc, licet Dinomenis filius fuerit, a Gelone tamen itidem Dinomenis filio iam Syracuſas obtinente diverſum fuiſſe, qui ſe non *Geloum*, ſed *Syracuſanum* potius, renunciari iuſſiſſet. Sed levem hanc Pauſaniae coniecturam accurate refellit Dodvellus [2]; oſtenditque Gelonem eo tempore Syracuſis nondum tyrannidem exercuiſſe; quum illam demum anno 4 huius Olympiadis occupaverit, *ſeptennio* ſcilicet iuxta Diodorum ante mortem, quae in annum 3. Olymp. LXXV. incidit [3]. Hinc Dodvellus Pindarici Scholiaſtae [4] verba Ι῾πποκράτης ὑπὸ τῶν Γελῴων τυράννε ἀνηρέθη. Εἶτα ὑπὸ Γέλωνος συνῳκίσθη ἡ Καμαρίνα κατὰ τὴν μβ´ Ο᾽λυμπιάδα, ὥς φησι Τιμαῖος. Διὸ καὶ νέοικον ἕδραν εἶπε τὴν πόλιν. ἡ καὶ ἅλωσις αὐτῆς ἐγένετο κατὰ τὴν Δαρείε τε Υ῾ςάσπε ςρατείαν *Hippocrates a Geloorum tyranno occiſus fuit Deinde incolis frequentata fuit Camarina XLII Olympiade, ut ait Timaeus. Qua etiam de cauſſa* recens-habitatam ſedem *Pindarus hanc urbem vocavit. Porro ipſius excidium contigit circa Darii Hyſtaſpis expeditionem* ita reſtituit ...... κατὰ τὴν οβ´ Ο᾽λυμπιάδα, ὥς φησι Τίμαιος. εἶτα συνῳκίσθη. Διὸ ϗ νέοικον ἕδραν εἶπε τὴν πόλιν. ἡ ϗ ἅλωσις αὐτῆς ἐγένετο μετὰ τὴν Δαρείε τε Υ῾ςάσπε ςρατείαν *circa LXXII. Oly, ut ait Timaeus; deinde habitatoribus frequentata fuit Qua etiam de cauſſa* recens-habitatam ſedem *urbem ipſam Pindarus vocavit Porro exciſa eſt poſt Darii Hyſtaſpis expeditionem*. Ea nimirum ratione Pindari Scholiaſtes, ſive Timaeus, cum Herodoto, ceteriſque Scriptoribus optime conſpirabit. At aegre tamen Herodotus ipſe

(1) Eliac. II. c. 9. & c. 32. (2) Annal. Thucyd. pag. 42. (3) Herod. Lib. VII. c. 156. (4) Ad Olymp. V. ver. 19.

pſe cum Pauſania componi poterit, qui Gelonem anno 2. Olymp. LXXII. Syracuſis etiam imperaſſe iam dixerat, quemadmodum Euſebius initium ipſum in anno 2. Olymp. LXXIII. collocavit; annoque 2. Olymp. LXXVI. Hieronis initium adſcripſit. Vtrobique tamen hic fallitur; quum praeſertim Gelonem ζ′ 7. ſolum annos regnaſſe iam dixerit, ubi prorſus immerito Scaliger ex Euſebio numerum ιζ′ 17 reſcribendum aſſerit, qui tum a Diodori, tum ab Euſebii ipſius calculo ſententiaque abhorret.

Hoc anno Chionides Athenienſis Comoediae poëta Drama edidiſſe dicitur a Suida. Χιονίδης Ἀθηναῖος κωμικὸς τῆς ἀρχαίας Κωμῳδίας. ὃν καὶ λέγουσι πρωταγωνιστὴν γένεσθαι τῆς ἀρχαίας Κωμῳδίας, διδάσκειν δὲ ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸ τῶν Περσικῶν *Chionides Athenienſis Comicus antiquae comoediae, quem etiam aiunt principem Comoediae antiquae fuiſſe, & annis octo ante bellum Perſicum fabulas docuiſſe.*

Hiero Aetnaeus Dinomenis & ipſe filius Geloniſque frater in Olympiis ipſis *celete* victoriam reportavit. Etenim Pindarus (1) victoriam ab illo *Pheronico* equo partam celebravit; iterumque *celete* ipſum viciſſe Olymp. LXXVIII. Pindari Scholiaſtes aſſerit. Quemadmodum vero Scholiaſtes ipſe, & Pauſanias (2) etiam Hieronem *curru* quoque viciſſe memorant, victoria illa fortaſſe Olymp. LXXVIII. adſcribi debet.

Epharmoſtus Opuntius *lucta* palmam obtinuit, atque a Pindaro (3) Epinicium habuit.

Hippocleas Phriciae filius Theſſalus iterum *diaulo* vicit, ut Pindari Scholiaſtes (4) adnotavit.

An. $\frac{1}{2}$. Lacratides Athenis Archon CXCVII.

C. Aquilius Tuſcus
T. Sicinius Sabinus Coſſ.

Archon ille hoc anno, ſed coniectura ſolum, a Sigonio Faſtis inſeritur; quod ille nimirum Darii tempore magiſtratum hunc Athenis geſſerit. Etenim Ariſtophanis Scholia-

(1) Olymp. I. (2) Eliac. II. c. 12. (3) Olymp. IX. verſ. 15. (4) Ad Pyth. X.

liaſtes [1], quum Lacratidem *antiquum Athenis Archontem* a Comico memorari vidiſſet, adnotavit: Λακρατίδης ἀρχαῖος Ἄρχων Ἀθήνησιν, ὡς καὶ Φιλόχορος. ἦρξε δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Δαρείου· ἐφ' οὗ πλείστη χιὼν ἐγένετο καὶ ἀπέπηξε πάντα, ὡς μὴ δύνασθαί τινα προϊέναι. διόπερ τὰ ψυχρὰ πάντα Λακρατίδου ἐκάλουν *Lacratides antiquus Archon Athenis, ut Philochorus quoque. Magiſtratu vero functus eſt Darii temporibus: eoque Archonte plurima nix decidit, atque ita omnia gelu adſtrinxit, ut ne incedere quidem quiſpiam poſſet. Quapropter quaecumque frigida erant, ea Lacratidis vocabant.* Eadem fere a Suida, & Heſychio quoque proferuntur. Itaque, quum Darius anno 4. Olymp. LXIV. imperium ſuſceperit, & anno 3. Olymp. LXXIII. e vivis exceſſerit, Lacratides ille ad interiectum annum aliquem ſpectaſſe debuit.

Illud autem hîc obiter obſervandum quod *Lacratides* alter Ephororum princeps a Plutarcho [2] memoratur; atque Iſaeus [3] *Lacratidis* Athenienſis Hierophantae meminit, ex quo Lacratidis huius Archontis nomen confirmatur; ne errorem aliquem in Ariſtophanis, & Scholiaſtae textum irrepſiſſe ſuſpicemur.

An. $\frac{2}{3}$. Miltiades Athenis Archon CXCVIII.

Sp. Caſſius Viſcellinus III.
Proclus Virginius Tricoſtus Rutilus Coſſ.

Miltiadis Archontis nomen Faſtis omnibus ignoratum huic anno adſcripſi, ambigua illa quidem, at niſi plurimum fortaſſe fallor, haud contemnenda coniectura ductus. Pauſanias aſſerit Meſſenios ex patria extorres, Iraque capta omnino ſuperatos novas ſibi ſedes quaeſiiſſe; ab Anaxila Rheginorum tyranno invitatos fuiſſe, ut Zanclen Siciliae urbem ſibi infeſtam invaderent, eaque occupata urbem ex patriae antiquae nomine *Meſſanam* vocarent. Ac Pauſanias quidem, ut ad Olymp. XXIX. obſervavi, id Miltiade Athenis Archonte Olympiade XXIX. contigiſſe dicit, victoriſque Olympionicae nomen adiecit [4]: Ταῦτα δὲ ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπράχθη τῆς ἐνάτης καὶ εἰκοστῆς, ἣν Χίο-

 νις

(1) Ad Acharn. ver. 219. (2) In Lyſandro. (3) Orat. VI. (4) Meſſen. c. 23.

νις Λάκων τὸ δεύτερον ἐνίκα, Μιλτιάδου παρ᾽ Ἀθηναίοις Ἄρχοντος *Haec geſta ſunt undetriceſima Olympiade, qua iterum vicit Chionis Lacon, Archonte apud Athenienſes Miltiade*. At Anaxilas ille Rheginorum imperium ex Diodoro nonniſi anno 2. Olymp. LXXII. ſuſcepit, tumque demum Zanclen urbem Meſſenes nomine vocatam eſſe teſtatur Thucydides poſtquam Anaxilas Samios alioſque Iones, qui excisa Mileto illuc confugerant, eiecit. Denique Herodotus (1), ubi Samios in Siciliam appuliſſe ſcribit, urbem illam non *Meſſenem*, ſed antiquo *Zancles* nomine appellat, atque Scythem *Zanclaeorum* regem ſemel iterumque memorat. Ergo Meſſeniorum adventus in Siciliam, novumque urbi nomen inditum ad Olymp. XXIX. revocari certe non poterit. Quid vero quod ne quidem Anaxilas ille, qui a Pauſania memoratur, ad Olympiadem illam ſpectaſſe potuit? Certe Pauſanias (2) aſſerit quod Anaxilas ille quarta poſt Ithomem exciſam generatione Rhegii imperabat: *Ὁ δὲ Ἀναξίλας ἐτυράννει μὲν Ῥηγίου, τέταρτος δὲ ἀπόγονος ἦν Ἀλκιδαμίδου* *Anaxilas Rhegii tyrannidem quartus ab Alcidamida obtinebat*. Itaque, quum Ariſtodemi mors, & Ithomes excidium Pauſania ipſo (3) teſte anno primo Olymp. XIV. contigerit, quî fieri unquam potuit ut Anaxilas *quartus* ab Alcidamida cenſeretur? Si quid coniecturis hic aſſequor, Meſſeniorum adventus in Siciliam, auxilia iis ab Anaxila praeſtita, Zancles occupatio, inditum Meſſene nomen una cum Herodoto ac Thucydide, graviſſimis nempe & coaevis fere Hiſtoricis, poſt Olymp. LXXII. certiſſime conſtitui debet; ut proinde Pauſanias hac in parte aberraverit. Non aliunde vero error ille facilius profluxit, quam quod Pauſanias id *Miltiade* quodam Athenis Archonte contigiſſe ex Hiſtoricis aliis acceperat; quumque Miltiadis Archontis nomen in Olymp. XXIX. ipſi occurriſſet, hiſtoriam illam ad Miltiadem hunc referendam putavit; atque, ut conſueta methodo uteretur, characteres alios appoſuit; hoc eſt Olympionicae nomen adiecit, qui certe Olymp. XXIX. palmam retulerat.

Hoc anno Darius Perſarum rex e vivis exceſſit. Etenim Herodotus (4) ait Aegyptios 4. poſt pugnam Marathoniam anno

(1) Libr. VI. (2) Meſſen. c. 23. (3) Ibi 23. (4) Lib. VI. c. 1. & Lib. VII. c. 4.

anno a Dario defeciſſe, proximoque poſt Aegyptiorum defectionem anno Darium obiiſſe. Hinc Xerſes Darii ſucceſſor *quatuor* [1], ſive, ut mox Herodotus ipſe [2] dicit, *trium* annorum ſpatio bellicos adverſus Graecos apparatus diſpoſuit, quintoque anno Sardes adveniens, ibi hiemavit: quod exeunti anno 4 Olymp. LXXIV. conveniet.

Ariſtides hoc anno Athenis *oſtraciſmo* eiectus fuit, quum Plutarcho [3] teſte imminente iam Xerſis tranſitu, *triennio* poſtquam exulaverat, revocatus fuerit. Certe Euſebius etiam oſtraciſmum illum in anno 1. huius Olymp. collocavit.

An. $\frac{3}{4}$. Philocrates Athenis Archon CIC.

Q. Fabius K. F. Vibulanus
Ser. Cornelius L. F. Maluginenſis Coſſus Coſſ.

Meminit Archontis huius Oxonienſe Chronicum [4]: Ἀφ' οὗ Αἴσχυλος ὁ Ποιητὴς τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε, καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐγένετο, καὶ Στησίχορος ποιητὴς εἰς τὴν Ἑλλάδα ἀφίκετο, ἔτη ΗΗΔΔΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλοκράτους *a quo Aeſchylus Poëta primo vicit, & Euripides poëta naſcitur, & Steſichorus Poëta in Graeciam venit, anni CCXXII. Archonte Athenis Philocrate*. Euripidis tamen ortum ad annum 1. Olymp. LXXV. referendum eſſe mox oſtendetur.

Midas Agrigentinus iterum *auloedia* Pythia vicit, ut in ſuperiori Pythiade, ſive Olympiade demonſtravi.

Herodotus Halicarnaſſenſis Lyxi, vel Xyli filius hoc anno in lucem editus videtur, quum Pamphila teſte apud Gellium [5] in Xerſis tranſitu *quadriennis* [6] eſſet. Hinc Dionyſius [7] & ipſe Halicarnaſſenſis ait quod ille fuit γενόμενος ὀλίγῳ πρότερον τῶν Περσικῶν, παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν *natus paullo ante Perſicum bellum, ſuperſtes vero uſque ad bellum Peloponneſiacum*. Exinde vero Homeri aetas ex pulcherrimo Herodoti teſtimonio deduci poterit, ſi locus ille Scaligero duce corrigatur. Herodotus [8] de Homeri ac Heſiodi aetate loquens ait: Ἡσίοδον, καὶ Ὅμηρον ἡλικίην

(1) Lib. VII c. 20. (2) Cap 21. (3) In Ariſtide. (4) Epoch. 51 lin. 65. (5) Lib. XV, c. 23. (6) Vid. Scalig. ad Euſeb. pag. 102. (7) De Charact. Thucyd. (8) Lib. II.

κίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μὲν πρεσβυτέρυς γενέσθαι Heſiodum, & Homerum quadringentis non amplius annis ante me opinor extitiſſe; alibique ab Homeri nativitate ad Xerſis tranſitum pugnamque Salaminiam 622. annos enumerat: *ἀφ' ȣ δὲ Ὅμηρος ἐγένετο, ἔτεα ἐςὶ ἑξακόσια ἔικοσι δύο μέχρι τῆς Ξέρξεω διαβάσεως ab Homero autem nato anni ſunt ſexcenti viginti duo ad Xerſis uſque in Graeciam traiectum*. Ibi non ἑξακόσια, ſed τετρακόσια reſcribendum eſſe viderat Scaliger (1). Ergo Homerus annis 100. ante Olympiadas floruiſſe debuit; ut mirari certe quis poſſit Dodvellum (2) utrumque ex principibus Poëtis illis ad Olymp. XXX. revocaſſe.

OLYMPIAS LXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4230. Vrb. Cond. 270.
Leoſtratus Athenis Archon CC.

L. Aemilius Mam F. Mamercus
K. Fabius K. F. Vibulanus Coſſ.

Aſtylus Syracuſanus iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, et Dionyſio (3): Τῷ ἑξῆς ἐνιαυτῷ τῆς ἑβδομηκοςῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος ἐνεςώσης, ἣν ἐνίκα ςάδιον Ἄςυλος Συρακέσιος, Ἀθήνησι δὲ Ἄρχων ἦν Λεώςρατος *anno ſequenti ſeptuageſimae quartae Olympiadis initio, qua vicit in ſtadio Aſtylus Syracuſanus, Archonte Athenis Leoſtrato*. Meminit etiam, diſſimulato Olympiadis numero, Pauſanias (4), qui Aſtylum hunc *Syracuſium* unum eumdemque fuiſſe teſtatur, qui *Crotoniates* ab aliis appellatur. Ἄςυλος Κροτωνιάτης τρεῖς δὲ ἐφεξῆς Ὀλυμπιάδας ςαδίȣ τε καὶ διαύλȣ νίκας ἔχει. ἐν δύο δὲ ταῖς ὑςέραις ἐς χάριν τὴν Ἱέρωνος τȣ̃ Δεινομένȣς ἀνηγόρευσεν ἑαυτὸν Συρακȣ́σιον *Aſtylus Crotoniata tres Olympiades continuas ſtadio, & iterato curſu vicit; in duabus autem poſterioribus victoriis ductus ſtudio Hieronis Dinomenis filii Syracuſanum ſe renunciandum curavit*.

Callias Athenienſis Phaenippi filius *celete* palmam obtinuit. Ariſtophanis Scholiaſtes (5): Καλλίας Φαινίππȣ πατρός ἐςὶν

(1) Ad Chron. Euſ pag. 95. (2) De Cyclis Differt. III. (3) Lib. VIII. n. 77. (4) Eliac. II. c. 13. (5) Ad Aves.

ἐςιν ὁ νενικηκὼς ἵππῳ τὴν τετάρτην καὶ πεντηκοςὴν Ὀλυμπιάδα. *Callias, cui Phaenippus pater, is eſt, qui quinquageſima quarta Olympiade equo* celete *palmam retulit* Vbi Meurſius optime reſcribendum ἑβδομηκοςὴν aſſerit. At ubi Calliam Phaenippi illius filium fuiſſe dicit, qui anno 3. Olymp. LXXII Archon fuit, coniecturis ſolum indulget; quum Callias alter Phaenippi filius, & Hipponici pater ab Herodoto (1), Thucydide (2), & Plutarcho (3) memoretur.

Ageſidamus Locrus Epizephyrius Archeſtrati filius *pugilatu puerorum* victoriam a Pindaro (4) celebratam obtinuit: Ἐνίκησε δὲ ὁ Ἀγησίδαμος τὴν ἑβδομηκοςὴν τεταρτὴν Ὀλυμπιάδα. *vicit autem Ageſidamus ſeptuageſima quarta Olympiade*.

Euthymus Locrus Epizephyrius Aſtyclis filius *pugilatu* vicit. Pauſanias (5): ἀνελομένῳ δὲ οἱ πυγμῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ νίκην τετάρτῃ πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα Ὀλυμπιάδι κ. τ. λ. *Is quum ex Olympia de pugilatu palmam tuliſſet quarta & ſeptuageſima Olympiade* &c.

Tiſamenus Eleus Antiochi filius hac Olympiade *lucta* viciſſe videtur. Etenim Herodotus (6) aſſerit victoriam illam paullo ante Plataeenſe bellum contigiſſe; adeoque facile ad hanc proximamve Olympiadem referri illa debet. Pauſanias (7) tamen Tiſamenum ipſum a Hieronymo ſuperatum eſſe teſtatur.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . Athenis Archon CCI.

M Fabius K F. Vibulanus
L. Valerius Voluſi F. Voluſus Petitus Coſſ.

An. $\frac{2}{3}$. Nicodemus Athenis Archon CCII.

C. Iulius C. F. L N. Iulus
Q. Fabius K. F. Vibulanus II. Coſſ.

Archontis Nicodemi meminit Dionyſius (8): Παραλαμβάνουσι δὲ τὴν ὑπατείαν κατὰ τὸ ἑβδομηκοςὸν καὶ διακοσιοςὸν ἔτος ἀπὸ

(1) Lib. VI. c. 121. (2) Lib. III c. 91. (3) De Herod. malignit. (4) Olymp. X. & XI. (5) Eliac. II. c. 6. (6) Lib. IX. c. 32. (7) Eliac. II. c. 14. (8) Lib. VIII, num. 83.

ἀπὸ τῦ συνοικισμῦ τῆς Ῥώμης Λεύκιος Αἰμίλιος Μαμέρκυ υἱὸς, ϗ Καίσων Φάβιος Καίσωνος υἱὸς. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Νικοδήμυ anno igitur ab urbe condita ducenteſimo, & ſeptuageſimo conſules facti ſunt L. Aemilius Mamerci F., & Caeſo Fabius Caeſonis F., Archonte Athenis Nicodemo. Archontem ipſum, ſed *Nicophemi* tamen nomine, ab Aeſchinis Scholiaſte memorari ſcribit Dodvellus (1). Sed inſignem hic accuratiſſimo alioquin Scriptori errorem irrepſiſſe mox oſtendetur.

Hoc anno Ariſtides, *triennio* poſtquam Athenis eiectus erat, ab exilio revocatur. Etenim Plutarchus (2) aſſerit id imminente iam Xerſis adventu contigiſſe.

Eodemque tempore ab Athenienſibus in Siciliam ad Gelonem Dinomenis filium legatio miſſa fuit, ut ab illo ſuppetias contra Xerſem Atticae imminentem impetrarent, ut ab Herodoto (3) erudimur.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . Athenis Archon CCIII.

K. Fabius K. F. Vibulanus II.
Sp. Furius Fuſus Coſſ.

Hoc anno Dodvellus (4) Themiſtoclem Neoclis filium, celebremque Athenienſium ducem imperaſſe voluit, adeoque praefidenter illum hoc anno Eponymorum Archontum Faſtis inſcripſit. Id ille primum ex Thucydide, eiuſque Scholiaſte, ex Pauſania, atque Plutarcho inferri poſſe putavit. Siquidem Thucydides (5) perſpicue docet Piraeeum muniri coeptum *ἐπὶ τῆς Θεμιςοκλέυς ἀρχῆς, ἧς κατ' ἐνιαυτὸν Ἀθήνησιν ἦρξε Themiſtocle magiſtratum gerente, quo per annum Athenis functus eſt*; idemque a Pauſania (6) quoque aſſeritur. Id vero ante *Medica*, hoc eſt, ut Dodvellus exiſtimat, ante Xerſis adventum, contigiſse dicit Scholiaſtes: Πρὸ τῶν Μηδικῶν ἦρξε Θεμιςοκλῆς ἐνιαυτὸν ἕνα *ante Medicum bellum Themiſtocles per annum magiſtratum geſſit*. Sed ex variis teſtimoniis illis a Dodvello collectis illud unum rite ſeliciterque inferri poſſe iam demonſtravi (7) quod Themiſtocles ἀρχὴν *Magiſtratum* quemdam Athenis iis temporibus geſſerit, atque, ſi libeat,

No-

(1) Annal. Thucyd. pag. 44. (2) In Ariſtid. (3) Lib. VII. c. 145 (4) Annal. Thucyd. pag. 44. (5) Lib. I. c. 93. (6) Attic. c. 2. (7) Tom. I. pag. 336.

Novemviris etiam inſcriptus fuerit; non vero quod Eponymus unquam Archon proceſſerit; quum Piraei conſtructio in annos illos inciderit, quibus Eponymi Archontes alii imperarunt. Quandoquidem vero Dodvellus hunc ipſum Themiſtoclis Archontis ſitum ex inedito Aeſchinis Scholiaſte confirmari poſſe coniecit, iuverit locum ipſum exponere, ſimulque inſignem praeſtantiſſimi alioquin Viri errorem oſtendere. Quum Aeſchines [1] *Nicophemum* quemdam alicubi memoraſſet, ait Scholiaſtes: οὗτος ἦρξε πρὸ Θεμιστοκλέους. Ἦν δὲ ἐπὶ αὐτοῦ Ἄρχοντος καὶ Ἡγέσανδρος. Καὶ οὗτοι κοινῇ διέκλεψαν τοῦ δημοσίου χιλίας δραχμὰς *hic Archon fuit ante Themiſtoclem; eo autem Archonte fuit Hegeſander. Atque hi una ambo e publico aerario mille drachmas furati ſunt.* Itaque concludit Dodvellus, quum Themiſtocles ille, qui anno 2. Oly. CVIII. Faſtis inſcribitur, *Theophilo*; Themiſtocles alius, qui anno $\frac{3}{4}$. Oly. LXXI. imperavit, *Pythocrito* ſucceſſerit; Themiſtocles alter admitti debet, qui poſt *Nicophemum* Archon fuerit: adeoque, quum anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXIV. *Nicodemus* in Faſtis occurrat, anno proximo $\frac{3}{4}$. ipſius Olympiadis *Themiſtoclis* nomen inſerendum erit; quum Nicophemo Archonti anni 4. Olymp. CIV. non Themiſtocles, ſed Callidemides, ſucceſſerit. Doctiſſimi tamen, atque immortalis Viri pace aliud prorſus Aeſchinis verba, quae, ut opinor Dodvellus ipſe non viderat, perſpicue oſtendunt. Ille nimirum de Timarcho loquens ait [2]. οὗτος, ὦ Ἀθηναῖοι, βουλευτὴς ἐγένετο ἐπὶ Ἄρχοντος Νικοφήμου... ἐπὶ τοίνυν τοῦ αὐτοῦ Ἄρχοντος ὅτ' ἐβούλευεν οὗτος Ταμίας ἦν τῶν τῆς Θεοῦ Ἡγέσανδρος ὁ Κροβύλου ἀδελφὸς *hic, Athenienſes, Senator factus eſt Archonte Nicophemo. Eodem igitur Archonte, quum iſte Senator eſſet, Minervae Quaeſtor fuit Hegeſander, Crobyli frater;* moxque ſubdit Timarchum una cum Hegeſandro mille drachmas ex publico ſacroque aerario ſurripuiſſe. Quis hic aperte non videat de Timarchi ſolum, atque Aeſchinis temporibus hic agi; adeoque de Nicophemo ſolum, qui anno 4. Olymp. CIV. imperavit? Itaque, quum Scholiaſtes ait Nicophemum hunc *ante Themiſtoclem imperaſſe*, non de alio certe Themiſtocle intelligi is poterit, quam de illo, qui anno 2. Olymp. CVIII. Faſtis inſcribitur: alioquin, ſi *Nicophemus* ille,

(1) Orat. adv. Timar. (2) Pag. 15.

le, ac *Themiſtocles* ab Aeſchine memorati ad Oly. LXXV. Dodvello quidem iudice referendi forent, Timarchus etiam, eiuſque accuſator Aeſchines, ac fautor Demoſthenes ad eadem tempora revocari deberent: quo nihil abſurdius effingi poteſt. At, inquiet cum Dodvello quiſpiam, Nicophemus ille, qui anno 4. Olymp. CIV Archon fuit, Callidemidem ſucceſſorem habuit; Nicophemus autem ab Aeſchine memoratus, ut Scholiaſtes ait, πρὸ Θεμιςοκλέȣς *ante Themiſtoclem* imperaſſe debuit. Id Scholiaſtae quidem affirmatum; non eo tamen ſenſu, ut Themiſtocles ipſe proxime Nicophemo ſucceſſerit, ſed quod ante Themiſtoclis Archontis annum, quo Aeſchines Orationem illam *adverſus Timarchum* habuit, iampridem Nicophemus imperaverat, eiuſque Archontis anno Timarchus *Senator*, ſimulque latro fuerat. Ac certe quidem Orationem hanc Themiſtoclis Archontis anno, hoc eſt 2. Olymp. CVIII. habitam eſſe demonſtrat quod in illa Alexander ſemel iterumque *puer* vocatur; ſeque Aeſchines a legatione, quam una cum Demoſthene ad Philippum obierat, rediiſſe dicit. Ergo, quum legatio illa in Themiſtoclis Archontis annum, hoc eſt 2. Olymp. CVIII. inciderit, Aeſchinis Oratio ad annum illum ſpectavit; eaque, opinor, de cauſſa Scholiaſtes ipſe Themiſtoclis Archontis nomen expreſſit. Nec plurimum fortaſſe ego fallar, ſi *Themiſtoclis* huius nomen in Scholiis illis antea memoratum eſſe coniecerim, quod eruditi Viri facile explorabunt, quibus haec inedita luceque digniſſima Scholia conſulere liceat. Quod ſi Themiſtoclis nomen ex Archontum Faſtis expungi debeat, facile corruunt quaecumque exinde Dodvellus (1) de Archontici anni principio deduxit; quamvis illa melioribus argumentis aliis innitantur.

Hiero Aetnaeus, aut Syracuſius Pythia *curru*, ſive, ut Pindarus (2) ipſum celebrans ait, *tethrippo* vicit: ὦ Μȣ̃σα, πείθȣ μοι χορεῦσαι καὶ παρὰ τῷ Ἱέρωνος υἱῷ Δεινομένει, ποινὴν, καὶ ἀντέκτισιν τῷ νικηφόρῳ ἅρματι παρεχομένη τὸ ἐγκώμιον *O Muſa, obſequere mihi canens apud Hieronis filium Dinomenem, & poenam multamque victori currui irrogans encomium.* Quin etiam Pythiadem ipſam *celete* vicit; quemadmodum & ſequentem XXVI. adeoque Pindarus utramque victoriam

una

(1) Pag. 50. (2) Pyth. I. ver. 113.

una eademque Pythiade reportatam Pythiaca III. celebravit, victoriamque Pythiade XXIX. ſive Olymp. LXXVI. *curru* partam Pythiade I. & II. laudavit, ut in *Agoniſticis* (1) demonſtravi.

OLYMPIAS LXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4234. Vrb. Cond. 274.
Calliades Athenis Archon CCIV.

C. Manlius P. F. Cincinnatus
M. Fabius K. F. Vibulanus II. Coſſ.

Aſtylus Syracuſanus tertio *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro. Siquidem Diodorus ipſe in Libris illis, qui ad haec uſque tempora pervenerunt, ita ſingulis Olympiadum annis Eponymi Athenienſium Archontis, Conſulumque Romanorum nomen expreſſit, ut in primo quoque Olympiadis anno *ſtadio* victorem, vel *Olympionicam* adiecerit. Itaque in illo tum Calliadis Archontis, tum Olympionicae nomen occurrit (2). Επ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιάδου Ῥωμαῖοι κατέστησαν Ὑπάτους Σπόριον Κάσσιον, καὶ Πρόκλον Οὐεργίνιον Τρίκοστον, ἤχθη δὲ καὶ παρ' Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς πέμπτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἄσυλος Συρακούσιος *Archonte Athenis Calliade, Romae Conſules creati ſunt Spurius Caſſius, & Proclus Virginius Tricoſtus; apud Elienſes vero acta fuit Olympias ſeptuageſima quinta, qua vicit ſtadio Aſylus Syracuſanus*. Quo tamen loci obſervandum quod Aſylus ille *Crotoniates* erat, duabuſque ſolum Olympiadibus mox inſequutis ſe in Hieronis gratiam *Syracuſanum* vocavit; ut teſtatur Pauſanias (3); adeoque hac Olympiade *Crotoniates*, non *Syracuſius*, appellandus erat.

Dromeus Mantinenſis *pancratio* in Ludis ipſis victor exceſſit. Etenim Pauſanias (4) aſſerit Dromei victoriam contigiſſe quum Theageni *pancratii* palma negata fuit quod Euthymum adverſarium perculiſſet. Theagenis vero victoriam in Olymp. LXXV. incidiſſe Pauſanias (5) ipſe teſtatur.

(1) Pag. 145. (2) Libr. XI. c. 1. (3) Eliac. II. c. 13. (4) Eliac. II. c. 11. (5) Ibi c. 6.

tur. Itaque Pauſanias optime adiecit Dromeum ἀκονιτὶ, hoc eſt *intacto pulvere*, viciſſe; quod ipſi, reiecto Theagene, victoria ſine certamine delata fuerit.

Theagenes autem Thaſius Timoſthenis filius *virorum pugilatu* palmam obtinuit, Euthymumque ſuperavit ex Pauſania [1]. Victor ipſe a Plinio [2] quoque memoratur.

Calliadem vero Gamelione menſe anni 4. huius Olympiadis iniiſſe fuſius & accuratius alibi [3] demonſtravi; quamvis ille a Diodoro ceteriſque Scriptoribus in anno 1 Olymp. LXXV. collocetur. Etenim Xerſis tranſitus in Hellesponto, pugnaque ad Thermopylas commiſſa, quae Calliadis Archontis anno adſcribuntur, ante Olymp LXXV. initium contigere, ut Herodoti [4] teſtimonio erudimur, qui Lacedaemonios rege ipſorum Leonida mortis diſcrimen ad Thermopylas adeunte domi ſecuros Olympia, & Carnia celebraſſe dicit. Salaminia vero pugna, quae eodem ipſo Calliade Archonte commiſſa fuit, circa 20. Boëdromionis Attici diem, adeoque incepto iam 1. Olymp. LXXV. anno pugnata fuit. Ergo Calliadis annus poſtremos ſex anni 4 totidemque proximos anni 1. menſes complectitur; ut proinde Calliades Archon pro temporum illorum more ad annum $\frac{4}{1}$. Olymp. LXXIV. referri debeat. Atque ita certe in Oxonienſi Chronico Calliades ad annum hunc revocatur [5]: Ἀφ' ȣ̃ Ξέρξης τὴν σχεδίαν ἔζευξεν ἐν Ἑλλησπόντῳ, καὶ Ἑλλήνων ἐν Θερμοπύλαις μάχη ἐγένετο, καὶ ναυμαχία Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα πρὸς τȣ̀ς Πέρσας, ἣν ἐνίκων οἱ Ἕλληνες, ἔτη ΗΗΔΠΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιάδȣ. *A quo Xerſes navigiorum pontem iunxit in Helleſponto, & a Graecis in Thermopylis commiſſa eſt pugna, & etiam pugna navalis ad Salaminem a Graecis contra Perſas, in qua vicerunt Graeci, anni CCXVII., Archonte Athenis Calliade*. Ita Dionyſius [6]: Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιάδȣ, καθ' ὃν χρόνον ἐστρατοπέδευσε Ξέρξης ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα *ſeptuageſima quinta Olympiade Archonte Athenis Calliade, quo tempore Xerſes expeditionem in Graeciam fecit*. Et Euſebius in anno 4. Oly. LXXIV. Ξέρξης εἰς Ἀθήνας ἐλθὼν ἐνέπρησεν αὐτὰς

ἐπὶ

(1) Eliac. II. c. 6. & 11. (2) Lib. VII. c. 17. (3) Tomo II. pag. 45. (4) Lib. VII. c. 206. & Plut. de Herod. malignit. (5) Epoch. 52. lin. 66. (6) Lib. IX. num. 1.

ἐπὶ Καλλιάδȣ Ἀθήνησιν Ἄρχοντος hoc eſt, ut Hieronymus interpretatur, *Xerſes, quum Athenas veniſſet, incendit Vrbem ſub Principe Callia*; moxque memorat *Bellum, quod in Thermopylis geſtum eſt, & apud Salaminam navale certamen* Hic ipſe Calliadis Archontis ſitus, & Salaminiae pugnae tempus ab Eratoſthene (1) confirmatur ubi perſpicue docet quod ἀπὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ τὴν Ξέρξȣ διάβασιν ἔτη διακόσια ἐννενήκοντα ἑπτὰ *A prima Oly. ad Xerſis expeditionem anni ducenti nonaginta ſeptem*. Characteres iſti annum 4. Olymp. LXXIV. perſpicue deſignant, quo exeunte Xerſis tranſitum contigiſſe iam demonſtravimus. Quod ſi Eratoſthenes ipſe mox ſubdit ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τȣ̃ Πελοποννησιακȣ̃ πολέμȣ ἔτη τεσσαράκοντα ὀκτὼ *inde ad initium belli Peloponneſiaci anni quadraginta octo*, vel rotundo numero tempus illud expreſſit, vel belli huius initium a Potidaeenſi pugna auſpicatur, quae Maemacterione menſe, adeoque ineunte 1. Olymp. LXXXVII. anno commiſſa fuit. Ita fere Thucydides (2) inter utrumque bellum, Salaminium nempe, ac Peloponneſiacum 50 annos fluxiſſe dicit: ταῦτα ξύμπαντα . . . . ἐγένετο ἐν ἔτεσι πεντήκοντα μάλιϛα μεταξὺ τῆς ἀρχῆς τȣ̃δε τȣ̃ πολέμȣ *haec omnia geſta ſunt praeſertim annis quinquaginta, qui inter* bellum Medicum, & *initium huius belli* interceſſerunt; quamvis accurate numerus ille abſolvi non poſſit, niſi uterque terminus in illo includatur.

Longe tamen illuſtrius iter illud, ac expeditio Xerſis ab Herodoto (3) deſcribitur, qui ait Xerſem Sardibus hiemaſſe, mox ἅμα τῷ ἔαρι *ineunte vere* ſe traiiciendo Helleſponto praeparaſſe; dumque ille Abydi ſubſiſteret, ipſi Themiſtoclem cum decem Athenienſium millibus, ac Lacedaemoniis ad Thempe Theſſalica occurriſſe. Denique ſubdit Herodotus (4): ἀπὸ δὲ τῆς διαβάσιος τȣ̃ Ἑλλησπόντȣ ἕνα αὐτȣ̃ διατρίψαντες μῆνα ἐν τῷ διέβαινον εἰς τὴν Εὐρώπην, ἐν τρισὶ ἑτέροισι μησὶ ἐγένοντο ἐν τῇ Ἀττικῇ Καλλιάδεω Ἄρχοντος Ἀθηναίοισι *poſt Helleſponti tranſitum menſem unum ibi degentes, eo tempore in Europam tranſierunt; tribus vero ſequentibus menſibus in Atticam venere, Archonte Athenis Calliade*. Itaque exeunte iam Hecatombaeone menſe Xerſes Athenis advenit, poſtquam menſis huius initio ad Thermopylas, atque

ad

(1) Apud Clem. Str. I. (2) In Prooem. (3) Lib. VII. c. 37. (4) Cap. 173.

ad Artemiſium pugnatum eſſet [1]. Inde 20 Boëdromionis die prope Salaminam Xerſes ſuperatus 45. poſt praelium die [2] iterum in Helleſpontum appulit in Aſiam rediturus.

Aelianus [3] quidem victorias has ad Thermopylas, atque Artemiſium partas 6. Thargelionis Attici die contigiſſe voluit Sed certe ille fallitur; & quamvis optime, ut obſervavit Dodvellus [4], diei numerus in Aeliani textu retineri ibi poſſit, menſis tamen nomen vitiatum eſt; ut proinde facile 6. *Hecatombaeonis* dies reſcribi ibi debeat; quum pugnae illae ineunte ſolum Hecatombaeone menſe contigerint.

Vbi vero Plutarchus [5] aſſerit Salaminiam pugnam 16. Munychionis die contigiſſe, de illa ſolum intelligi profecto debet, quae in Cypro Cimone duce anno 3. Olymp. LXXXII. commiſſa fuit. Itaque prorſus immerito Scaliger [6], & Rualdus [7] hoc loci Plutarchum erroris, & inconſtantiae notant; perinde quaſi Salaminiam pugnam hoc anno commiſſam alicubi [8] quidem ad 20 Boëdromionis, alibi [9] vero ad 16. Munychionis diem revocaverit.

Ceterum Archontis huius Laërtius quoque meminit, ſed ille *Calliam*, non *Calliadem*, appellavit. Etenim de Anaxagora loquens ait [10]: ἤρξατο δὲ φιλοσοφεῖν Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου ἐτῶν εἴκοσιν ὤν *philoſophari Athenis coeperat ſub Callia viceſimo aetatis anno*; quemadmodum optime iam dixerat illum Olymp. LXX. in lucem prodiiſſe. Alibi [11] tamen optime Laërtius ipſe *Calliadem* hunc vocavit, ubi de Euripide loquens ait: Εὐριπίδης τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐγεννήθη ἐπὶ Καλλιάδου *Euripides anno primo ſeptuageſimae quintae Olympiadis natus eſt ſub Calliade*. Denique hic ipſe *Callias* Archon a Hieronymo [12] memoratur: *Xerſes ſuccendit Athenas ſub Principe Callia*.

Simonides Leoprepis filius adhuc ſuperſtes erat, atque Megiſtiae vatis, qui in Salaminia pugna ceciderat, laudes celebravit [13].

Facile natalis Antiphontis Rhamnuſii Rhetoris annus ad Olympiadem hanc referri poterit. Etenim Plutarchus aſſerit quod ipſe γέγονε κατὰ τὰ Περσικὰ, atque in Sicilia ſe-

(1) Lib. VII. c. 206. & VIII. c. 15. (2) Lib. VIII c. 115. (3) Lib II. c. 25. (4) Annal. Thucyd. pag. 49. (5 De Glor. Ath (6) Ad Euſeb. Chr. (7) Animadv. in Plutarchum. (8) In Camillo (9) In Lyſandr. & de Glor Ath (10) Lib II ſeg. 7. (11) Lib. II. ſeg. 45. (12) In Daniel. c. 11. (13) Herod. Lib. VII. c. 228.

ſenioris Dionyſii temporibus interiit, qui Olymp. XCIII. tyrannidem occupavit.

Euripides Mneſarchi filius Athenienſis ex Populo Phyle hoc anno in lucem editus eſt. Quamvis enim ipſius nativitas in Oxonienſi Chronico Philocratis Archontis anno *ſexennio* maturius collocetur, Laërtius [1] tamen perſpicue docet quod Εὐριπίδης τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοςῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐγεννήθη ἐπὶ Καλλιάδȣ *Euripides anno primo ſeptuageſimae quintae Oly. natus eſt ſub Calliade*. Ac ne quis temere ſuſpicetur numeros, & Archontis nomen vitiatum eſſe, Heſychius Illuſtrius ait quod Εὐριπίδης κατὰ τὴν ἡμέραν, ἣν ἐνίκων Ἕλληνες Πέρσας ἐν τῇ κατὰ Ξέρξȣ ναυμαχίᾳ, γεννᾶται εὐτυχίαν προσημαίνων Ἀθηναίοις. Lydiatus [2] quidem, ut Oxonienſis Marmoris teſtimonium ab errore vindicaret, id ita explicandum exiſtimavit ut Euripides *eodem die*, non *eodem anno*, *ſed ante praecedentes aliquot annos* natus ſit, *quo portendebatur Athenienſibus proſper ſucceſſus poſtea demum eodem die* futurus. At certe fallitur. Siquidem, ut perſpicua Heſychii, aliorumque verba diſſimulem, Suidas teſtatur Euripidem in Xerſis tranſitu adhuc in matris utero geſtatum eſſe: Ἐν δὲ τῇ διαβάσει Ξέρξȣ ἐκυοφορεῖτο ὑπὸ τῆς μητρὸς καὶ ἐτέχθη καθ' ἣν ἡμέραν Ἕλληνες ἐτρέψαντο τȣ̀ς Πέρσας *Xerſe vero in Graeciam traiiciente, mater eum in utero geſſit; natuſque fuit eo die, quo Graeci Perſas fugarunt*. Idemque prorſus addito Olympiadis numero Thomas Magiſter in Euripidis vita teſtatur. Ergo praeſtantiſſimi Poëtae nativitas exeunti 4. Olymp. LXXIV. vel ineunti primo ſequentis anno adſcribi debet.

An. $\frac{1}{2}$. Xanthippus Athenis Archon CCV.

C. Fabius K. F. Vibulanus III.
T. Virginius .... F. T. N. Tricoſtus Rutilus Coſſ.

Xanthippi nomen, ac ſitus partim Oxonienſis Chronici auctoritate, partim Diodori teſtimonio demonſtratur. Oxonienſe Marmor [3]: Ἀφ' ȣ̃ ἡ ἐν Πλαταίαις μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς Μαρδόνιον τȣ̃ Ξέρξȣ ςρατηγὸν, ἣν ἐνίκων Ἀθηναῖοι, καὶ Μαρ-

(1) Lib. II. ſeg. 43. (2) Ad Marm. Oxon. pag. 58. (3) Epoch. 53. lin. 68.

Μαρδόνιος ἐτελεύτησεν ἐν τῇ μάχῃ, καὶ τὸ πῦρ ἔῤῥευκεν ἐν Σικελίᾳ περὶ τὴν Αἰτνίαν, ἔτη ΗΗΔΙΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ξανθίππου. *A quo ad Plataeas commiſſa eſt pugna ab Athenienſibus contra Mardonium Xerſis ducem, in qua vicerunt Athenienſes, & Mardonius occubuit in pugna, & ignis diffluebat in Sicilia circa Aetnam, anni CCXVI. Archonte Athenis Xanthippo.* Itaque, quum Plataica pugna in proximo poſt Salaminiam anno in Marmore collocetur, atque Xanthippus inter Calliadem, & Timoſthenem inſeratur, ille anno $\frac{1}{2}$ huius Olympiadis certiſſime adſcribi debet, ut ipſo octavum iam menſem imperante Athenienſes 14. [1] ſive, ut alibi [2] Plutarchus ipſe teſtatur, 3. Boëdromionis Attici die Perſas ad Mycalem, ſimulque Plataeas ſuperaverint; quamvis victoriam illam Aelianus [3] in 6. Thargelionis die collocaverit.

Ceterum Xanthippus ille Athenis Archon, qui a Diodoro [4] quoque anno 2 huius Olympiadis Faſtis inſeritur, unus idemque fuiſſe dicitur a Dodvello [5], & Prideauxio [6], qui a Plutarcho in *Ariſtide* quidem *Xanthippides*, in *Pericle* vero *Xanthippus* appellatur, & Periclis pater fuit. Etenim Dodvellus ipſe Xanthippum prius Eponymum Athenis Archontem; mox belli ducem electum eſſe arbitratur. Ego vero Xanthippum, ſive, ut Plutarchus ait, Xanthippidem Archontem a Xanthippo Periclis patre diſtinguendum eſſe putaverim. Siquidem Plutarchus, ut oſtenderet Periclem ex ſpectatiſſimis parentibus ortum eſſe, dicit Xanthippum eius patrem in Mycale Reges duces viciſſe, atque Agariſten Cliſthenis ἔγγονον coniugem duxiſſe; nihilque prorſus de ſuprema Archontis dignitate, quam Xanthippus ille ſuſceperit, memorat; quamvis alibi [7] magiſtratum illum veluti ſincerum nobilitatis indicium eſſe iam dixerit. Ergo Xanthippidem Archontem a Xanthippo Periclis patre, ac Imperatore diſtinguit. Diſcrimen illud clarius adhuc ex Diodoro [8] deduci poterit, qui, quum Xanthippi Archontis nomen memoraſſet, Themiſtoclem iam belli ducem in ordinem redactum, eique *Xanthippum Ariphronis filium* ſuffectum eſſe teſtatur, quod a Pauſania [9] quoque nitide

(1) In Ariſtide. (2) In Camillo & de Gloria Athen. (3) Lib II. c. 25. (4) Lib. XI. c. 27. (5) Annal. Thucyd. pag. 30. & 54. (6) Ad Marm. Oxon. pag. 219. (7) In Ariſtide. (8) Lib. XI. c. 27. (9) Laconic. c. 7. & Arcad. c. 52.

tide diſerteque traditur; adeoque Xanthippum hunc ab Archonte diſtinguendum eſſe demonſtrat. Addi poſtremo poterit nullo prorſus exemplo, Veterumque teſtimonio oſtendi poſſe Eponymo Archonti tunc imperanti exercitus copiarumque curam concedi conſueviſſe; adeoque, niſi perſpicua, atque explorata monumenta proferantur, unicum exemplum hoc admitti non poterit. Itaque veriſimilius exiſtimo Xanthippum Periclis patrem cum Xanthippo Archonte confundi non poſſe.

Ceterum huius Archontis anno una eademque die Perſarum exercitus ad Mycalem, & Plataeas ſuperatos eſſe perſpicuis, certiſque Veterum omnium teſtimoniis erudimur. Antequam tamen Mardonius a Pauſania & Ariſtide ducibus ad Plataeas ſuperatus occideret, Athenienſem urbem *decimo poſt menſe*, ut ait Herodotus [1], quam a Xerſe ipſo incenſa iam fuerat, ſuccendit. Id vero ante Thargelionis finem contigiſſe demonſtrat Herodotus [2], qui in eadem tempora & ſolis eclipſim, & Hyacinthia Laconum feſta incidiſſe teſtatur [3]. Victoria denique ad Mycalem parta, atque Lacedaemoniis Spartam regreſſis Athenienſes Xanthippo duce Sextum occuparunt; ſicque Perſicum bellum, quod διετὲς a Diodoro [4] vocatur, finem obtinuit.

An. $\frac{2}{3}$. Timoſthenes Athenis Archon CCVI.

L. Aemilius Mamer. F. Mamercus II.
C. Servilius Structus Ahala Coſſ.
Suff. *C. Cornelius Lentulus Aeſquilinus*

Archontis nomen, ac ſitus, quem in Faſtis Atticis occupavit, Diodorus [5], ſimulque Oxonienſe Marmor oſtendit; quamvis in hiſtoria Archontis huius nomine deſignanda mire diſſideant. Etenim in Oxonienſi Marmore [6] legitur: Ἀφ᾽ οὗ Γέλων ὁ Δεινομένους Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν ἔτη ΗΗΔΠ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Τιμοσθένους *a quo Gelon Dinomenis filius Syracuſis Tyrannidem occupavit anni CCXV., Archonte*

(1) Lib. IX. c. 3 & Diodor. Lib. XI. c. 28. (2) Lib. IX. c. 6. & 8. (3) Vid. Dodvell. Annal. Thucyd. pag. 51. (4) Libr. XI. c. 37. (5) Libr. XI. c. 38. (6) Epoch. 54. lin. 69.

Athenis Timoſthene. Itaque Gelonis initium & Timoſthenis imperium ex Marmorei Chronici calculo vel hypotheſi in anno 2. huius Oly. collocatur. At Diodorus Gelonem ipſum Timoſthenis Archontis anno obiiſſe dicit anno 3. Oly LXXV. quum ſeptem annos imperaſſet, ipſique Hieronem per annos 11. ac menſes octo ſucceſſiſſe ſcribit; in quibus imperii annis Marmor ipſum mire conſpirat, quum Hieronis initium in Charetis Archontis anno, adeoque 4 Olympiadis LXXVI. collocaverit. Sic Ariſtoteles [1] Geloni 7 imperii annos conceſſit, ipſumque octavo periiſſe dicit. Quamvis tamen in definiendo annorum numero Marmoris Auctor, ac Diodorus conveniant, quibus ille imperavit, in exordio rite conſtituendo plurimum diſſident. Pauſanias [2], ut in Olymp LXXII. iam monui, Gelonem anno 2. Olymp. LXXII. iniiſſe dicit; alibique [3] docet Xerſis tranſitum in idem tempus incidiſſe, quo Syracuſis & in reliqua Sicilia dominabatur Gelon Dinomenis filius; cui demortuo Hieron frater ſucceſſit; ut proinde Gelon anno 1. Olymp. LXXV. iam tyrannide potitus videatur, cuius tamen initium biennio Salaminia pugna poſterius in Marmore deſignatur. In Euſebii Chronico Gelonis initium anno 2. Olymp. LXXIII. eiuſque mors anno 3. Olymp. LXXV. adſcribitur. At in quibuſdam aliis Euſebii Codicibus, Pontaco teſte, Gelonis initium in anno 2. Olymp. LXXV. collocatur; atque in Chronico ad annum 3. Olymp. LXXIX. legitur: *Sicilia a populo regebatur*; quod ſublata nimirum tyrannide popularis ac libera poteſtas iterum populo commiſſa foret. Sed Ariſtoteles ait Gelonis, Hieronis, Thraſybuli tyrannidem 18. ſolum annis duraſſe; ergo ipſius initium in annum 2. Olymp. LXXV. referendum eſſet. Denique antiquus Pindari Scholiaſtes [4] ait Hieronem Pythiade XXVIII. adeoque anno 3. Olymp. LXXVI. imperium ſuſcepiſſe; ut proinde Gelonis initium ad annum 1. Olymp. LXXV. ſpectaverit. Itaque, quum calculus iſte Marmori noſtro mire conſentiat, nihil eſt certe cur Gelonis initium ſecus in illo, quam in Diodoro, collocetur. Libentius ego tamen Pauſaniae, & Diodoro, quam Marmori, ceteriſque aſſentiar; quum opiniones illae diſſideant, ac Diodorus in Siculis patriiſque rebus accuratior videatur. Ceterum, licet Marmor ipſum

(1) Polit. V. c. 12. (2) Eliac. II. c. 9. (3) Arcad. c. 42. (4) Ad Pythiac. 3.

ipſum, ac Diodorus in Gelonis initio diſſideant, uterque tamen in definiendo Timoſthenis anno conſentit: quod unum Faſtis Atticis rite contexendis inquiritur.

Athenienſes iam bello metuque liberi Athenas redire, domos inſtaurare, Vrbemque moenibus munire coeperunt, quod ὀλίγῳ χρόνῳ *brevi tempore* factum eſſe narrat Thucydides [1], eademque fere Diodorus [2] etiam memoravit.

An. $\frac{3}{4}$. Adimantus Athenis Archon CCVII.

C. Horatius M. F. Pulvillus
T. Menenius Agrippae F. C. N. Lanatus Coſſ.
Hi iniverunt ante XV. Kal. Sextil.

Adimanti locus a Diodoro [3], ſimulque Oxonienſi Chronico [4] definitur. Etenim in iſto legitur: Ἀφ᾽ οὗ Σιμωνίδης ὁ Λεοπρέπους ὁ Κεῖος, ὁ τὸ μνημονικὸν εὑρὼν, ἐνίκησεν Ἀθήνησι διδάσκων, καὶ αἱ εἰκόνες ἐστάθησαν Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, ἔτη ΗΗΔΙΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀδειμάντου *A quo Simonides Leoprepis filius Ceius, qui memorandi artem invenit, eam docens Athenis vicit, & poſitae ſunt imagines Harmodii, & Ariſtogitonis anni CCXIII., Archonte Athenis Adimanto*. Quamvis enim numerales annorum notae obliteratae fuerint, perſpicue tamen in iis cum Seldeno anni 214. legi debent, quum Timoſtheni 215. adſcribantur, atque Adimantus proxime Timoſthenem exceperit.

Ceterum quod huius Archontis anno Simonides μνημονικὸν inveniſſe dicitur a Suida diſſentit, qui Artem illam Ciceroni [5] quoque celebratam antiquiori Simonidi tribuendam eſſe putavit, qui Olymp. LV, ſive LXII. floruerit; quum Simonides hic ex Leoprepide ac quadam Simonidis Lyrici filia genitus ſit.

Hiero Aetnaeus, aut Syracuſius Pythiade XXVII. hoc eſt hac Olympiade Pythia *celete* vicit; ut in ſuperiori Pythiade demonſtravi.

Quod vero ſtatuas Harmodio, & Ariſtogitoni poſitas eſſe Marmor adiecit, non ita intelligi profecto debet, ut tum

 pri-

(1) Lib. I. c. 93. (2) Lib. XI. c. 39. (3) Lib. XI. c. 41. (4) Epoch. 55. lin. 70.
(5) De Fin. Lib. II. c. 32.

primum honor ille patriae libertatis aſſertoribus habitus ſit; quum iam inde ab anno 4. Olymp. LXVII illis erectae forent, ut ex Plinio (1) demonſtravimus; ſed quod antiquiores illae a Xerſe ablatae, ac Suſas tranſvectae fuerint, adeoque novae aliae ab Athenienſibus fugatis omnino Perſis excitatae ſint.

Archontis huius anno Phrynichus Athenienſis Polyphradmonis filius, ac Theſpidis diſcipulus Tragoediam Athenis edidit, Themiſtocle Choragi munus obeunte, ut perſpicue oſtendit vetus Inſcriptio, quam Plutarchus (2) conſervavit. Θεμιςοκλῆς Φρεάρριος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδίμαντος ἦρχεν *Themiſtocles Phrearrius Choragus erat, Phrynichus docebat, Adimantus Archon erat*. Sed antea tamen a Phrynicho Dramata quaedam edita fuiſſe putaverim. Etenim Herodotus (3) ait ab illo Mileti excidium, theatro illacrymante, exhibitum fuiſſe, vetitumque ne deinceps acerba cladis huius memoria renovaretur. Ergo, quum Mileti clades in annum 3. Olymp. LXX. inciderit, facile Mileti clades brevi poſt illa tempora a Phrynicho edita fuit. Quin etiam Suidas aſſerit quod Phrynichus ipſe ἐνίκα ἐπὶ τῆς ξζ' Ὀλυμπιάδος *vicit LXVII. Olympiade*. Meurſius, ſed immerito tamen, reſcribendum aſſerit ἐπὶ τῆς οέ *ſeptuageſima quinta*, quod is Plutarcho teſte Adimanti Archontis anno Fabulam ediderit: perinde quaſi maturius etiam Fabulas alias edere non potuerit. Nihil in Suidae loco mutaverim; quum Phrynichus etiam Olymp. LXVII. florere, Fabulaſque docere potuiſſe videatur. Euſebius Phrynichum hunc una cum Choerilo anno 2. Olymp. LXXIV. celebrem extitiſſe teſtatur.

Huius Archontis anno Athenienſes Piraeeum exſtruere, vel munire coeperunt, ut Thucydides (4), Diodorus (5), Pauſanias (6), aliique prodiderunt, quamvis id Euſebius in anno 2. collocaverit. Id quidem Dodvellus, ac Veſslingius Themiſtoclis, ut illi putarunt, Archontis anno, hoc eſt $\frac{3}{4}$. ſuperioris Olympiadis inceptum fuiſſe cenſuerunt. Sed opus illud hoc ſolum anno inceptum eſſe iam monui (7), quo Themiſtocles facile Novemviris adſcribi debet, ſi ἀρχὴ illa,

(1) Libr. XXXIV. c. 4. (2) In Themiſtocle. (3) Libr. VI. c. 21. (4) Libr. I. c. 93. (5) Lib. XI. c. 42. (6) Attic. c. 2. (7) Tom. I. pag. 336.

la, quam Piraeei muniti tempore geſſerat, ad Novemviri munus ſpectavit; quum Themiſtocles ipſe anno 4. Olymp. LXXIV. Faſtis inſcribi non poſſit.

Quin etiam ad annum ipſum non modo Themiſtoclis, ſed etiam *Cebridis* Archontis nomen referendum eſſe conieci (1). Etenim Heſychius de *Mercurii Forenſis* ſtatua Athenis poſita loquens ait: Ἀφίδρυτο Κεβρίδος ἄρξαντος, ὡς μαρτυρεῖ Φιλόχορος ἐν τρίτῳ *dedicata fuit Cebride Archonte, ut teſtatur Philochorus in libro tertio.* Itaque, quum Harpocration Philochorum & ipſe citans aſſerat quod Mercurius quidam πρὸς τῇ πυλίδι *ad portam* a novem Archontibus erectus fuit dum Piraeeum exſtruere inciperent, ſi una eademque Mercurii ſtatua cenſenda illa ſit, quae ab Heſychio, & Harpocratione memoratur, ut Meurſius exiſtimaverat, Cebris ille hoc anno Novemviris adſcribi debet; eaque de cauſſa ab Heſychio memoratus ſupponi, quod ille peculiari quodam munere Piraeeo muniendo, foroque exornando praefuerit.

OLYMPIAS LXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4238. Vrb. Cond. 278.
Phaedon Athenis Archon CCVIII.

A. Virginius Tricoſtus Rutilus
C. Servilius Structus Coſſ.
ineunt Menſe Sextili

Scamander Mitylenaeus *ſtadio* victor ex Africano, Diodoro, ac Dionyſio.

Archontis autem, ac Olympionicae meminit Diodorus (2): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος Ὀλυμπιὰς μὲν ἤχθη ἕκτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Σκάμανδρος Μιτυληναῖος *Archonte Athenis Phaedone ſeptuageſima Olympias & ſexta agebatur, qua Scamandrius Mitylenaeus ſtadio victor abiit.* Ita Dionyſius (3): Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἕκτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Σκάμανδρος ὁ Μιτυληναῖος Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος

Olym-

(1) Tom. I. pag. 332. (2) Lib. XI. c. 48. (3) Lib. IX. num. 18.

Olympiade ſeptuageſima ſexta, qua vicit in ſtadio Scamander Mitylenaeus, Archonte Athenis Phaedone.

Aſopichus Orchomenius Cleodami filius *puerorum ſtadio* victoriam a Pindaro celebratam obtinuit. Scholiaſtes: Οὗτος ἐνίκησε τὴν ἑβδομηκοςὴν καὶ ἕκτην Ὀλυμπιάδα ςαδίῳ *hic Olympiade ſeptuageſima ſexta vicit ſtadio.*

Euthymus Locrus Epizephyrius Aſtyclis filius hac etiam Olympiade *pugilatu* vicit ex Pauſania (1), ut in Olymp. LXXIV. oſtenſum fuit.

Huius Archontis anno oraculum Athenienſibus redditum fuit, ut Theſei Regis oſſa Athenas transferrent. Plutarchus (2): Μετὰ τὰ Μηδικὰ, Φαίδωνος Ἄρχοντος μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τὰ Θησέως ἀναλαβεῖν ὀςᾶ, καὶ θεμένους ἐντίμως παρ' αὐτοῖς φυλάττειν *poſt bellum Medicum, Phaedone Archonte, conſulentibus Apollinem Athenienſibus, reſpondit vates, ut reliquias Theſei colligerent, & collocatas apud ſe ſervarent honorifice.* Optime quidem novi quod Meurſius Phaedonem hunc a Plutarcho memoratum paullo poſt pugnam Marathone geſtam imperaſſe voluit; quemadmodum Lydiatus ipſe, ac Dodvellus laudato Dionyſii teſtimonio Phaedonem in anno primo Olymp. LXXIV. collocarunt. Vterque tamen perſpicue, certoque fallitur. Siquidem Phaedon ille, qui a Dionyſio memoratur, ad annum 1. Olymp. LXXVI. ſpectavit; idemque prorſus eſt Phaedon, qui a Plutarcho *poſt Medica* imperaſſe dicitur. Etenim *Medici* belli nomen non Marathoniam, ſed Salaminiam, Plataicamque pugnam deſignat; unde Diodorus de Salaminia pugna diſſerens optime accurateque dicit (3): ὁ μὲν οὖν Μηδικὸς ὀνομασθεὶς πόλεμος γενόμενος διέτης τοῦτο ἔσχε τὸ πέρας *bellum, quod Medicum appellatur, quum biennio duraſſet, hunc finem habuit.* Itaque ambiguum fortaſſe *Medici* belli nomen Meurſio, graviſſimo alioquin Viro, impoſuit, ut oraculum Athenienſibus redditum, Cimonis geſta, Sophoclis victoriam, Aeſchylique fugam ad annum 4. Olympiadis LXXIV. revocaret, adeoque univerſam temporum illorum hiſtoriam perturbaret; quum tamen perſpicuis certiſque characteribus oſtendatur Phaedonis huius imperium, atque Oraculi monitum anno *primo*, cetera *tertio* poſtremoque huius Olympiadis anno contigiſſe.

Hinc

(1) Eliac. II. c. 6. (2) In Theſeo. (3) Lib. XI. c. 37.

Hinc Ariſtides, qui hoc anno a Dodvello (1) Faſtis inſeritur, ex illis expungi debet; adeoque Phaedon non anno $\frac{1}{2}$. ut Dodvellus ipſe putavit, ſed ineunti anno 1. adſcribendus erit.

Hoc anno inſignis illa trecentorum Fabiorum clades apud Cremeram contigit, quae ab omnibus fere Romanis Hiſtoricis celebratur. Etenim Gellius (2) aſſerit id poſt navale praelium, quo Themiſtocle duce Xerſes fugatus fuit, anno fere quarto *Menenio Agrippa, M. Horatio Pulvillo Coſſ.* contigiſſe. Itaque, licet Conſules illi ad annum $\frac{4}{1}$. Olymp. LXXVII. ſpectaverint, Salaminiae pugnae character annum hunc deſignat. Certe Dionyſius (3) caedem illam in anno 1. Olymp LXXVI collocavit; quamvis a Hieronymo ad annum 4 Olymp LXXIV. referatur; quumque Plutarcho (4) teſte circa ſolſtitium aeſtivum, ac plenilunium illa contigerit, facile ad exeuntem 4 Olympiadis annum ſpectaverit. Neſcio vero cur Meurſius (5) Gellii errorem exinde manaſſe putaverit quod *ille Faſtos Capitolinos ſequitur, qui diſerte Conſules iſtos anno uno ante LXXVI. Olympiadem nobis ponunt, quo Athenis Archon Adimantus fuit*. Etenim Conſules illi in Capitolinis Faſtis anno 277. tribuuntur, adeoque Gellii, ac Meurſii error excuſari non poteſt.

Huic etiam anno Anaxilae Rheginorum tyranni mortem ex Diodoro tribuendam eſſe iam obſervavimus ad Olymp. LXXII.

An. $\frac{1}{2}$. Dromoclides Athenis Archon CCIX.

P. Valerius P. F. Voluſi N. Poplicola
C. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus Coſſ.

Diodoro (6) Dromoclides Archon laudatur, qui ipſius anno bellum inter Lacedaemonios, atque Athenienſes de maris imperio futurum Hetoemaridae Spartani conſilio repreſſum eſſe teſtatur.

Hoc anno Aetnae montis eruptio contigiſſe videtur, quae in Marmoreo Chronico (7), atque Thucydide

(1) Annal. Thucyd. pag. 57. (2) Lib. XVII. c. 21. (3) Lib. IX. num. 18. (4) In Camillo. (5) De Arch. Ath. Lib. II. c. 11. (6) Lib. XI. c. 50. (7) Epoch. 53. lin. 68.

de [1] memoratur. Atque illa quidem in Marmore Xanthippi Archontis anno, hoc eſt $\frac{1}{2}$. Oly. LXXV. tribuitur. Thucydides tamen ipſam *ἔτει πεντηκοστῷ anno quinquageſimo* ante Peloponneſiaci belli initium contigiſſe dicit. Certe eruptio illa poſt Aetnam urbem a Hierone conditam incidit, ut Pindarus Pythiaca I. ſubindicat. Itaque, quum urbs illa Olymp. LXXVI. anno 1. condita fuerit, Odemque illam Pindarus anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. ediderit, eruptionis tempus accuratius a Thucydide, quam Oxonienſis Marmoris Auctore, deſignatur.

An. $\frac{2}{3}$. Aceſtorides Athenis Archon CCX.

L. Furius Medullinus
A. Manlius Cn. F. P. N. Vulſo Coſſ.

Aceſtoridem citat Diodorus [2], qui Cumanis auxilia contra Tyrrhenos maris dominos a Hierone Siculo miſſa fuiſſe memorat, quibus ingentem victoriam Pindaro quoque celebratam reportarunt.

An. $\frac{3}{4}$. Menon Athenis Archon CCXI.

L. Aemilius Mamer. F. Mamercus III.
Vopiſcus Iulius Iulus Coſſ.

Menonem Aceſtoridis ſucceſſorem ponit Diodorus [3] ubi bellum inter Tarentinos, & Iapyges memoravit, quod *μικρὸν ὕστερον τῶν Μηδικῶν paullo poſt Medica* contigiſſe Ariſtoteles [4] obſervavit.

Teleſicrates Cyrenaeus *armatorum curſu* viciſſe dicitur a Pindaro [5] Pythiade XXVIII quae hac Olympiade celebrata fuit. Quamvis enim in Odes, qua Pindarus ipſum laudavit, titulo dicatur ipſum *curru* viciſſe; Pindarus tamen Teleſicratem *χαλκάσπιδα aereo ſcuto praeditum* appellavit; adeoque perſpicue oſtendit ipſum non *curru*, ſed *armatorum curſu* victoriam retuliſſe. Accedit etiam quod hac Pythia-
de

(1) Lib. III. c. 116. (2) Lib. XI. c. 51. (3) Lib. XI. c. 52. (4) Polit. Lib. V. c. 3. (5) Pythiac. IX.

de Megacles *curru* viciſſe dicitur, adeoque Teleſicrates alterius certaminis genere victor exceſſit.

Megacles Athenienſis Pythiade XXVIII. quae in hunc annum incidit, *tethrippo* vicit, atque a Pindaro celebratus fuit (1). In Scholiaſtis quidem textu legitur: Γέγραπται ἡ Ὠδὴ Μεγακλεῖ Ἀθηναίῳ νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα τεθρίππῳ *Inſcripta eſt Ode Megacli Athenienſi, qui vicit octogeſima octava Pythiade* tethrippo: ubi Meurſius (2) Ὀλυμπιάδα reſcribendum iuſſerat. Sed inſignem hunc ipſius errorem et inconſtantiam alibi (3) opportune iam confutavi, ibique εἰκοστὴν ὀγδόην Πυθιάδα *viceſimam octavam Pythiadem* legendum eſſe demonſtravi.

Thraſydaeus Thebanus *puerorum ſtadio* hac ipſa Pythiade viciſſe legitur: Γέγραπται ἡ Ὠδὴ Θρασυδαίῳ παιδὶ Θηβαίῳ σταδεῖ νικήσαντι τὴν κή Πυθιάδα *inſcripta eſt Ode Thraſydaeo puero Thebano, qui vicit ſtadio Pythiade XXVIII.*

OLYMPIAS LXXVII.

An. 1/4. Per. Iul. 4242. Vrb. Con. 282.
Chares Athenis Archon CCXII.

L. Pinarius Rufus Mamercinus
P. Furius Fuſus Coſſ.

Dates Argivus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, Diodoro, et Dionyſio, quamvis varietas quaedam in efferendo victoris nomine reperiatur.

Vtriuſque tum Olympionicae tum Archontis meminit Diodorus (4): Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Χάρης, ἤχθη δὲ παρ' Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ καὶ ἑβδόμη, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Δάνδης Ἀργεῖος *Athenis Archon erat Chares; apud Eleos vero ſeptuageſima ſeptima Olympias agebatur, in qua ſtadio vicit Dandes Argivus.* Ita Dionyſius (5): Ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος ἣν ἐνίκα στάδιον Δάτης Ἀργεῖος, Ἀθήνησι δὲ Ἄρχοντος Χάρητος *ſeptuageſima ſeptima Olympiade, qua in ſtadio vicit Dates Argivus. Archonte Athenis Charete.* Ita prorſus Oxonien-

(1) Pythiac. VII. (2) De Archon. Athen. Libr. III. c. 4. (3) Tom. II. pag. 59. (4) Lib. XI. c. 53. (5) Lib. IX. num. 37.

nienſe Chronicum [1]: Ἀφ' οὗ Ἱέρων Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΗΠΙΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χάρητος *A quo Hiero Syracuſis tyrannidem occupavit anni CCVIII, Archonte Athenis Charete.* Quamvis autem in eiuſmodi Marmoris loco Lydiatus, Seldenus, et Prideauxius legerint *anni* 208, Palmerius tamen optime accurateque reſcribendum aſſerit 209. quod in ipſo Marmore Timoſtheni 215., Apſephioni 206. numerus adſcribatur; inter Timoſthenem autem, et Charetem 5. Archontes alii, inter Charetem et Apſephionem 2. interceſſerint. Itaque ex calculo ſaepius inſtituto, atque ex conſtanti Marmoris hypotheſi Chares ille exeunti 4. primoque ineunti adſcribi debet; ut proinde a Diodoro, ceteriſque in anno 1. ſcilicet ineunte Olymp. LXXVII. collocari potuerit. Sed calculum hunc mire perturbat Prideauxius [2], qui annos 208. in Marmore retinendos exiſtimat, ſubditque *Charetis nomen* ſupplendum eſſe. *Chares enim Athenis Archon erat proximo poſt Adimantum anno. Si igitur Adimantus Archon eſſet anno* 214., *anno* 213. *Archon erat Chares.* Quis iſta aut cum Marmore, aut cum Faſtis aliis componat?

Quod vero ad initam ab Hierone tyrannidem attinet, in Olymp. LXXV. an. $\frac{2}{3}$. iam obſervatum Oxonienſe Marmor a ceteris Scriptoribus diſſidere; quamvis in exprimendis imperii annis & Archontum ſitu cum illis mire conſpiret. Quandoquidem vero graviſſimo Herodoti [3] teſtimonio erudimur anno 4. Olymp. LXXIV. qui Xerſis tranſitum praeceſſit, Gelonem Syracuſarum tyrannide iam potitum fuiſſe, ipſius auctoritas Chronico hac in parte praeferri debet.

Huic ego Olympiadi victoriam *apene* ab Ageſia Syracuſio Soſtrati filio Olympiae partam conceſſerim, quam Pindarus [4] celebravit. Etenim ex integro Odes contextu apparet victoriae tempore Hieronem iam Syracuſis imperaſſe. Ergo, quum imperium illud inceperit anno 3 Olymp. LXXV. victoria ad Olymp. LXXVI vel duas proxime ſequentes referri poſſet. Libentius tamen ipſam ad alteram hanc Olympiadem revocaverim.

Cal-

(1) Epoch. 56. lin. 71. (2) Ad Marm. Oxon. Pag. 220. (3) Libr. VII. c. 156.
(4) Olymp. VI. ver. 156.

Callias Phaenippi filius Athenienſis hac Olympiade *pancratio* vicit, ut Pauſanias [1] teſtatur. Victoriam ipſam Herodotus [2] memoravit, addiditque Calliam *tethrippo* tunc ſecundas tuliſſe. Euthymus Locrus, qui Olymp. LXXIV. & ſuperiori a Theagene victus fuit, hac Olympiade *tertio pugilatu* palmam obtinuit ex Pauſania [3].

Theron Agrigentinus Aeneſidami filius *curru* palmam obtinuit, atque a Pindaro laudatus fuit [4]: *Γέγραπται Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ ἁρμάτι νενικηκότι τὴν ἑβδομηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα inſcripta eſt Theroni Agrigentino, qui curru vicit Olymp. LXXVII.* [5] Itaque, quum Theron Diodoro teſte hoc anno e vivis exceſſerit, regnumque Thraſydaeo filio reliquerit, ipſius mors affecto iam anno 1. contigiſſe debuit. Quod vero Pindarus victoriam hanc circa *centeſimum* ab Agrigenti conditu annum contigiſſe dicit, id optime cum Thucydidis [6] calculo conſpirat, qui 108. annis poſt Gelam Agrigentum ipſum a Gelois aedificatum eſſe teſtatur.

Ergoteles Cretenſis Philanoris filius *dolicho* victoriam a Pindaro [7] celebratam obtinuit. *Himeraeus* tamen ab illo vocatur quod, ut Pindari Scholiaſtes, & Pauſanias [8] ait, Ergoteles origine Gnoſſius ex Creta fuerit, ortaque ſeditione Himeram migraverit. Ipſius victoria ad *ἑβδομηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα LXXVII. Olympiadem* a Pindarico Interprete revocatur, eademque prima ex duabus cenſeri debet, quas Ergoteles ipſe Pauſania teſte *dolicho* reportavit. Etenim, ſi poſterior fuit, facile Pindarus alterius etiam victoriae meminiſſet.

An. $\frac{1}{2}$. Praxiergus Athenis Archon CCXIII.

T. Quinctius Capitolinus Barbatus
Ap. Claudius M. F. Sabinus Coſſ.

Etenim Diodorus ait [9]: *Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πραξιέργου Ῥωμαῖοι μὲν ὑπάτους κατέστησαν Αὖλον Οὐεργίνιον Τρίκοστον, καὶ*

Z 2 *Γάϊον*

(1) Eliac. I. c. 9 & II. c. 6. (2) Libr VI. (3) Eliac. II. c. 6 (4) Olymp. II. (5) Vid. Iſthm. II ver. 41. (6) Libr. VI. c. 4. (7) Olymp. XII. (8) Eliac. II. c. 4. (9) Lib. XI. c. 54.

Γάϊον Σερϐίλιον Στρȣ̃κτον *Archonte Athenis Praxiergo, Romani Conſules crearunt A. Verginium Tricoſtum, et G. Servilium Structum.*

Huius Archontis anno Themiſtocles teſtularum ſuffragio, ſive *oſtraciſmo*, Athenis eiectus fuit, ut nitide diſerteque tradit Diodorus [1]. Perſpicuam quoque temporis notam Cicero [2] expreſſit: *Themiſtocles fecit idem pulſus, quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus.* Itaque, quum Coriolanus Roma expulſus fuerit anno Vrb. Con. 263. hoc eſt 1. Olymp LXXII. Themiſtoclis exilium circa 1. Oly. LXXVII. annum incidiſſe debuit, quemadmodum certe in Euſebii Chronico ad annum 1. huius Olympiadis legitur: Θεμιςοκλῆς εἰς Πέρσας φεύγει *Themiſtocles in Perſas fugit.* Exilium tamen Themiſtocli peractis iam Olympicis Ludis inflictum fuit. Etenim Plutarchus [3] teſtatur ipſum poſt Plataicam pugnam in Olympicis Ludis vetuiſſe ne Hieronis equi ad certamen admitterentur, auctoremque fuiſſe ut ipſius tentorium diriperetur; Aelianuſque [4] dicit Hieronem ad Ludos venientem a Themiſtocle repulſum eſſe quod nefas aſſereret illum, qui communis periculi particeps eſſe non voluit, communis feſtivitatis participem fore. Itaque, quum Hiero anno 3. Olymp. LXXV. tyrannidem occupaverit, Olympia illa, quibus Themiſtocles interfuit, ad Olymp. LXXVII. ſpectabunt; ideoque ipſius exilium vel exeunti 1. vel ineunti 2. Olympiadis anno adſcribi debebit. Quin etiam Dodvellus [5] ſingula Scriptorum teſtimonia accuratiſſime explorans exilium illud in anno $\frac{3}{4}$. huius Olympiadis collocavit.

Thucydides Olori filius Athenienſis, ex Alimunte Atticae Populo, poſt 21. Hecatombaeonis Attici diem in lucem editus fuit, ut ex Pamphila demonſtravit Dodvellus [6]. Etenim Scriptor ille apud Gellium [7] ait Thucydidem Belli Peloponneſiaci initio annum egiſſe *quadrageſimum.* Itaque, quum bellum illud exeunte primo Olymp. LXXXVII. anno exarſerit, Thucydidis ortus ad annum 1. huius Olympiadis revocandus erit.

An.

(1) Ibi c. 55. (2) Lael. c. 12. (3) In Themiſtocle. (4) Lib. IX. c. 5. (5) Annal. Thucyd. pag. 63. (6) Appar. ad Annal. Thucyd. ſect. XVII. (7) Lib. XV.

An. $\frac{2}{3}$. Demotion Athenis Archon CCXIV.

L Valerius Voluſi F. Potitus II.
T. Aemilius L. F. Mamer. N. Mamercinus Coſſ.

Archon ille Diodoro (1) ſoli memoratur, qui ipſum nitide diſerteque huic Olympiadis anno adſcribit. Dodvellus tamen ex 3. Olympiadis huius anno ad $\frac{2}{3}$. ſequentis Olympiadis tranſtulit, ut opportunius alibi exponetur.

Archontis huius anno victoriam a Cimone de Perſis prope Eurymedontem amnem partam Diodorus (2) memoravit; quamvis victoriam illam, atque Anaxagorae mortem Euſebius in anno 4 Olymp. LXXIX collocaverit.

Annus ipſe Democrito natalis fuiſſe dicitur a Thraſyllo Laërtius (3) enim, quum ex Apollodoro dixiſſet ipſum circa LXXX. Olympiadem natum eſſe, ſubdit: ὡς δὲ Θράσυλλος κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἑβδόμης καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος *ut autem inquit Thraſyllus, ſeptuageſimae ſeptimae Olympiadis anno tertio*; ut optime proinde Suidas utramque ſententiam, vel Scriptorum opinionem expreſſerit. Sed ortum illum ad Olympiadem LXXI. revocandum eſſe iam monui.

Sophocles Sophyli filius Coloneus hoc anno Tragoediam primum edidiſſe dicitur ab Euſebio: Σοφοκλῆς Τραγῳδοποιὸς πρῶτον ἐπεδείξατο *Sophocles Tragoedus primum edita Fabula certavit.*

Huic anno Pauſaniae Lacedaemonii ϛρατηγία adſcribi debet, qua ipſorum ſocii, atque Athenienſes in primis, ab illis deſciverunt. Id perſpicue contra Diodorum demonſtravit Dodvellus (4). Hinc Cimonis expeditio in Thraciam, Eioneſque expugnatio ad annum hunc referri debet; quum Ariſtides, & Cimon hactenus Pauſania veluti duce dimicaverint. Dodvellus quidem haec omnia ad ſuperiorem annum revocavit. Sed idem ille Iſocratis (5) locus, quem ille protulit, praeſentem potius deſignat. Ait enim quod Σπαρτιᾶται

μὲν

(1) Lib. XI. c. 60. (2) Ibi. (3) Lib. IX. ſeg. 41. (4) Annal. Thucyd. pag. 61.
(5) In Panathen.

μὲν ἔτη δέκα μόλις ἐπιστάτησαν αὐτῶν, ἡμεῖς δὲ πέντε καὶ ἑξήκοντα συνεχῶς κατέσχομεν τὴν ἀρχήν Spartiatae vix decennium imperarunt, nos annos quinque et ſexaginta perpetuos. Itaque, quum 65. anni, quibus Athenienſes ſupra Graecos alios imperarunt, in anno $\frac{2}{3}$. Olymp. XCIII. deſinant, quo demum a Lyſandro apud Aegoſpotamos ſuperati ſunt, ipſorum primus anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXVII incepiſſe debuit, in quo *decimus* Laconici imperii annus ab anno $\frac{1}{1}$. Olymp. LXXV. numerandus abſolvebatur. Itaque praeclare fallitur temporumque ſeriem perturbat Diodorus [1], qui haec ad annum 4. Olymp. LXXV. revocavit.

An. $\frac{3}{4}$. Phaedon Athenis Archon CCXV.

A. Virginius A. F. A. N. Coelimontanus
T. Numicius Priſcus Coſſ.

Archontis huius nomen, ut inferius oſtendetur, ab Aeſchinis Scholiaſte, atque a Diodoro [2] nobis conſervatum fuit, qui proximo poſt *Demotionem* loco, annoque 4 Olymp. LXXVII non *Apſephionem* ceteris Scriptoribus memoratum, ſed *Phaedonem*, collocavit. Quas turbas hic Dodvellus in contexenda Archontum ſerie excitaverit opportunius alibi expoſui [3]; quum *Apſephionem*, *Bionem*, & *Demotionem* ſuis veluti ſedibus expulerit, novamque Archontum ſeriem liberius effinxerit. Ego vero, niſi Diodorum in exprimendo Archontis nomine deceptum prorſus immerito ſuſpicemur, ita facile cum Palmerio [4] controverſiam hanc dirimi poſſe putavi, ut unus idemque civilis annus duos Eponymos Archontes habuerit; quumque *Apſephion*, qui certiſſime exeunte anno 3. imperavit, in ordinem redactus aut defunctus fuerit, ipſi *Phaedon* iſte ſucceſſerit; quo plane fieri potuiſſe conſpicimus ut annus ille in Faſtis aliis *Apſephionis*, in aliis *Phaedonis* nomine inſigniretur. Certe nec Apſephion ab exeunte anno 3 Olymp. LXXVII. neque Theagenides ab exeunte anno 4. dimoveri poterit; adeoque unicus civilis annus ſupererit, cui Apſephion, ac Phaedon adſcribatur.

(1) Lib. XI. c. 44. (2) Lib. XI. c. 63. (3) Tom. II. pag. 51. (4) Vid. Menag. ad Laert. II. ſeg. 44.

tur. Id autem obiter indicaſſe iuverit Phaedonem hunc, qui Apſephioni ſucceſſerit, non a Diodoro ſolum, ſed a Dionyſio quoque memoratum tum Palmerio, tum Menagio [1] cenſeri; quum tamen Phaedon ille a Dionyſio laudatus ad annum 1. Olymp. LXXVI. ſpectaverit; poſterior autem hic Phaedon a Diodoro ſolum, diſſimulato Apſephionis nomine, memoratur; ſive quod ille Apſephioni ſuccedens maximam anni partem imperaverit; ſive quod illo magiſtratum iam gerente & Olympicus & Conſularis annus inceperit: quum Socratis nativitas Apſephionis nomine inſignita 6. Thargelionis die, Tragoedorumque certamen ante anni 3. finem Antheſterione menſe contigerit.

Hic ipſe Phaedon ab inedito Aeſchinis Scholiaſte memoratur, cuius inſigne fragmentum a Dodvello [2] profertur: Ἠτύχησαν Ἀθηναῖοι ἐννεάκις περὶ τὰς Ἐννέα καλȣμένας Ὁδȣ̀ς, ὅς ἐϛι τόπος τῆς Θράκης, ἡ νῦν καλȣμένη Χεῤῥόνησος. Πρῶτον μὲν Λυσιϛράτȣ καὶ Λυκȣ́ργȣ καὶ Κρατίνȣ ϛρατευόντων ἐπ' Ἠϊόνα ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος. Δεύτερον &c. *Novies infeliciter pugnarunt Athenienſes in Novem-Viis (ut eas vocant); quae regio eſt Thraciae, Cherſoneſus modo appellata. Primum quidem Lyſiſtrato, Lycurgo & Cratino ducibus adverſus Eionem urbem, Archonte Athenis Phaedone. Secundo &c.* Itaque, licet Phaedon alius anno 1. Olymp. LXXVI. Faſtis inſcribatur, libentius hoc tamen ad Phaedonem hunc revocaverim. Etenim Thucydides [3], ac Diodorus [4] etiam nitide diſerteque teſtatur repente poſt Xerſis Perſarumque cladem Athenienſes Cimone duce Eionem urbem in Thracia Medis eripuiſſe, tum Scyrum inſulam occupaſſe, cum Caryſtiis & Naxiis dimicaſſe, ad Eurymedontem in Pamphilia Medos ſuperaſſe, victiſque Thaſiis, qui defecerant, decem colonorum millia ad *Novemvias* miſiſſe, qui deinde apud Drabeſcum ab Edonis interempti ſunt. Itaque, quum Eiones & Scyri occupatio proxime ante Apſephionis Archontis annum, hoc eſt anno $\frac{2}{3}$ Olymp LXXVII. contigerit, ut ſuperius oſtenſum fuit, atque accuratiſſime demonſtravit Dodvellus [5], colonia ad Novem-Vias deducta ineunti Olymp. LXXVI. adſcribi certe non poterit; adeo-

(1) Ad Laert Lib II. ſeg. 44. (2) De Cyclis pag. 742. (3) Lib. I. c. 98. 100. (4) Lib. XI. c. 60. (5) Annal. Thucyd. pag. 62.

eoque Phaedon, qui ab Aeſchinis Scholiaſte memoratur, a Phaedone, qui anno 1. Olymp. LXXVI. Faſtis inſcribitur, diſtingui debet. Id optime profecto viderat Cl Dodvellus, qui Phaedonem hunc Scholiaſtae memoratum in anno $\frac{3}{4}$. Olymp LXXVIII. collocavit, eiuſque Archontis anno colonos ad Novem Vias miſſos eſſe contendit. Etenim, inquit ille, Thucydides (1) aſſerit Ariſtagoram Mileſium, quum Darium fugeret, coloniam illuc deduxiſſe, ſed ab Edonis expulſum eſſe. Mox Athenienſes poſt 32. annos illuc cum decem colonorum millibus conceſſiſſe, qui prope Drabeſcum ſuperati ſunt; tandemque 29. poſt anno novos ab Agnone Niciae filio colonos illuc deductos, locumque illum non amplius *Novem-Vias*, ſed *Amphipolim*, vocatum eſſe. Sed poſterior haec colonia Euthymenis Archontis anno, hoc eſt 4. Olymp. LXXXV Diodoro (2), & Scholiaſte teſte deducta fuit; ergo praecedens coloniae deductio, quae ante 29. annos Phaedonis Archontis anno contigerat, anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII adſcribi debet; quumque Ariſtagoras anno 3. Olymp LXX. eiectus ab Edonis fuerit, exinde quoque conficitur 32. annum in $\frac{3}{4}$. Olympiadis LXXVIII. incidere.

Vt ſubtilis iſte acutiſſimi Viri calculus conſtare poſſit, neceſſario requiritur ut Athenienſium coloni eodem ipſo Archontis Phaedonis anno, quo in coloniam deducti fuerant, apud Drabeſcum interempti fuerint; adeoque, ſicuti clades illa 29. annis ante Euthymenem Archontem, hoc eſt anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII. contigiſſe debuit, ita quoque eodem anno Phaedone Archonte illuc appulerint. Quem vero ex Veteribus vadem exhibeat Dodvellus, qui colonos illos uno eodemque Phaedonis anno miſſos, ſimulque interemptos fuiſſe dixerit? Certe ipſorum cladem Thucydides anno 29. ante Euthymenem, adeoque anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII. contigiſſe dicit; nullibi tamen ſcribit eodem anno illuc eos appuliſſe: quin etiam florentibus iam Athenienſium rebus atque potentia veriſimilius videtur ibi colonos *quadriennii* tempore ſubſtitiſſe. At, inquiet ille, *huius cladis ſitum docet Thucydides, nempe poſt annos 32 ex quo ab Edonis pulſus fuerat ſub Dario Hyſtaſpide Ariſtagoras*. Thucydides tamen

(1) Lib. IV. c. 102. (2) Lib. XII. c. 32.

men id aperte non docuit; ſed tempus ſolum expreſſit non quo *deleta*, ſed quo *condita* colonia fuerit; Athenienſes nimirum 32. poſt Ariſtagoram eiectum annis colonos miſiſſe. Hinc Dodvellus ipſe praeiudicio ſolum abripitur, ubi Ariſtagorae cladem in anno 3. Olymp. LXX. non alia de cauſſa collocavit, niſi quod illa 32. annis coloniam ab Athenienſibus eo deductam, hoc eſt, ut opinatur ille, annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII. praeceſſit. Quid enim ſi clades illa, & Ariſtagorae mors ad annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXIX. referatur, ut ad annum illum obſervavi; nonne colonia ab Athenienſibus miſſa, adeoque Phaedonis imperium in annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. optime referetur, eorumque colonorum clades quadriennio poſterior eſſe poterit? Certe Ariſtagorae interitus obſcuris adeo characteribus temporumque notis ab Herodoto deſignatur, ut ad Olymp. LXX., vel ad proxime praecedentem referri commode poſſit; nihilque propemodum ſit, quod mortem illam exeunte fere Olymp. LXX. contigiſſe demonſtret. Qui tamen ſingula diligentius excuſſerit, facile fortaſſe intelliget Ariſtagorae caedem longe veriſimilius in Oly. LXX collocari, ut proinde Thucydidis ratio aliter conſtare non poſſit, quam ſi *deductae*, ſimulque *deletae* coloniae tempus confuderit; ſive potius non *deductae*, ſed *deletae* ſolum tempus, licet obſcurius, expreſſerit. Integrum Thucydidis locum ſubieciſſe nunc libet, ut exinde de vera ipſius ſententia facilius decernatur. Itaque Scriptor ille de Amphipoli loquens ait: τὸ χωρίον τοῦτο, ἐφ' οὗ νῦν ἡ πόλις ἐςιν, ἐπείρασε μὲν πρότερον καὶ Ἀριςαγόρας ὁ Μιλήσιος, φεύγων Βασιλέα Δαρεῖον, κατοικίσαι, ἀλλὰ ὑπὸ Ἠδώνων ἐξεκρούσθη· ἔπειτα δὲ καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἔτεσι δύο καὶ τριάκοντα ὕςερον, ἐποίκους μυρίους σφῶν τε αὐτῶν, καὶ τῶν ἄλλων τὸν βουλόμενον πέμψαντες, οἱ διεφθάρησαν ἐν Δραβήσκῳ ὑπὸ Θρακῶν καὶ αὖθις ἑνὸς δέοντος τριακοςῷ ἔτει ἐλθόντες οἱ Ἀθηναῖοι, Ἅγνωνος τοῦ Νικίου οἰκιςοῦ ἐκπεμφθέντος, Ἠδῶνας ἐξελάσαντες, ἔκτισαν τὸ χωρίον τοῦτο ὅπερ πρότερον Ἐννέα ὁδοὶ ἐκαλεῖτο *hunc locum, in quo nunc urbs eſt ſita, primum quidem & Ariſtagoras Mileſius, quum Regem Darium fugeret, colonia huc deducta, condere tentavit: ſed ab Edonis expulſus fuit. Deinde vero & Athenienſes duobus & triginta poſt annis, huc miſſis decem millibus incolarum, tum ſuorum, tum aliorum,*

quotquot ire voluerant, qui apud Drabeſcum a Thracibus interfecti fuerunt, eumdem locum condere conati ſunt. Rurſus etiam Athenienſes undetriceſimo anno huc reverſi, Agnone Niciae filio coloniae duce emiſſo, expulſis Edonis, hanc urbem condiderunt, quae prius Novem-viae vocabatur. Ingenue fateor longe concinnius atque commodius ex eiuſmodi Thucydidis verbis inferri quod, ſicut Ariſtagoras Amphipolim occupare *tentaverat*, ita quoque Athenienſes ipſi regionem illam poſt 32 annos occupare *tentaverint*; adeoque quidquid de Athenienſibus ipſis hic dicitur ad verbum ἐπείρασε referri debeat. Sed nihil tamen hic prohibet quin ad verbum aliud ἐξεκρούσθη *expulſus eſt* referatur; ſenſuſque ſit quod, ſicut Ariſtagoras ab Amphipoli *pulſus* fuit, ita quoque Athenienſes, qui illuc colonos miſerant, 32 elapſis annis poſt Ariſtagoram eiectum inde *expulſi*, colonique ab Edonis interempti fuerint. Ita nimirum, ſi Ariſtagoras anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXX ab Amphipoli eiectus fuit, Athenienſium expulſio ac caedes in annum $\frac{3}{4}$. Olym LXXVIII incidere debuit, quum anno $\frac{3}{4}$. Olym. LXXVII. *Phaedonis Archontis anno Amphipolim occupaſſent*. Quod ſi Thucydidis verba hoc facili veroque ſenſu explicari non poſſint, illud unum ſupererit ut a Thucydide non *deductae*, ſed *deletae* potius coloniae tempus expreſſum dicatur; quumque ille utrumque tempus ſimul confuderit, coloniam poſt 32 annos Amphipolim deductam dixerit; quum antea quidem deductam, ſed tum ſolum deletam dicere debuiſſet. Ac certe quidem quod inter deductae deletaeque coloniae tempus ſpatium aliquod intercesserit, praeter ſuperiora Plutarchi, Diodori, aliorumque teſtimonia, ex perſpicuo quoque Diodori loco confirmari facile poterit, quem Dodvellus ipſe iam protulit. De colonis illis, qui ad Novem-vias miſſi fuerant, ait Diodorus [1]: μέχρι μὲν τινος ἐκράτουν τῶν Θρακῶν. ὕστερον δὲ αὐτῶν ἀναβάντων εἰς Θράκην συνέβη πάντας τοὺς εἰσβαλόντας εἰς τὴν χώραν τῶν Θρακῶν ὑπὸ τῶν Ἠδωνῶν καλουμένων διαφθαρῆναι *Hi ad tempus ſane Thraces finitimos ſub ditione tenuere; ſed poſt, quum in ſuperiorem Thraciae partem progrederentur, quicumque in Thracum regionem impreſſionem fecerunt, ab Edonorum, ut vocantur, gente ſunt deleti*. Quin etiam alibi colo-

(1) Lib. XI. c. 70.

loniam ipſam *biennio* ſubſtitiſſe dicit. Ergo, quamvis Diodorus coloniam illam anno 1. Olymp. LXXIX. deductam memoraverit, atque in exprimendo durationis tempore aberrare potuerit, perſpicue tamen oſtendit inter *deductam*, & *deletam* coloniam tempus aliquod interceſſiſſe; adeoque, ſi ex Thucydidis calculo anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII. deleta fuit, Phaedon Archon, ſub quo deducta illa fuerat, ante annum illum imperaſſe debuit. Sed quid ex Scriptoribus aliis oſtendam inter deductae, & deletae coloniae tempus ſpatium aliquod interceſſiſſe, quum Dodvellus [1] ipſe coloniae cladem poſt *quadriennium*, hoc eſt anno $\frac{4}{1}$. Olymp. LXXIX. contigiſſe coniecerit? Itaque, ut omnia verbo complectar, ubi Thucydides ait coloniam ab Agnone 29. poſt annos deductam fuiſſe, annos illos non ab Archonte, quo coloni deducti fuerint, ſed ab illo quo deleti ſunt, memoravit; ideoque ſi numerus ille ab anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII. incipere deberet, in illo non deductae coloniae initium & Phaedonis Archontis nomen, ſed coloniae clades conſtitui debebit. Quod vero adiecit Dodvellus [2] anno 1. Olymp. LXXVIII. nondum coloniam ad Novem-vias deductam fuiſſe, quod ipſam *eidem tempori, cui & Thaſiorum defectionem vendicat Thucydides* [3], Thaſiorum vero defectio poſt pugnam ad Eurymedontem, & Cherroneſum, Thraciamque a Cimone occupatam a Plutarcho deſcribitur, facile refelli iam poterit. Quamvis enim Plutarchus praelium ad Eurymedontem, mox totam Cherroneſum Athenienſium imperio ſubiectam, denique Thaſios ab Athenienſibus rebellantes, atque a Cimone victos deſcribat, antea tamen Plutarchus ipſe nitide diſerteque dixerat quod *Μήδων φυγόντων ἐκ τῆς Ἑλλάδος, ἐπέμφθη ϛρατηγὸς κατὰ θάλατταν .... Ἠϊόνα πόλιν λαβὼν .... τὴν χώραν εὐφυεϛάτην οὖσαν καὶ καλλίϛην, οἰκῆσαι παρέδωκε τοῖς Ἀθηναίοις .... αὐτήν τε τὴν Ἠϊόνα καὶ Ἀμφίπολιν οἰκήσαντες Medis ex Graecia fugatis miſſus Cimon dux copiarum navalium Eiona urbem cepit .... regionem fertiliſſimam pulcherrimamque Athenienſibus habendam dedit ...... deductis Eionem & Amphipolim coloniis*; moxque in Scyron quoque coloniam deductam, indeque Theſei regis oſſa Athenis tranſlata me-

 mo-

(1) Pag. 82. (2) Pag. 74. (3) Lib. I. c. 100.

moravit. Ergo, ſi ſingula Plutarchi loca ſubtilius explorentur, perſpicue apparet iiſdem prope temporibus, primaque Cimonis ϛρατηγίᾳ Eionem urbem deletam, regionem Athenienſibus tributam, coloniam Amphipolim atque in Scyron deductam, antequam Theſei oſſa magnifice Athenas delata fuerint. Itaque, quum Eiones & Scyri occupatio, moxque magnifica Theſei translatio in annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. certiſſime inciderint, atque illi prorſus a Dodvello ipſo pluribus in locis adſcribantur, cur colonia illa ad Amphipolim deducta ad annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVIII. differri debeat? perinde quaſi colonia illa ante univerſam Cherroneſum a Cimone occupatam deduci non potuerit? Quid vero quod Dodvellus ipſe Caryſtios in Euboea anno $\frac{1}{2}$ Oly. LXXVIII. oppugnatos eſſe putavit quod illos proximos Eioni, ac Scyro recenſeat Thucydides [1]; quum tamen Eionis ac Scyri cladem Dodvellus optime in anno 3. Olymp. LXXVII. collocaverit? Itaque, quum Aeſchinis Scholiaſtes Phaedonis Archontis anno Athenienſes *Eionem* occupaſſe dixerit, atque Eionis occupatio non alteri, quam 3. Oly. LXXVII. adſcribi debeat, Phaedonis nomen eidem prorſus anno Archontum Faſtis inſcribendum erit.

An. $\frac{3}{4}$. Apſephion Athenis Archon CCXV.

Archontis nomen, veruſque locus, quem in Faſtis Atticis occupavit, ab Oxonienſi Chronico demonſtratur [2]: Α᾽φ᾽ ȣ̃ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλȣ ὁ ἐκ Κολωνȣ̃ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ, ἐτῶν ὢν ΔΔΠΙΙΙ., ἔτη ΗΗΠΙ., Α᾽ρχοντος Α᾽θήνησιν Αψηφίονος *a quo Sophocles Sophilli filius, qui e Colono fuit, Tragoedia vicit, quum eſſet annorum XXVIII. anni CCVI., Archonte Athenis Apſephione*. Perſpicuos eiuſmodi characteres anno 3. Oly. LXXVII. convenire conſpicimus. At Laërtius [3] aſſerit quod Socrates ἐγεννήθη (καθά φησιν Α᾽πολλόδωρος ἐν χρονικοῖς) ἐπὶ Α᾽ψεφίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοϛῆς ἑβδόμης Ο᾽λυμπιάδος *natus eſt, ut ait Apollodorus in Chronicis, ſub Apſephione, ſeptuageſimae & ſeptimae Olympiadis anno quarto*; ergo Apſephion ille etiam ad *quartum* Olympiadis annum, nempe mox incepturum, ſpectavit. Ac certe

(1) Lib. I. c. 98. (2) Epoch. 57. lin. 72. (3) Lib. II. ſeg. 44.

te quidem Socratem ipſum ante initium anni 4. in lucem prodiiſſe perſpicuis certiſque characteribus ita demonſtravi [1], ut nullus dubitandi locus ſuperſit quin Apſephion ille ad 3. exeuntem, ſimulque 4. ineuntem Olympiadis annum ſpectaverit; quamvis Socratis ortus ab Euſebio in anno 4. proximae Olympiadis collocetur. Ita quoque Palmerii, Scaligeri, Meurſii, & Dodvelli errorem oſtendi, qui Apſephionem hunc anno 4. Olymp. LXXVII. imperaſſe putarunt, adeoque Laërtii, Plutarchi, aliorumque loca temere ſollicitarunt. Itaque variis rationibus demonſtravi Apſephionem unicum admitti poſſe, qui hoc ſolum anno imperaverit, Sophocliſque victoriam, quae Apſephionis Archontis anno contigiſſe dicitur, ad annum 4. Oly. LXXIV. revocari non poſſe.

Theſei regis oſſa hoc anno in Scyro reperta, atque a Cimone duce Athenas delata ſunt, atque illuſtre Tragoedorum certamen inſtitutum, in quo Sophocles palmam obtinuit [2]: *πρώτην διδασκαλίαν τȣ̃ Σοφοκλέȣς ἔτι νέȣ καθέντος Α᾽ψεφίων ὁ Ἄρχων, Φιλονεικίας ὅσης, καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν ȣ̓κ ἐκλήρωσε τȣ̃ ἀγῶνος . . . . νικήσαντος δὲ Σοφοκλέȣς λέγεται τὸν Αἴσχυλον περιπαθῆ γενόμενον, καὶ βαρέως ἐνεγκόντα χρόνον ȣ̓ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ᾽ οἴχεσθαι διὰ ὀργὴν εἰς Σικελίαν, ὅπȣ καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται* *quum primam Fabulam Sophocles etiamnum iuvenis dediſſet, contentio autem eſſet, & concertatio ſpectatorum, Aphepſion Archon non erat ſortitus Iudices certaminis . . . . quum vero Sophocles victor fuiſſet, fertur Aeſchylum diſcruciatum, atque id iniquo animo ferentem non diu Athenis haeſiſſe; inde profectum fuiſſe in Italiam, ubi defunctus quoque, & circa Gelam humatus eſt.* Hiſtoriam hanc, & Apſephionis nomen hoc anno Faſtis Atticis inſerendum eſſe demonſtravi [3]; quamvis a ceteris omnibus Theſei corpus inventum, atque Apſephionis Archontis nomen ad annum 4 Oly. LXXIV. referatur. Dodvellus unus [4] Apſephionem hunc in anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. collocavit, ſed Phaedonis nomen prorſus expunxit, atque ad annum $\frac{3}{4}$. ſequentis Olympiadis revocavit, ut antea iam vidimus. Quandoquidem

vero

(1) Tom. II. pag. 45. (2) Plutarch. in Cimone Vid. Pauſ. Lacon. c. 3. (3) Tom. II. pag. 48. (4) Diſſert. III. ſect. 34.

vero in Archontis huius nomine exarando varietas obſervatur, ut a Plutarcho [1] *Aphepſion*, ab aliis *Arepſion*, ab aliis *Apſephion* dicatur, obſervari velim quod a Demoſthene [2] Bathippus Aphepſionis pater nominatur, ubi Vlpianus [3] Α᾽φηψίωνος legendum eſſe contendit, ut proinde facile verum Archontis huius nomen *Aphepſion* cenſeri debeat.

Hiero Aetnaeus, aut Syracuſius XXIX. Pythiade, quae in hunc annum incidit, *curru* Pythia vicit, ut in anno $\frac{3}{4}$. Olympiadis LXXIV obſervavi.

Ergoteles Himeraeus Philanoris filius hac ipſa Pythiade XXIX. *dolicho* legitur viciſſe apud Scholiaſtem Pindari [4]. Pauſanias [5] etiam victoriam hanc memoravit.

OLYMPIAS LXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4246. Vrb. Cond. 286.
Theagenides Athenis Archon CCXVI.

T. Quinctius Capitolinus Barbatus II.
Q. Servilius Q. F. Q. N. Priſcus Structus Coſſ.

Parmenides Poſidoniates *ſtadio* vicit Olympia ex Dionyſio, ac Diodoro. Etenim in Africano tum Olympiadis, tum victoris etiam nomen omittitur. Archontis autem, & Olympionicae meminit Dionyſius [6]: Κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν καὶ ὀγδόην Ὀλυμπιάδα, ἣν ἐνίκα στάδιον Παρμενίδης Ποσειδωνιάτης, Ἀθήνησι δὲ τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος Θεαγενίδου *ſeptuageſima octava Olympiade, qua vicit ſtadio Parmenides Poſidoniates, Archonte Athenis Theagenide*. Ita Diodorus [7]: Ἀθήνησιν ἦν Ἄρχων Θεαγενίδας, Ὀλυμπιὰς δ᾽ ἤχθη ἑβδομηκοστὴ καὶ ὀγδόη, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Παρμενίδης Ποσειδωνιάτης *Athenis Archon erat Theagenidas, Olympias acta eſt ſeptuageſima octava, qua vicit ſtadio Parmenides Poſidoniata*. Denique Oxonienſe Marmor [8]: Ἀφ᾽ οὗ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσε, καὶ Σιμωνίδης ὁ Ποιητὴς ἐτελεύτησε, βιοὺς ἔτη ΙΔΙΔΔΔΔ, ἔτη ΗΗΠ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεαγενίδου *A quo in Aegoſpotamos la-*

(1) In Cimone. (2) Orat. adv. Leptin. (3) Pag. 112. (4) Ad Olymp. XII. (5) Eliac. I. c. 4. (6) Lib. IX. n. 56. (7) Lib. XI. c. 65. (8) Epoch. 58. lin. 72.

lapis cecidit, & Simonides Poëta obiit XC. annos natus, anni CCV. Archonte Athenis Theagenida.

Itaque vides Simonidem avum hoc anno vita functum eſſe, quod a Suida quoque perſpicue aſſeritur; ut proinde ipſius nativitas optime ad annum 2. Olymp. LV. revocata iam fuerit. Anaxagoras quoque a Laërtio obiiſſe nunc dicitur; ſed in illo non LXXVIII. ſed LXXXVIII. Olympias reſcribi debet.

Viciſſim Andocides Leagorae filius *Cydathenaeus* in lucem editus fuit. Plutarchus [1]: Ἤκμαζε μὲν ἅμα Σωκράτει τῷ Φιλοσόφῳ. ἄρχει δὲ αὐτῷ τῆς γενέσεως Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη, Ἄρχων δὲ Ἀθήνησι Θεαγενίδης *floruit eodem, quo Socrates Philoſophus, tempore; natus Olympiade ſeptuageſima octava, Archonte Athenis Theagenida*. Itaque corrigendus ibi Plutarchi locus ubi Andocidem ipſum annis fere 20. Lyſia ſeniorem eſſe teſtatur, ὥστε εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί που εἴκοσι *ita ut Lyſiam aetate praeceſſerit, annis fere viginti*. Etenim ab anno 1. Olymp. LXXVIII ad 2 Olympiadis LXXX. vix *decennii* ſpatium intercedit. Itaque reſcribendum ἔτεσι δέκα *annis decem*.

Quum vero hoc anno bellum inter Argivos, & Mycenaeos exarſiſſet, Athenienſes Laconibus infenſi Argivis Spartanorum hoſtibus auxilia ſubmiſerunt, ut a Thucydide [2] erudimur.

Quandoquidem vero Theagenidis Archontis anno Oxonienſe Marmor lapidem e caelo decidiſſe notat, obſervaſſe iuverit hiſtoriam illam ita Laërtio [3] memorari: φησὶ δὲ Σιληνὸς ἐπὶ Ἄρχοντος Διμύλου λίθον ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν *ait autem Silenus ſub Archonte Dimylo lapidem e caelo decidiſſe*. Scaliger [4] optima felicique coniectura reſtituit ἐπὶ Ἄρχοντος Λυσανίου δίμυλον λίθον *ſub Archonte Lyſania bimolarem lapidem*: perinde quaſi lapis ille ſub Lyſania anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXXIX. ceciderit. Seldenus, ac Palmerius non Λυσανίου, ſed Marmorei Chronici praeſidio Θεαγενίδου, reſcribendum aſſerunt. Ego vero vel Theagenidis, vel *Lyſiſtrati* potius nomen inſerendum eſſe putaverim; ut nimirum caſus ille exeunti anno 2. Olymp. LXXVIII. adſcribatur. Etenim Plinius [5] aſ-

(1) Vit. X. Rhet. in Andocide. (2) Libr. I. c. 102. (3) Lib. II. ſegm. 12. (4) Animadver. in Euſeb. pag. 96. (5) Lib. II. c. 58.

aſſerit *Anaxagoram Clazomenium Olympiadis ſeptuageſimae octavae ſecundo anno praedixiſſe quibus diebus ſaxum caſurum eſſet e Sole*: quo loci non *ſecundo*, ſed *primo* legendum eſſe Menagius exiſtimavit. Euſebius tamen id anno 3. huius Olympiadis contigiſſe dicit. Ac Plinium, Euſebium, Laërtium *vehementer errare* dicit Meurſius, qui lapidis caſum hac Olympiade contigiſſe memorant; quum Plutarcho teſte caſus ille 62. ſerius annis contigerit, hoc eſt Olymp. XCIII. anno 3. quo Lyſander Athenienſes ad Aegos Potamos ſuperavit. Etenim, inquit ille, Plutarchus ait [1]: Οἱ δὲ καὶ τὴν τοῦ λίθου πτῶσιν ἐπὶ τῷ πάθει τούτῳ σημεῖον φασὶ γενέσθαι. κατηνέχθη γὰρ (ὡς ἡ δόξα τῶν πολλῶν) ἐξ οὐρανοῦ παμμεγέθης λίθος ὡς αἰγὸς ποταμούς. *Alii lapidem delapſum autumant huius cladis fuiſſe oſtentum; decidit enim caelo (ut multorum fert opinio) ad Aegos fluvium ingens lapis*. Clariſſimi tamen Viri pace Plutarchus neque pugnae tempore, neque *paullo ante victos a Lyſandro Athenienſes* lapidem decidiſſe dicit, ſed caſum illum a nonnullis veluti futurae cladis indicium haberi conſueviſſe teſtatur; perinde quaſi caſus ille, qui iampridem contigerat, futuram hanc Athenienſium cladem portenderet. Ac certe Anaxagoras anno 1. Olymp. LXXXIII. e vivis exceſſit, adeoque nec etiam in Meurſii hypotheſi caſus ille paullo ante pugnam praedictus fuiſſet. Quod ſi nulla in Laërtii textu lacuna ſupponi debeat, facile pro ἐπὶ Ἄρχοντος δίμυλον λίθον libentius legerim ἐπὶ Ἄρχοντος Διφύλου λίθον. Siquidem anno 3. Ol. LXXXIV. *Diphylus* Archon alteri Lyſaniae ſucceſſor in Faſtis occurrit, quo certe anno ex Scriptorum quorumdam ſententia caſus ille ab Anaxagora iam praenunciatus contigiſſe potuit; quum praeſertim Diphyli Archontis huius anno Anaxagoras adhuc ſuperſtes in Oxonienſi Chronico [2] memoretur.

An. $\frac{1}{a}$. Lyſiſtratus Athenis Archon CCXVII.

Ti. Aimilius L. F. Mam. N. Mamercinus II. Coſſ.
Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus

Per-

(1) In Lyſandro. (2) Epoch. 61. lin. 75.

Perſpicue Archontem illum enumerat Diodorus [1], qui Hieronem hoc anno Catanae obiiſſe, regnumque Thraſybulo fratri reliquiſſe memorat.

Ariſtides hoc anno e vivis exceſſit. Etenim Plutarchus aſſerit ipſum obiiſſe *quarto* poſt anno quam Themiſtocles exulavit; ergo, quum Themiſtoclis fuga ex Diodoro in annum $\frac{1}{2}$. ſuperioris Olympiadis inciderit, Ariſtidis mors huic anno adſcribi debet. Quod ſi fuga illa cum Dodvello [2] in annum $\frac{3}{4}$. ſuperioris Olympiadis referatur, Ariſtidis mors anno $\frac{3}{4}$. Olympiadis huius tribuenda foret.

Hoc anno Aeſchylus, quum in Siciliam ſeceſſiſſet, prope Gelam interiit, quum 59. aetatis annum ageret, quippe qui anno 4. Olymp. LXIII. in lucem editus ſit.

An. $\frac{2}{3}$. Lyſanias Athenis Archon CCXVIII.

Sp. Poſthumius A. F. P. N. Albus Regillenſis
Q. Servilius Q. F. P. N. Priſcus Structus II. Coſſ.

Vnicus eſt Diodori locus, qui Lyſaniae Archontis nomen exhibeat [3]. Immerito tamen *Lyſaniam* hunc Dodvellus ex Faſtis expunxit, ut *Ariſtidis* nomen insereret. Hinc Dodvellus ipſe *Lyſaniam* extrudens *Demotionis* nomen hoc anno Faſtis inſcripſit, quem Diodorus in anno 3. Olymp. LXXVII. collocaverat.

Hoc anno, quo Naxios Athenienſes obſedere, Themiſtoclis fugam contigiſſe putat Dodvellus [4].

Themiſtoclis mortem Euſebius hoc anno memoravit: Θεμιςοκλῆς ἅιμα ταύρειον πιὼν τελευτᾷ *Themiſtocles, hauſto tauri ſanguine, moritur*. Itaque, quum 65 aetatis anno e vivis exceſſerit, ut a Cornelio Nepote erudimur, ipſius nativitas ad annum 2 Olymp. LXII. referri debet. At, ſi Themiſtoclis mors cum Dodvello [5] ad annum $\frac{3}{4}$ Oly. LXXXI. referatur, ipſius ortus in annum $\frac{2}{3}$. Olymp. LXV. incidiſſe debuit.

(1) Libr. XI. c. 66 (2) Annal. Thucyd. pag. 74. & 75. (3) Libr. XI. c. 67. (4) Annal. Thucyd pag. 75. (5) Annal. Thucyd. pag. 100.

An. $\frac{3}{4}$. Lyſitheus Athenis Archon CCXIX.

Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus II. Coſſ.
T. Quinctius Capitolinus Barbatus III.

Vnicus eſt Diodori (1) locus, qui Lyſithei Archontis nomen ſervaverit: Τοῦ δὲ ἐνιαυσιαίου χρόνου διεληλυθότος, Ἀθήνησιν ἦρχε Λυσίθεος *anno hoc elapſo, Athenis Archon erat Lyſitheus*.

Huic anno Athenienſium cladem, qua Amphipolis incolae prope Drabeſcum a Thracibus interfecti ſunt, adſcribendam eſſe perſpicue Thucydidis, ac Diodori teſtimonio ſuperiori Olympiade demonſtravi; quamvis Dodvellus ut *deductae*, ſic etiam *deletae* coloniae tempus *quadriennio* ſerius collocaverit. Cladem autem illam non modo Pauſanias (2), ſed Herodotus (3) etiam memoravit, qui ipſam *aliquando* poſt Plataicam pugnam contigiſſe dicit.

Teleſicrates Cyrenaeus Pythiade XXX *ſtadio* viciſſe legitur in Pindari Scholiaſte. Pindarus tamen, qui victoriam aliam XXVIII. Pythiade ab ipſo partam Pythiaca IX. celebravit, huius victoriae non meminit; fortaſſe quod Epinicium illud poſt primam victoriam ediderit.

Epharmoſtus Opuntius Pythiade XXX. *lucta* viciſſe dicitur a Pindari Scholiaſte (4).

OLYMPIAS LXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4250. Vrb. Cond. 290.
Archidemides Athenis Archon CCXX.

A. Poſthumius A. F. P. N. Albus Regillenſis Coſſ.
Sp. Furius Medullinus Fuſus

Xenophon Corinthius Theſſali filius *ſtadio* Olympia vicit ex Africano, Dionyſio, Diodoro, Pauſania, quorum teſtimonia mox proferentur.

Archontis autem, ac Olympionicae meminit Diodorus

(1) Lib. XI. c. 69. (2) Attic. c. 29. (3) Lib. IX. (4) Ad Olympiac. IX.

rus (1): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρχεδημίδου Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἑβδομηκοστὴ καὶ ἐννάτη, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ξενοφῶν Κορίνθιος *Archonte Athenis Archedemide Olympias acta eſt ſeptuageſima nona, qua vicit ſtadio Xenophon Corinthius*. Ita Dionyſius (2): Ἐπὶ τῆς ἐννάτης καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Ξενοφῶν Κορίνθιος, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρχεδημίδου &c. *ſeptuageſima nona Olympiade, qua vicit Xenophon Corinthius, Archonte Athenis Archedemide* &c. Denique Pauſanias (3), aſſerens hoc anno Meſſenios a Lacedaemoniis iterum defeciſſe, ait: ἐπέλαβεν ἀπὸ Λακεδαιμονίων ὕστερον ἀποστῆναι κατὰ τὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα καὶ ἑβδομηκοστὴν, ἣν Κορίνθιος ἐνίκα Ξενοφῶν, Ἀρχιμήδους Ἀθήνησιν Ἄρχοντος *a Lacedaemoniis denuo defecerunt, ſeptuageſima nona Olympiade, qua Corinthius Xenophon vicit, Archonte Athenis Archimede*.

Pherias Aegineta, qui ſuperiori LXXVIII. Olympiade tanquam imbecillior a *luctae* certamine excluſus fuerat, hac Olympiade *lucta* viciſſe dicitur a Pauſania (4).

Xenophon autem ipſe non *ſtadio* ſolum, ſed *pentathlo* quoque eadem ipſa die palmam obtinuit, ut ex Pindaro (5), eiuſque Scholiaſte erudimur.

An. $\frac{1}{2}$. Tlepolemus Athenis Archon CCXXI.

P. Servilius Sp. F. P. N. Priſcus
L. Aebutius Elva Coſſ.
Inibant Kal. Sextil.

Meminit Archontis huius Diodorus (6), qui ipſius anno Legatos ab Inaro Aegyptionem tyranno Athenas adveniſſe dicit, ut ab Athenienſibus auxilia contra Perſarum Regem, a quo defecerat, impetraret.

Thaſios hoc anno, quum triennio obſeſſi fuiſſent, ab Athenienſibus Cimone duce ſuperatos eſſe ſcribit Dodvellus (7). Ipſorum cladem, ſimulque terraemotum, qui Laconiam vaſtavit, Pauſanias (8) anno 1. huius Olympiadis aſſignavit; quod uno eodemque anno bellum illud excitatum, ſimulque diremptum putaverit, atque ex Scriptoribus

(1) Lib. XI. c. 70. (2) Lib. IX. num. 61. (3) Meſſen. c. 24. (4) Eliac. II. c. 14. (5) Olymp. XIII. (6) Lib. XI. c. 71. (7) Annal. Thucyd. pag. 82. (8) Meſſen. c. 24.

bus accepiſſet Thaſiorum defectionem, Spartaeque terraemotum iisdem temporibus contigiſſe. Diodorus vero, quum terraemotum illum anno 4 Olymp LXXVII. adſcripſiſſet, Thaſiorum defectionem in anno 1. huius Olympiadis collocavit.

Quod vero poſt ingentem illam Spartae cladem, quae vehementis terraemotus impetu ſubverſa fuit, *Cimon poſt terraemotum cum quater mille militibus* ab Athenienſibus Ithomem miſſus fuerit, qui Hilotas tunc a Lacedaemoniis rebellantes compeſceret, ſcribit Ariſtides [1]; idemque prorſus a Plutarcho [2] memoratur, qui terraemotum illum anno 4. Archelai Spartae regis contigiſſe ſcribit; quod tamen a Diodori, aliorumque Chronologorum calculo mire diſſentit.

An. 2/3. Conon Athenis Archon CCXXII.

L. Lucretius T. F. T. N. Tricipitinus
T. Veturius T. F. P. N. Geminus Cicurinus Coſſ.
Inibant ante III. Id. Sextil.

Diodorus [3] Archontem hunc exhibet, eoque imperante Athenienſes in Aegypto feliciter dimicaſſe narrat.

Fortaſſe Gamelione menſe huius anni Nemeadem XIV. qua Sogenes Aegineta Thearinis filius *quinquertio* palmam obtinuit, celebratam eſſe in *Agoniſticis Diſſertationibus* [4] obſervavi.

Hoc anno, domitis iam a Cimone Thaſiis, Athenienſes in Aegyptum contra Achaemenem ducem militaſſe ſcribit Dodvellus [5], quamvis Diodorus id anno ſuperiori memoraverit. Interim vero abſente adhuc Cimone Ephialtes Areopagitici Senatus iura, atque auctoritatem labefactavit, quam Cimon anno proximo reſtituit.

An.

(1) Orat. de Pace & Leuctr. I. (2) In Cimone. (3) Lib. XI. c. 74. (4) Pag. 52. (5) Pag. 82.

An. $\frac{3}{4}$. Euthippus Anaphlyſtius Athenis Archon CCXXIII.

P. Volumnius M. F. M. N. Amintinus Gallus
Ser. Sulpicius Ser. F. P. N. Camerinus Coſſ.

Diodorus (1), & Oxonienſe Marmor Archontis huius nomen expreſſit, niſi quod a Diodoro *Evippus*, in Marmore *Euthippus* vocatur (2): Ἀφ' οὗ Ἀλέξανδρος ἐτελεύτησεν, ὁ δὲ υἱὸς Περδίκκας Μακεδόνων βασιλεύει, ἔτη Η|Δ|ΔΔΔΔΠΙΙΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐθίππου *a quo Alexander mortuus eſt, filius autem illius Perdiccas apud Macedonas regnavit, anni CXCIX., Archonte Athenis Euthippo.* Characteres illi, annorumque numerus 199. Euthippum hunc ad ſuperiorem annum $\frac{2}{3}$. Olympiadis revocarent; ideoque, ut Marmoris ſeries cum Diodoro conveniat, Lydiatus, ac Palmerius 198. legendum eſſe opinantur; Prideauxius vero aliter Marmori, ac Diodoro convenire non poſſe putavit, quam ſi 197 reſcribatur; ideoque potius exiſtimat in Marmoris, ac Diodori Faſtis diſſidium admittendum eſſe. Ego vero diſſidium illud admittendum eſſe non video; quum Marmoris auctor Archontum annos a civilis anni initio deduxerit, adeoque ſemper ante Olympiadem LXXXVII. Archontes ad ſuperiorem Olympicum annum revocaverit. Itaque cum Lydiato, & Palmerio legerim 198 ut Euthippus iſte anno $\frac{3}{4}$. huius Olympiadis adſcribatur Quandoquidem vero *Euthippus* quidem *Anaphlyſtius*, veluti Cimonis amicus a Plutarcho (3) memoratur, hunc unum eumdemque fuiſſe conieci, qui Faſtis inſcribitur.

Arceſilaus Cyrenaeus Pyth. XXXI. quae hoc anno celebrata fuit, *curſu* victoriam a Pindaro (4) laudatam obtinuit, ut ipſius Scholiaſtes teſtatur: Γέγραπται ἡ Ὠδὴ Ἀρκεσιλάῳ Πολυμνήστου παιδὶ Κυρηναίῳ τὸ γένος τῆς Λιβύας νικήσαντι τὴν τριακοστὴν Πυθιάδα *inſcribitur Ode Arceſilao Polymneſti filio Cyrenaeo ex Libya, qui Pythiadem XXX. vicit.*. Eadem Scholiaſtes ipſe ad Pythiacam V obſervat; niſi quod ibi temere pro Πυθιάδα habet Ὀλυμπιάδα. Quandoquidem vero Arceſilaus ipſe Olympiae quoque ex aliquorum ſententia victor fuit, faci-

(1) Lib. XI. c. 75. (2) Epoch. 59. lin. 73. (3) In Cimone. (4) Pyth. IV.

facile *Olympiadiſ* pro *Pythiadiſ* nomen irrepſit; niſi fortaſſe potius Scholiaſtes Pythiadem, ac Olympiadem memoraſſe dicatur, atque Olympiadis *numeruſ*, ac *Pythiadiſ* nomen exciderit. Ceterum Arceſilaus hic, ac Battiadarum imperium anno 1. Olymp. LXXXVII in illo defecit. Etenim Arceſilaus Pythionica Battiadarum *octavuſ*, atque Scholiaſte ipſo, & Herodoto [1] teſtibus *Battiadarum* poſtremus fuit; ut proinde ipſorum imperium Cyrene, quod 200. annis ſteterat, extinctum fuerit.

Huic anno Ariſtidis mortem adſcribit Dodvellus [2], quod ille nimirum *quadriennio* poſt Themiſtoclem expulſum, ut inquit Nepos, hoc eſt, ut interpretatur Dodvellus, *damnatum* obierit. Ita quoque Cimonem hoc eodem anno oſtraciſmo damnatum eſſe putavit.

OLYMPIAS LXXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4254 Vrb. Con. 294.
Phraſiclides Athenis Archon CCXXIV.

P. Valeriuſ P. F. Voluſi N. Poplicola II.
C. Claudiuſ M. F. Regillenſiſ Sabinuſ Coſſ.

Toryllas, ſive Torymbas Theſſalus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, Diodoro, Dionyſio. In Africano tamen *Tyrymmaſ* vocatur.

Archontem vero, & Olympionicam memorat Diodorus [3]: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρασικλείδȣ Ὀλυμπιὰς μὲν ἤχθη ὀγδοηκοστὴ, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Τορύλλας Θέσσαλος *Archonte Athenis Phraſiclide celebrata eſt Olympiaſ octogeſima, qua ſtadio vicit Toryllaſ Theſſaluſ*. Ita Dionyſius [4]: Ὀλυμπιὰς ἦν ὀγδοηκοστὴ, ἣν ἐνίκα στάδιον Τορύμβας Θέσσαλος, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρασικλέȣς *Olympiaſ erat octogeſima, qua ſtadio vicit Torymbaſ Theſſaluſ, Archonte Athenis Phraſicle*. Plutarchus etiam in anno proximo proferendus Archontis huius nomen, ac ſitum deſignavit.

Alcimedon Aegineta Iphionis filius *puerorum lucta* in Olym-

(1) Libr IV. c. 163. (2) Pag. 84. (3) Lib. XI. c. 77. (4) Lib. X. num. 1.

Olympiis palmam obtinuit. Pindari Scholiaſtes: Γέγραπται ὁ ἐπινίκιος τῷ Ἀλκιμέδοντι παιδὶ παλαιςῇ νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοςὴν Ὀλυμπιάδα *ſcriptum eſt Epinicium carmen Alcimedonti puero palaeſtritae, qui vicit Olympiade octogeſima.*

Arceſilaus Polymneſti filius *curru* viciſſe dicitur. Etenim Pindari Scholiaſtes ait [1]: Γέγραπται η Ὠδὴ Ἀρκεσιλάῳ Πολυμνήςυ παιδὶ Κυρηναίῳ νικήσαντι τὴν τριακοςὴν πρώτην Πυθιάδα, ἔνιοι καὶ τὴν ὀγδοηκοςὴν Ὀλυμπιάδα *Scripta eſt Ode Arceſilao Polymneſti filio Cyrenaeo, qui vicit trigeſima prima Pythiade*, atque, ut *nonnulli* putant, *octogeſima etiam Olympiade*.

Ameſinas Barcaeus *virorum lucta* palmam obtinuit ex Africano.

Socrates Pelleneus *puerorum ſtadio* victor fuit. Quamvis enim Pauſanias victorem hunc diſſimulato Olympiadis numero memoraverit [2] ubi *Soſtratum* illum appellat; hic tamen victoriam hanc eo tempore contigiſſe dicit, quo ſtatua Eubotae collocata fuit, quod, Pauſania ipſo teſte [3], Olympiadi LXXX. adſcribi debet. Etenim Pauſanias ipſe hac Olympiade, primoque fortaſſe ipſius anno non *coronam*, ut ſcribit Meurſius, ſed *ſtatuam* Olympiae Apollinis monitu Oebotae Dymaeo poſitam fuiſſe docet, qui Olympiade VI. *ſtadio* vicerat.

Ceterum huius Archontis anno narrat Diodorus Athenienſes in Aegypto cum Perſarum ducibus foedus iniiſſe; quumque ex Aegypto digreſſi forent, incolumes in patriam rediiſſe; quod tamen Dodvellus in anno proximo collocavit.

Hippocrates hoc anno in lucem editus memoratur, ut Soranus in eius Vita adnotavit: Γεννηθεὶς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδοηκοςῆς Ὀλυμπιάδος *natus anno primo LXXX. Olympiadis*.

An. $\frac{1}{2}$. Philocles Athenis Archon CCXXV.

Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus III.
L. Cornelius Ser. F. L. N. Maluginenſis Coſſus Coſſ.

Ly-

(1) Ad Pyth. IV. V. VI. (2) Eliac. II. c. 8. & Achaic. c. 17. (3) Eliac. II. c. 3. & Achaic. c. 17.

Lyſias Cephali filius hoc anno natus dicitur a Plutarcho (1): Γενόμενος Ἀθήνησιν ἐπὶ Φιλοκλέους Ἄρχοντος τοῦ μετὰ Φρασικλῆ, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος *natus Athenis Archonte Philocle qui Phraſicli ſucceſſit ſecundo anno octogeſimae Olympiadis*. Ac natalem quidem Lyſiae diem ante Poſideonis menſis exitum incidiſſe, eiuſque ortum a Philoclis Archontis anno dimoveri non poſſe ſubtiliori temporum comparatione inſtituta iam demonſtravi (2), ſimulque implexa quaedam Scriptorum teſtimonia explicavi. Philoclis huius Archontis anno dicitur Aeſchylus Agamemnonis Dramate certaſſe: Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Ἄρχοντος Φιλοκλέους Ὀλυμπιάδι εἰκοστῇ ὀγδόῃ ἔτει δευτέρῳ. Πρῶτος Αἴσχυλος Ἀγαμέμνονι . . . . . ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς *Edita eſt Fabula Archonte Philocle Olympiade viceſima octava anno ſecundo. Primus Aeſchylus Agamemnoni . . . . Choragus erat Xenocles Aphidnenſis*. Legendum ὀγδοηκοστῇ. Vereor tamen ne Scholiaſtes ille nos fallat. Siquidem Aeſchylus, Plutarcho (3) teſte, anno 4. Olymp. LXXVII. repulſa offenſus Athenis diſceſſit, vitamque in Sicilia degens anno 1. ſequentis Olympiadis ibi interiit.

Hoc anno, ſive potius exeunte *primo*, bellum a Corinthiis, atque Epidauriis contra Athenienſes conflatum fuit, in quo Athenienſes ipſi ad Halieas ſuperati ſunt; ut nitide tradidit Thucydides (4); quamvis Diodorus (5) illos victores fuiſſe dixerit.

An. $\frac{2}{3}$. Bion Athenis Archon CCXXVI.

C. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus II.
L. Minucius Augurinus Coſſ.

Bionem hunc anno 3. huius Olympiadis, quem illi Diodorus (6) adſcripſerat, tribuendum eſſe perſpicuis certiſque characteribus contra Dodvellum oſtendi (7), qui illum ſua veluti ſede pulſum in annum 3 Oly. LXXXVI coniecerat. Pindari tamen mortem, quam Meurſius ſibi hac in parte mirifice inconſtans huius Archontis anno, alibique

(1) Vit. X. Rhet. in L. fia. (2) Tom. II. pag. 69. (3) In Cimone. (4) Libr. I. c. 105. (5) Lib. XI. c. 78. (6) Lib. XI. c. 79. (7) Tom. II. pag. 58.

que anno 3. Olymp. LXXXI. Ariſtonis Archontis tempore, Dodvellus autem anno 3. Olymp. LXXXVI. una cum Bionis Archontis nomine adſcribit, non alteri veriſimilius quam $\frac{2}{3}$. Olympiadis LXXXIII. anno tribuendam eſſe demonſtravi. Ita nimirum, ut argumenta cetera iam explicata diſſimulem, optime intelligi, ſalvarique poterit quod Pindarus ipſe, ut Scholiaſtes ait, *γέγονε κατὰ τὺς χρόνυς τῦ Α'ισχύλυ καὶ συγγεγένηται ἀυτῷ καὶ τέθνεκεν fuit temporibus Aeſchyli iiſdem ac ille natus & defunctus*; ſi Aeſchylus quidem 4. Pindarus $\frac{2}{3}$. Olympiadis eiuſdem anno e vivis exceſſerit.

Hoc anno, quum Athenienſium claſſis adhuc in Aegypto verſaretur, Athenienſes ipſi Leocrate duce cum Corinthiis, Epidauriis, atque Aeginetis dimicarunt. Itaque a Corinthiis quidem ad *Halias* ſuperati ſunt, ut ingenue fatetur Thucydides (1), & Iuſtinus (2); quamvis Diodorus victores illos appellet. Aeginetas vero praelio ſuperarunt, ut Thucydides ipſe, ſimulque Diodorus teſtantur. Singula haec Athenienſium certamina in eximio praeſtantiſſimoque Marmore memorantur, quod opportunius alibi (3) expoſui; in quo Athenienſium militum nomina recenſentur, qui in *Aegypto*, in *Haliis*, in *Aegina*, in *Corintho*, & *Megaris* interempti ſunt. Quandoquidem vero in Marmore cives illi non memorantur, qui apud Tanagram obierint, inferri poterit bellum hoc affecto iam anno 4. contigiſſe; ut proinde Diodorus bellum ipſum in ſequentis Archontis anno collocaverit.

An. $\frac{3}{4}$. Mneſitheus Athenis Archon CCXXVII.

C. Horatius M. F. M. N. Pulvillus
Q. Minucius Augurinus Coſſ.

Archon ille *Mneſithides* a Diodoro (4) vocatur: *Τῦ δ' ἐνιαυσιαίυ χρόνυ διεληλυθότος Α'θήνησιν ἦρχε Μνησιθείδης finito iam anno Archon fuit Athenis Mneſithides*. Ariſtophanis vero Scholiaſtes (5) *Mneſitheum* appellat, ſimulque ipſius in Fa-

(1) Lib. I. c. 105. (2) Lib. III. c. 6. (3) Tom. I. pag. 159. (4) Lib. XI. c. 81.
(5) Ad Acharn. ver. 10.

ſtis Atticis ſitum confirmat. Ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ Ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον *obiit enim ſub Archonte Callia Mneſithei ſucceſſore*. Meurſius [1] aſſerit *Mneſitbidem* hunc a Demoſthene memorari Sed inſignem hunc ipſius errorem opportunius alibi demonſtravi [2]; quum *Mneſithides* ille Demoſtheni laudatus circa Olymp. CX. Pſeudeponymus ſolum Archon proceſſerit.

Quum Corinthii Megarenſium agrum invaderent [3], Athenienſes ipſis Myronide duce ſuppetias tulerunt [4]; licet adhuc Thucydide teſte [5] Athenienſes ipſi tum in Aegypto. [illegible] militarent. Itaque Athenienſes Corinthios tum Megaris, tum in Cimolia, tum alibi quoque ſuperarunt.

OLYMPIAS LXXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4258. Vrb. Cond. 298.
Callias primus Athenis Archon CCXXVIII.

M Valerius Man. F. Voluſi N. Maximus
Sp. Virginius Coelimontanus Tricoſtus Coſſ.

Polymnaſtus Cyrenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, Diodoro, ac Dionyſio.

Archontis, & Olympionicae nomen a Diodoro [6] exprimitur: Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου Ὀλυμπιὰς ἤχθη μία πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ϛάδιον Πολύμναϛος Κυρηναῖος *Archonte Athenis Callia Olympias acta eſt octogeſima prima, qua vicit ſtadio Polymnaſtus Cyrenaeus*. Ita Dionyſius [7]: Ὀλυμπιὰς μὲν ἦν ὀγδοηκοϛὴ καὶ πρώτη, ἣν ἐνίκα ϛάδιον Πολύμναϛος Κυρηναῖος, Ἀθήνησι δὲ Ἄρχων Καλλίας *Olympias erat octogeſima prima, qua vicit ſtadio Polymnaſtus Cyrenaeus, Athenis autem Archon fuit Callias*. Archon ipſe Aeſchylique mors, quae in ipſius annum inciderat, ab Oxonienſi Chronico memoratur [8]: Ἀφ᾽ οὗ Αἰσχύλος ποιητὴς βιώσας ἔτη |Δ|ΔΠIIII. ἐτελεύτησεν ἐν Γέλᾳ τῆς Σικελίας, ἔτη H|Δ|ΔΔΔΔIII. , Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ προτέρου *a quo Aeſchylus poëta, quum vixiſſet an. LXIX. diem*

(1) De Arch. Ath. Libr. III. c. 18. (2) Tom. I. pag. 356. (3) Diod. Lib. XI. c. 82. (4) Lib. XI. c. 84. (5) Lib. I. c. 105. (6) Lib. XI. c. 84. (7) Lib. X. n. 26. (8) Epoch. 60. lin. 74.

diem obiit in Gela Siciliae anni CXCIII., Archonte Athenis Callia primo. Ita Ariſtophanicus etiam Scholiaſtes (1) aſſerit quod Aeſchylus ipſe ἐτελεύτησεν ἐπὶ Ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον τούτοις πρότερον ἐνιαυτόν *obiit Archonte Callia, qui Mneſitheo ſucceſſit, anno antequam haec fabula ederetur*. Ubi mutilum Scholiaſtae locum opportune ſupplevit Palmerius τούτοις πρότερον ἐνιαυτῷ λ', quod nimirum a Calliae Archontis anno ad annum 3. Oly. LXXXVIII. quo Acharnenſes editi ſunt, 30. anni intercesſerint.

Herodotus Olympiorum tempore Hiſtoriam a ſe conſcriptam publice recitavit, tumque Thucydides Herodotum audiens illacrymaſſe, Hiſtoriaeque ſcribendae amore incenſum fuiſſe dicitur. Id vero non Athenis, ſed in Elide, contigiſſe ſcribit Lucianus (2).

Athenienſes hoc anno Tolmida duce Laconiam depopulantur (3); Methonem, Gythium, Zacynthum, Naupaċtum occupant, atque Aeginetas recipiunt. Ii vero, qui interim infeliciter in Aegypto dimicarunt, in patriam revertuntur (4).

An. $\frac{1}{2}$. Soſiſtratus Athenis Archon CCXXIX.

Romilius T. F. T. N. Rocus Vaticanus
C. Veturius Cicurinus Coſſ.

Soſiſtratus Archon a Diodoro memoratur (5), qui Periclem hoc anno militum ducem electum eſſe, atque varias Peloponneſi regiones ab illo vexatas fuiſſe, omneſque Acarnaniae urbes in fidem recepiſſe teſtatur.

Secundo Olympiadis huius anno adnotavit Euſebius Cratinum, & Platonem Comicos floruiſſe; quorum uterque veteris Comoediae princeps Athenis habebatur.

An. $\frac{2}{3}$. Ariſton Athenis Archon CCXXX.

Sp Tarpeius M. F. M N. Montanus Capitolinus
A. Aterius Fontinalis Coſſ.

 Ari-

(1) Ad Acharn. Act. I. ſc. 1. verſ. 10. (2) De Conſcrib. Hiſtor. (3) Diodor. Lib. XI. c. 84. (4) Thucyd. Lib. 108. (5) Lib. XI. c. 85.

Ariſtonis Archontis meminit Diodorus (1).

Myronides Athenienſium dux contra Theſſalos militavit, ac Pericles Sicyonios, & Achaeos ſuperavit, ut Diodorus, Thucydides (2), & Plutarchus (3) etiam oſtendit; qui Sophoclem Poëtam Periclis in imperio collegam fuiſſe obſervavit. Diodorus tamen haec Periclis facinora in proxime ſequentem annum revocavit; quamvis ſibi non conſtans *quinquennales* inducias hoc anno inter Athenienſes, & Lacedaemonios ſancitas eſſe dixiſſet: quod a perſpicuo Thucydidis teſtimonio abhorret, qui inducias ipſas *tertio* demum anno factas aſſeruit poſtquam Pericli imperium commiſſum fuerat.

An. $\frac{3}{4}$. Lyſicrates Athenis Archon CCXXXI.

Sex. Quinctilius Sex. F. P. N. Varus
P. Horatius Tergeminus Coſſ.

Archontis huius meminit Diodorus (4), & Scholiaſtes Aeſchinis, quem ad annum $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. iam protuli. Etenim ille teſtatur Athenienſium colonos, qui Amphipolim deducti fuerant, Lyſicratis Archontis anno ſuperatos eſſe. Viciſſim a Pericle coloniam in Cherſoneſum, atque a Tolmide Naxum deductam fuiſſe Diodorus teſtatur, quod ex Plutarcho (5) quoque facile confirmari poteſt.

Thraſidaeus Thebanus, qui Pythiade XXVIII. *puerorum ſtadio* iam vicerat, hac Pythiade XXXIII iterum vel *ſtadio*, vel *diaulo virorum* palmam obtinuit ex Scholiaſte (6) Pindari.

OLYMPIAS LXXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4262. Vrb. Cond 302.
Chaerephanes Athenis Archon CCXXXII.

P. Sextius Q. F. Vibii N. Capitolinus
T. Menenius T. F. Agrippae N. Lanatus Coſſ.

Ly-

(1) Libr. XI. c. 86. (2) Libr. I. c. 111. (3) In Pericle. (4) Libr. XI. c. 88. (5) In Pericle. (6) Ad Pythiac. XI.

Lycus Theſſalus Lariſſaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Dionyſio.

Archon, & Olympionica quoque a Dionyſio laudatur [1]: Ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα στάδιον Λύκος Θέσσαλος ἀπὸ Λαρίσσης, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χαιρεφάνους *octogeſima ſecunda Olympiade, qua vicit ſtadio Lycus Theſſalus Lariſſaeus, Archonte Athenis Chaerephane*. Diodorus vero Chaerephanis quidem nomen, annumque omiſit; ſed depravatos tamen Conſulum Faſtos exſcribens *Antidoto* Archonti mox inſequuto *L. Poſthumium*, & *M. Horatium* Conſules coniungit, qui iuxta Diodori Faſtos ad annum 4. Oly. LXXX. referendi fuerant. Itaque hiatus ille, qui apud Diodorum Archontis Chaerephanis nomen abſorbuit, univerſam quoque anni ipſius hiſtoriam nobis eripuit.

Pſaumis etiam Camarinaeus Acronis filius *tethrippo*, *apene*, & *celete* palmam obtinuit, quae a Pindaro [2] celebrata fuit, ut a Scholiaſte erudimur: Γέγραπται ἡ Ὠδὴ Ψαύμιδι τεθρίππῳ, καὶ ἀπήνῃ, καὶ κέλητι νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα *ſcripta eſt Ode Pſaumidi, qui tethrippo, apene, & celete victor fuit Olympiade octogeſima ſecunda*.

Hoc anno Ion Chius Orthomenis filius Tragoedias ediſſe dicitur. Etenim Suidas ait: ἤρξατο τὰς Τραγῳδίας διδάσκειν ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος *coepit Tragoedias docere octogeſima ſecunda Olympiade*.

An. $\frac{1}{2}$. Antidotus Athenis Archon CCXXXIII.

Decemviri Conſulari poteſtate
Inibant Idibus Maiis
App Claudius Ap. F. M. N. Craſſin Regill.
T Genucius L. F. L. N. Augurinus
Sp Veturius Sp. F. P. N. Craſſus
C. Iulius C. F. L. N. Iulus
A. Manlius Cn. F. P. N. Vulſo
Sp. Poſthumius A. F. P. N. Albus Regill.
Ser. Sulpicius Ser. F. P. N. Camerinus
P. Seſtius Q. F. Vib. Nepos Capitolinus

T. Ro-

(1) Lib. X. num. 53. (2) Olymp. IV. & V.

T. Romilius T. F. T. N. Rocus Vaticanus
P. Horatius Tergeminus.

Archontem hunc exhibet Diodorus [1]: Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιδότου *Archonte Athenis Antidoto.*

Huic anno Pindari mortem adſcribendam eſſe putaverim. Siquidem ipſius Scholiaſtes ait: τέθνηκεν ὁ Πίνδαρος ἑξ καὶ ἑξήκοντα ἐτῶν γεγονὼς, ἢ ὥς τινες, ὀγδοήκοντα ἐπὶ Ἀβίωνος Ἄρχοντος, κατὰ τὴν ἕκτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα *obiit Pindarus ſex & ſexaginta, ſive, ut quidam putant, octoginta annos natus, Archonte Abione, octogeſima ſexta Olympiade.* Inſignem hunc Pindarici Scholiaſtae locum mire a Meurſio, Dodvello, ceteriſque vexatum eſſe iam alibi demonſtravi [2]: ſimulque oſtendi neque Abionem, ſive Bionem, ex Olympiade LXXX. ad LXXXVI. cum Dodvello transferri, neque in Scholiaſtae loco *Ariſtonis* nomen cum Meurſio reponi poſſe. Itaque illud unum ex Scholiaſte deduci debet quod Pindarus in quorumdam ſententia *ſexageſimo ſexto* aetatis anno, ſecundum alios *octogeſimo* e vivis exceſſit. Si prior illa ſententia eligatur, quum is anno $\frac{3}{4}$. Oly. LXV. natus fuerit, 66. aetatis annus, adeoque ipſius mors, in annum hunc incidet, poſtquam Pſaumidis victoriam ineunte Olympiade partam celebraverat. Sin vero cum aliis ipſi 80. aetatis anni concedantur, optime ipſius mors ad Olymp. LXXXVI. referetur; ut proinde hac in parte Scholiaſtes ſibi conſentiat. Priorem tamen ſententiam ipſe praetulerim: non modo quod nulla prorſus victoria Olymp. LXXXII. poſterior a Pindaro celebrata reperiatur, ut contra Dodvellum, ac Fabricium [3] oſtendi, verum etiam quod ipſe ineunte ſolum, non devexa ſenectute obiiſſe videatur, ut ipſius verbis demonſtravi. Ita Pauſanias [4] etiam ait: λέγεται καὶ ὀνείρατος ὄψιν αὐτῷ γενέσθαι προήκοντι ἐς γῆρας *viſum in ſomnis illi in ſenectutem vergenti contigiſſe fertur;* decimoque poſt die fato iam functum fuiſſe teſtatur.

An.

(1) Lib. XI. c. 91. (2) Tom. II. pag. 56. (3) Bibl. Graec. Tom. I. pag. 55?.
(4) Boeot. c. 23.

An. $\frac{2}{3}$. Euthydemus Athenis Archon CCXXXIV.

Decemviri Conſulari poteſtate
Inibant Idibus Maiis
Ap. Claudius Ap. F. M. N. Craſſin. Regillen. II.
M. Cornelius Ser. F. L. N. Malugin.
L. Minucius Augurinus
T. Antonius Merenda
M. Sergius
Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus
M' Rabuleius
Q. Poetelius
K. Duilius
Sp. Oppius Cornicens.

Meminit Archontis huius Diodorus (1).

Quinquennales induciae inter Peloponneſios omnes, atque Athenienſes hoc anno Cimone Miltiadis filio praeſertim auctore conſtitutae ſunt, ut coniunctis una coſiliis, ac viribus contra Perſas dimicarent (2). Itaque Cimon in Cyprum inſulam cum claſſe traiiciens Citium expugnat, Perſarum claſſem e Cilicia, ac Phoenicia venientem ſuperat, quum naves centum cepiſſet, ceteraſque in Phoeniciam uſque repuliſſet. Diodorus quinquennales quidem inducias inter Lacedaemonios, atque Athenienſes ſancitas in anno 3. ſuperioris Olympiadis collocavit; optime tamen Cimonis expeditionem huic anno adſcripſit.

An. $\frac{3}{4}$. Pediaeus Athenis Archon CCXXXV.

Decemviri iidem. Sed ab Id. Decembr.
L. Valerius P. F. P. N. Poplicola Potitus Coſſ.
M. Horatius M. F. M. N. Barbatus

Pediaei Archontis meminit Diodorus (3), qui hoc anno Salaminem in Cypro ab Athenienſibus obſeſſam eſſe teſtatur. Duplicemque ipſorum victoriam tum maritimam, tum pe-

(1) Lib. XII. c. 3. (2) Thucyd. Lib. I. c. 112. (3) Lib. XII. c. 4.

pedeſtrem narrat Thucydides [1], ſed utramque tamen poſt Cimonis mortem contigiſſe dicit. Etenim hic idem annus Cimonis, ſimulque Themiſtoclis morte inſignis fuit, ut collatis invicem Veterum teſtimoniis demonſtravit Dodvellus [2]. Ac Themiſtocles quidem ex Plutarcho 65. aetatis anno interiit; ut proinde anno $\frac{2}{3}$. Olymp. LXVI in lucem editus Marathoniae pugnae tempore 24. annum egerit, adeoque optime a Plutarcho *νέος*, a Iuſtino [3] *adoleſcens* dicatur, viceſimum tamen aetatis annum ſupergreſſus, ut externis bellis adeſſe potuerit.

Cimon vero Marathoniae pugnae tempore a Nepote [4] *puer* fuiſſe dicitur, quumque Salamine vinceretur *νέος* a Plutarcho ille dicitur, perinde quaſi tunc viceſimum aetatis annum nuper impleverit. Ergo, ſi anno 1. Olymp. LXX. natus dicatur, *quinquageſimo* aetatis anno e vivis exceſſerit.

Hic autem annus, ſi Diodori fidem ſequamur, foedere quoque, ac pace ab Athenienſibus cum Perſis inita inſignis fuit. Quum enim Artaxerſes Perſarum Rex ſuorum cladem in Cypro acceptam reſciviſſet, legatos Athenas miſit, qui ineundae pacis conſilia proponerent; quumque viciſſim Callias Hipponici filius Athenienſium Legatus cum Perſis tranſegiſſet, pax & foedera iis conditionibus ſancita ſunt, quas Diodorus expreſſit. Plutarchus [5] quidem, Lycurgus [6], Ariſtides [7], & Suidas [8] foedera ipſa poſt pugnam ad Eurymedontem, adeoque anno 3. Olymp. LXXVII. pacta fuiſſe ſubindicat, ut proinde Dodvellus [9] pacem ipſam in anno 3. Olymp. LXXVII. collocaverit. At elegans, doctuſque Diodori Interpres Weſſlingius obſervavit etiam poſt praelium ad Eurymedontem perpetuas Athenienſibus cum Perſis inimicitias viguiſſe; ut proinde nulla tunc foedera cum Perſis inita, vel brevi ſaltem dirempta, ſive neglecta videantur. Itaque vera ac ſtata foedera hoc potius anno inſtituta videntur, quo Athenienſes victores ex Cypro copias abduxere.

OLYM-

(1) Lib. I c. 112. (2) Annal. Thucyd. pag. 100. (3) Lib. II. c. 9. (4) Cap. 2 (5) In Cimone. (6) Adv. Leocr. (7) In Panathen. (8) In Κίμων. (9) Annal. Thucyd. pag. 67. 99.

OLYMPIAS LXXXIII.

An. 4. Per. Iul. 4266. Vrb. Cond. 306.
Philiſcus Athenis Archon CCXXXVI.

Lars Herminius
T. Verginius Coelimontanus Tricoſtus Coſſ.

Criſon Himeraeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, Diodoro, ac Dionyſio.

Et Archontis, & Olympionicae nomen expreſſit Diodorus (1): Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλίσκȣ Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα τρίτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Κρίσων Ἱμεραῖος *Archonte Athenis Philiſco Elei celebrarunt octogeſimam tertiam Olymp., in qua ex ſtadio victoriam reportavit Criſon Himeraeus*. Ita Dionyſius (2): Ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοςῆς καὶ τρίτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα ςάδιον Κρίσων Ἱμεραῖος, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλίσκȣ *Octogeſima tertia Olympiade, qua vicit ſtadio Criſon Himeraeus, Archonte Athenis Philiſco*. Criſonem ipſum Olympiorum victorem, diſſimulato Olympiadis numero, memorat Pauſanias (3) aſſerens quod ταύτας συνθήκας ἐποιήσαντο Ἀθηναῖοι ἔτει τρίτῳ τῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Κρίσων Ἱμηραῖος ἐνίκα ςάδιον *hoc foedus fecerunt Athenienſes anno tertio Olympiadis, qua Criſon Himeraeus vicit ſtadio*: eiuſdemque Victoris frequens apud Scriptores alios mentio occurrit, quos accuratiſſime exſcripſit Meurſius.

Quum Megarenſes ab Athenienſibus ad Lacedaemonios defeciſſent, depraedatis ipſorum agris Athenienſes ingentem ſpoliorum vim aſportarunt (4).

Quumque Lacedaemonii Templum Delphicum Delphis reſtituiſſent, Athenienſes Templum ipſum mox Delphis ereptum Phocenſibus tradidere (5).

(1) Lib. XII. c. 5. (2) Lib. XI. num. 1. (3) Eliac. I. c. 23. (4) Diod. Lib. XII. c. 5. (5) Thucyd. Lib. I. c. 112.

An. $\frac{1}{2}$. Timarchides Athenis Archon CCXXXVII.

M. Geganius M. F. Macerinus }
C. Iulius Iulus } Coſſ.

Archontis nomen apud Diodorum unum occurrit [1], qui Lacedaemonios hoc anno in Atticam irrupiſſe dicit, de quo nihil tamen in Thucydide reperitur. Itaque recte coniecit Dodvellus [2] diſcordiam hanc ad bellum illud revocandam eſſe, quae ſuperiori anno contigerat quum Delphicum Templum a Lacedaemoniis Delphis conceſſum Athenienſes Phocenſibus tradiderunt.

Thucydides [3] vero, ac Diodorus ipſe memorat Athenienſes duce Tolmide contra Boeotos exules, qui Orchomenum & Chaeroneam occupaverant, infeliciter dimicaſſe, ut proinde Boeotia univerſa excedere compulſi ſint; ac Tolmides ipſe apud Coronaeam fortiter dimicans occubuerit. Haec ipſa Athenienſium clades a Pauſania [4] quoque, Plutarcho [5], & Thucydide [6] deſcribitur.

An. $\frac{2}{3}$. Callimachus Athenis Archon CCXXXVIII.

T. Quinctius Capitolinus Barbatus IV. }
Agrippa Furius Fuſus } Coſſ.

Callimachus hic a Diodoro ſolo memoratur [7], qui, exactis iam 58. annis poſtquam Sybaris a Crotoniatis everſa fuerat, Theſſalos quoſdam illuc habitatum conceſſiſſe ſcribit [8]: *καὶ μετ' ὀλίγον ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἐξέπεσον, πέντε ἔτεσιν ὕστερον τοῦ δευτέρου συνοικισμοῦ ſed illi paullo poſt quinquennio vix tranſacto poſt inſtaurationem a Crotoniatis eiecti ſunt*. Itaque Sybaritae ſecundo e Patria expulſi Athenienſium opem implorarunt, qui Lampone, & Xenocrate ducibus colonos alios miſerunt, qui prope Sybarim Thurium urbem aedificarunt.

Ita-

(1) Lib. XII. c. 6. (2) Annal. Thucyd. pag. 102. (3) Lib. I. c. 113. (4) Attic. c. 27. (5) In Ageſilao & Pericle. (6) Lib. I. c. 112. (7) Libr. XII. c. 7. & 10. (8) Ibi. c. 10.

Itaque prima Thuriorum origo huic anno adſcribi debet, quamvis illa Praxitelis Archontis anno, ſeu Oly. LXXXIV. a Plutarcho [1], & Meurſio [2] tribuatur; quemadmodum Dionyſius ipſe in Lyſiae vita id δωδεκάτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου *anno duodecimo ante bellum Peloponneſiacum* contigiſſe dicit, quod nimirum hoc anno conſilia de colonis mittendis inita, ſed anno demum $\frac{4}{1}$. proxime inſequuto expleta fuerint.

Quum vero Euboeenſes, ac Megarenſes etiam ab Athenienſibus defeciſſent, ii Pericle praeſertim duce ſuperati ſunt, ut Thucydides [3], ac Diodorus [4] ipſe teſtatur.

An. $\frac{3}{4}$. Lyſimachides Athenis Archon CCXXXIX.

M. Genucius L. F. L. N. Augurinus
C. Curtius. Coſſ.

Diodorus Archontis nomen, ac ſitum oſtendit [5], aſſeritque Athenienſes Euboea recepta Hiſtiaeos Pericle duce ſuis e ſedibus expuliſſe, urbemque ac regionem mille Athenienſium civibus illuc in coloniam ductis diviſiſſe.

Ariſtomenes Aegineta Xenarcis filius *lucta* puerorum Pythia vicit. Siquidem Pindarus, qui ipſum Pythiaca VIII. celebravit [6], *puerum* ipſum appellat, moxque [7] *luctatoris* ab illo vocatur, ſolaque lucta viciſſe innuitur; quamvis alibi [8] Delphinia iam *pentathlo* viciſſe memoretur. In Odes titulo Ariſtomenem *curru* viciſſe legitur, ſed errore, opinor, librarii. Ceterum haec Ariſtomenis victoria a Pindarico Scholiaſte Pythiade XXXV. hoc eſt $\frac{3}{4}$. huius Olympiadis anno contigiſſe dicitur.

Huius Archontis anno Lacedaemonii Eleuſinam uſque, & Thriaſios campos in Atticam excurrunt [9]: quod *quinquennales* nimirum induciae abſolutae iam forent. Certe irruptionem hanc anno 14. ante Peloponneſiaci belli initium contigiſſe narrat Thucydides (10). Brevi tamen, hoc eſt, ex Dodvelli calculo, exeunte Munychione menſe, *tricennales* in-

(1) Vit. X. Rhet. in Lyſia. (2) Lect. Att. Lib. IV. c. 15. (3) Lib. I. c. 114. (4) Libr. XII. c. 7. (5) Libr. XII. c. 22. (6) Verſ. 39. 45. (7) Verſ. 116. (8) Verſ. 94. (9) Thucyd. I. c. 114. (10) Lib. II. c. 21.

duciae inter Athenienſes ac Lacedaemonios ſancitae ſunt, de quibus Thucydides. Ita Pauſanias (1) de induciis ipſis loquens ait: Ταύτας ἐποιήσαντο Ἀθηναῖοι παραστησάμενοι τὸ δεύτερον Εὔβοιαν ἔτει τρίτῳ τῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Κρίσων Ἱμεραῖος ἐνίκα στάδιον *fecerunt Athenienſes foedus hoc redacta iterum in ditionem Euboea, anno tertio eius Olympiadis, qua vicit Criſon Himeraeus*. Denique Euſebius etiam tricennales inducias illas in anno 4. huius Olympiadis collocavit; ac deinde ſubdidit quod Ἡρόδοτος ἐτιμήθη παρὰ τῶν Ἀθηναίων βουλῆς ἐπαναγνοὺς αὐτοῖς τὰς βίβλους *Herodotus honore affectus eſt ab Athenienſium Senatu, quum ipſis libros ſuos obtuliſſet*. At, ſi Herodotus Libros illos magnorum Panathenaeorum tempore recitavit, ut optime Scaliger (2) exiſtimavit, id ſuperiori prorſus anno contigiſſe debuit, antequam Thurios ille una cum colonis aliis migraret.

OLYMPIAS LXXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4270. Vrb. Cond. 310.
Praxiteles Athenis Archon CCXL.

Tribuni Militares Conſulari poteſtate primi
A. Sempronius A. F. Atratinus
T. Cloelius Siculus
L. Attilius Longus
Conſules ſuffecti in eorum locum
L. Papirius Mugillanus
L. Sempronius A. F. Atratinus

Olympionicae, ſimulque Archontis meminit Diodorus (3): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πραξιτέλους Ὀλυμπιὰς ἤχθη τετάρτη πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Κρίσων Ἱμεραῖος *Archonte Athenis Praxitele Olympias acta fuit octogeſima quarta, qua vicit ſtadio Criſon Himeraeus*. In Olympicis Ludis iſtis *calpes* & *apenes* certamina ſublata ſunt. Pauſanias (4): Τῆς δ' ἀπήνης καὶ κάλπης τὸν δρόμον τὸν μὲν Ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ, τὸν δὲ κάλπης τῇ ἐφεξῆς ταύτης· κήρυγμα ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἐποιήσαντο ἐπὶ τῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδοηκοστῆς

(1) Eliac. I. c. 23. (2) Ad Euſeb. Chron. pag. 97. (3) Lib. XII. c. 23. (4) Eliac. I. c. 8.

ϛῆς κάλπης τῆ λοιπῆ, μήτε ἀπήνης ἔσεσθαι δρόμον *Quumque in curriculum recepiſſent Olympiade ſeptuageſima rhedam, carpentum vero ea, quae conſequuta eſt, quarta & octogeſima utrumque vehiculum in poſterum omne tempus excluſum eſt.*

Praxiteles autem Archon a Plutarcho (1) quoque memoratur ἔτη γεγονὼς πεντεκαίδεκα, ἐπὶ Παραξιτήλυς Ἄρχοντος *actum hoc anno aetatis eius quinto decimo Archonte Praxitele*. Huius Archontis anno Thucydidem illum Mileſii filium, qui Pericli in Republica adverſabatur, Periclis eiusdem fraudibus oſtraciſmo, ſive potius exilio Athenis pulſum eſſe demonſtravit Dodvellus (2). Itaque Pericles, qui 25. annis in Republica cum adverſae factionis principibus verſatus erat, hoc anno, ceteris iam extinctis vel ſublatis, ſolus praeeſſe coepit, honoremque illum 15. annis obtinuit.

Meliſſus, Protagoras, Empedocles hac Olympiade floruiſſe dicuntur a Laërtio (3). Euſebius etiam in anno proximo adnotavit: Πρωταγόρας ὁ Σοφιϛὴς ἤκμαζε. Τῦτε Ἀθηναῖοι τὰς βίβλυς ἐψηφίσαντο καῦσαι *Protagoras Sophiſta clarus habebatur. Huius Libros Athenienſes comburendos decrevere.*

Herodotus hoc anno in Olympicis Ludis Hiſtoriam a ſe conſcriptam recitaſſe videtur. Certe Libros illos in patria conſcriptos in Olympiae conventu recitatos eſſe teſtatur Lucianus (4); Hiſtoriam autem hanc ab Herodoto anno Vrb. Cond. 310 hoc eſt 1. Olymp. LXXXIV. ſcriptam eſſe ait Plinius (5).

An. $\frac{1}{2}$. Lyſanias Athenis Archon CCXLI.

M. Geganius M. F. Macerinus
T. Quinctius Capitolinus Barbatus V. Coſſ.
Inibant Id. Decembr.

Diodorus Archontem hunc nominat (6). Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσανίυ Ῥωμαῖοι πάλιν δέκα ἄνδρας νομοθέτας εἵλοντο *Archonte Athenis Lyſania Romani iterum Decemviros legibus ſcribundis crearunt*. Siquidem Decemviros novis ſcribendis legibus ſuperiori anno iam conſtitutos eſſe dixerat.

An.

(1) Vit. X. Rhet. in Lyſia. (2) Annal. Thucyd. pag. 106. (3) Libr. IX. (4) In Herodoto. (5) Lib. XII. c. 4. (6) Lib. XII. c. 24.

An. $\frac{2}{3}$. Diphilus Athenis Archon CCXLII.

M. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus Coſſ.
Poſthumus Aebutius Elva Cornicen.

Diphilus Archon a Diodoro, Dionyſio, ſimulque Oxonienſi Marmore nominatur. Diodorus (1): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλε Ρωμαῖοι κατέστησαν ὑπάτες Μάρκον Ὁράτιον, καὶ Λεύκιον Οὐαλήριον Πότιτον *Archonte Athenis Diphilo Romae Conſules creantur M. Horatius, & L. Valerius Potitus*. Dionyſius (2) de primis Proconſulibus Romae inſtitutis loquens ait: ὗτοι παραλαμβάνεσι πρῶτοι τὴν Ἀνθυπάτων ἀρχὴν κατὰ τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλε *hi primi Proconſules creati ſunt anno tertio octogeſimae quartae Olympiadis Archonte Athenis Diphilo*. Denique Oxonienſe Chronicum (3): Ἀφ' ὗ Εὐριπίδης ἐτῶν ὢν ΔΔΔΔΙΙΙ. Τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησεν ἔτη Η|Δ|ΔΔΠΙΙΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διφίλε, ἐβίωσαν δὲ κατ' Εὐριπίδην Σωκράτης, καὶ Ἀναξαγόρας *a quo Euripides, quum annos natus eſſet 43. Tragoedia primum vicit, anni CLXXIX. Archonte Athenis Diphilo; vixerunt autem tempore Euripidis Socrates, & Anaxagoras*. Seldenus ibi legendum putaverat 180. Lydiatus optime exiſtimavit ibi numerum 179 legendum eſſe, ut Archon ille conſtanti methodo ad ſuperiorem Olympiadis annum referatur; quamvis Palmerius malit 178. ut Marmor una cum Diodoro conſpiret. Ac certe quidem Euripidis aetas in Marmore expreſſa mire conſentit. Etenim, ſi Philocratis Archontis anno natus erat, Diphilo Archonte 43. annum agens Tragoedia vicit; annique ipſi abſoluti forent. Itaque fallitur Prideauxius (4), qui, quum annos illos affectos ſolum putaret, in Marmore numerum 180. reſcribendum aſſeruit, Diphilumque ipſum ad annum 1. Olymp. LXXX. temere revocavit.

Hic ipſe Diphilus Athenis Archon in inedito Photii Lexico apud Dodvellum (5) occurrit: Ἐπὶ Διφίλε Ἄρχοντος ἔγραψαν ψήφισμα τὰς ὁμήρες καταλέξαι Ἐρετριακῶν πλεσιωτάτων

ſub

(1) Lib. XII. c. 26. (2) Lib XI. n. 62. (3) Epoch. 61. lin. 75. (4) Ad Mar. Oxon. pag. 223. (5) Diſſert. de Cyclis pag. 742.

ſub Diphilo Archonte decreto ſanxerunt, ut Eretriacorum ditiſſimi obſides acciperentur; quod totidem fere verbis a Suida [1] memoratur. Itaque, quum Athenienſes Euboeam inſulam ante triennium Pericle duce occupaſſent, atque coloniam in Hiſtiaeorum urbem miſiſſent, ditiorum Eretrienſium filios velut obſides receperunt.

An. $\frac{3}{4}$. Timocles Athenis Archon CCXLIII.

C. Furius Fuſus Pacilus
M. Papirius Craſſus Coſſ.

Archontem exhibet Diodorus [2]: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Τιμοκλέυς Ῥωμαῖοι κατέςησαν ὑπάτυς Λάρον Ἑρμίνιον καὶ Τῖτον Οὐεργίνιον Τρίκοςον *Archonte Athenis Timocle, Romae Conſules facti Lars Herminius, & T. Verginius Tricoſtus*. Scholiaſtes [3] tamen Ariſtophanis Archontem hunc *Periclem* appellaſſe videtur. Etenim ad Comici verba Τὰν Σάμῳ adnotavit: τὰ περὶ Σάμυ ἐννεακαιδεκάτῳ ἔτει πρότερον ἐπὶ Περικλέυς Ἄρχοντος γέγονε *quae in Samo facta ſunt, undecim ante annis contigere Archonte Pericle*. Ac certe quidem ad annum 2. Oly. LXXXIX. quo Veſpae editae ſunt, ab hoc anno $\frac{3}{4}$. Oly. LXXXIV. *novemdecim* anni fluxerunt. At Plutarchus [4] aſſerit Periclem neque Archontem, neque Polemarchum, neque Theſmothetam, ſed Στρατηγὸν ſolum belliique ducem fuiſſe, quod in bello contra Samios ab Athenienſibus geſto hoc anno contigiſſe narrat Diodorus. Ergo non *Periclis*, ſed *Timoclis* Archontis nomen in Scholiaſtae loco reſtitui debet. Suſpicor tamen & *Ducis*, & *Archontis* etiam nomen ab illo memoratum fuiſſe; adeoque facili levique mutatione locum integrum reſtitui ita poſſe: ἐπὶ Περικλέυς Στρατηγῦ, καὶ Τιμοκλέυς Ἄρχοντος *quum Pericles dux eſſet, atque Archon Timocles*. Ac certe quidem iis temporibus bellum inter Samios, ac Mileſios de Priene excitatum eſſe Thucydides [5] obſervavit, qui Samios a Pericle primum navali praelio ſuperatos, mox victores, tandemque novem menſium obſidione victos teſtatur [6]. Itaque, licet eiuſmodi

(1) In Ἐρετριακὸς Κατάλογος. Vid. Heſych. (2) Libr. XII. c. 27. (3) Ad Veſpas ver. 283. (4) In Pericle. (5) Lib. I. c. 115. (6) Cap. 117.

modi pugnarum pars ad ſequentem annum ſpectaverit, ut proinde a Dodvello ad Myrichidis Archontis annum referantur, maxima tamen ipſarum pars ad Timoclis annum ſpectaſſe potuit, ut proinde & Periclis, & Timoclis nomen in ſuperiori Scholiaſtae loco retineri poſſit.

Hoc eodem anno videtur Herodotus Hiſtoriam ſuam Athenis celeberrimo Panathenaeorum Feſto legiſſe. Siquidem Euſebius ad Olymp. hanc adnotavit: Ἡρόδοτος ἐτιμήθη παρὰ τῆς Ἀθηναίων βϋλῆς ἐπαναγνὺς ἀυτοῖς τὰς βίβλυς *Herodotus, quum Athenis libros ſuos in Concilio legiſſet, honoratus eſt*; quod de Panathenaeorum tempore intelligendum eſſe Scaliger (1), Voſſius (2), Petavius (3), Fabricius (4) exiſtimarunt. Itaque id hoc anno, aut certe 3. ſuperioris Olympiadis contigiſſe debuit, ut ibi obſervavi.

OLYMPIAS LXXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4274. Vrb. Cond. 314.
Myrichides Athenis Archon CCXLIV.

Proculus Geganius Macerinus
L. Menenius T. F. Agripp N. Lanatus Coſſ.

Criſon Himeraeus tertium *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro. Diodorus (5) tamen, qui & Archontis, & Olympionicae meminit, *ſecundam* hanc eſſe Criſonis palmam teſtatur: Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Μυριχίδϋ Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα πέμπτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, ἐν ᾗ ἐνίκα Κρίσων Ἱμεραῖος τὸ δεύτερον *Archonte Athenis Myrichide Elei octogeſimam quintam Olympiadem tunc egerunt, qua Criſo Himeraeus iterum ſtadio vicit*. At error ille inde facile manavit quod Diodorus ipſe ſuperiori Olympiade victoris nomen, adeoque ſecundam Criſonis victoriam, omiſit: unde librarius *ſecundam* ipſam in hac Olympiade temere collocavit, cui *tertia* Olympionicae huius victoria adſcribenda fuerat.

Huius Archontis anno decretum editum fuit ne Comoediae Athenis agerentur, ut variis Veterum teſtimoniis in

(1) Ad Euſeb. pag. 104. (2) De Hiſt. Graec. Lib. I. c. 3. (3) De Doctr. Temp. Lib. XIII. (4) Bibl. Graec. Tomo I. pag. 696. (5) Lib. XII. c. 29.

in Euthymenis Archontis anno, hoc eſt $\frac{3}{4}$. huius Olympiadis oſtendetur, quo decretum illud abrogatum fuit.

Sophocles hoc anno Oedipum edidiſſe debuit. Siquidem Plutarchus (1) ait illum 55. aetatis anno Tragoediam hanc edidiſſe. Itaque, quum ipſius nativitas in annum 3. Oly. LXXI. inciderit, didaſchalia illa huic anno adſcribi debet.

An. $\frac{1}{2}$. Glaucidas Athenis Archon CCXLV.

T. Quinctius Capitolinus VI.
Agrippa Menenius T. F. Agrippae N. Lanatus Coſſ.

Glaucidae Archontis meminit Diodorus (2), ſimulque Ariſtophanis Scholiaſtes in anno 4. mox proferendus.

An. $\frac{2}{3}$. Theodorus Athenis Archon CCXLVI.

Mam. Aimilius M. F Mamercinus
L. Quinctius L. F. L. N Cincinnatus Trib. Mil. Conſ. Pot.
L Iulius Vopiſci F. Iulus

Theodorus Archon, eiuſque ſitus a Diodoro (3), & Ariſtophanis Scholiaſte demonſtratur, ut in anno proximo oſtendetur.

Aureum Minervae ſimulacrum, quod Pericle curante a Phidia Charmidis filio Athenienſi elaboratum fuerat, in arce poſitum, dicatumque fuit. Plutarchus (4) quidem, ac Suidas (5) id ante Belli Peloponneſiaci tempora contigiſſe teſtantur, ſed Olympiadis numerum, atque annum omnino diſſimularunt. Scholiaſtes (6) Ariſtophanis id Pythodori Archontis anno, hoc eſt anno 1. Olymp. LXXXVII factum aſſeruit, quo bellum ipſum exarſit. Ait enim: *Φιλόχορος ἐπὶ Πυθοδώρου Α'ρχοντος ταῦτά φησι· καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Α'θηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάντων μδ΄, Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος...... τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος, ἀποθανεῖν ὑπὸ Η'λείων, ἐπὶ Σκυθοδώρου, ὅς ἐστιν ἀπὸ τούτου ἕβδομος* *Haec Philochorus ſub Pythodoro Archonte narrat; Et aurea Palladis ſtatua in magno templo poſita fuit* 44 *talen-*

(1) An Seni ger. Reſpubl. (2) Lib. XII. c. 30. (3) Lib. XII. c. 31. (4) In Pericle. (5) In Φειδίας. (6) Ad Pacem verſ. 604.

lentorum pondere, quum operi Pericles praefuiſſet, Phidias vero fec ſſet . . . . . quum autem opus abſolviſſet, occiſum fuiſſe ab Eleis ſub Scythodoro, qui eſt ab hoc ſeptimus Itaque Meurſius tunc Palladis ſtatuam Athenis dicatam eſſe contendit; ac Scythodorum hunc a Scholiaſte memoratum in anno 3. Olymp. LXXXVIII. collocavit, quo a ceteris Euthydemus Archon Faſtis inſcribitur. Ita Petavius anno ipſo non *Euthydemum*, ſed *Scythodorum*, Faſtis inſcripſit: magnuſque Scaliger [1] exiſtimavit Scythodoro e vivis erepto Euthydemum ſuffectum fuiſſe, qui Scythodori annum abſolveret. Doctiſſimus vero Palmerius [2] utrobique a Scholiaſte in Archontis nomine peccatum eſſe putavit, primoque loco non Φιλόχορος ἐπὶ Πυθοδώρυ, ſed ἐπὶ Θεοδώρυ, reſcribendum eſſe coniecit; moxque non ἐπὶ Σκυθοδώρυ, ſed ἐπὶ Πυθοδώρυ legendum exiſtimat: quod nimirum Pythodorus ille, qui anno 1. Olymp. LXXXVII. imperavit, *ſeptimus* a Theodoro numeretur. Coniecturam hanc, quae paullo certe liberior videri poterat, ita confirmaſſe nunc iuverit, ut exinde varia Hiſtoriae capita, quae perplexa & ambigua ſunt, accuratius exponantur. Itaque ſic ſtatuo Minervae ſimulacrum circa Olympiadem LXXXVI. adeoque *ſexennio* ſaltem ante Pythodori Archontis annum elaboratum dicatumque fuiſſe. Etenim Pauſanias ubi miram Olympii Iovis ſtatuam a Phidia in Elide formatam deſcribit, ait: τὸν δὲ αὐτὸν ταινίᾳ τὴν κεφαλὴν ἀναδούμενον ἐοικέναι τὸ εἶδος Παντάρκει λέγυσιν· μειράκιον δὲ Ἠλεῖον τὸν Παντάρκη παιδικὰ εἶναι τῦ Φειδίυ· ἀνείλετο δὲ καὶ ἐν παισὶν ὁ Παντάρκης πάλης νίκην Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα *eum vero, qui taenia ipſe ſibi caput praecingit, ex corporis ſpecie Pantarcem eſſe ſuſpicantur, Eleum puerum, amore Phidiae devinctum. Idem Pantarces in lucta puerorum palmam eſt adeptus Olympiade ſexta ſupra octogeſimam*, alibique Pantarcis ipſius victoriam inter pueros *lucta* partam, ſtatuamque ipſi ab Eleis poſitam memoravit. Ergo Olympii Iovis ſtatua brevi poſt Olymp LXXXVI a Phidia elaborata fuit. At Olympius ille Iupiter, qui nobilius atque excellentius Phidiae opus haberi ſuſpicique conſueverat, poſt Athenienſis Minervae ſtatuam a Phidia conſtructus fuit. Quamvis enim Plutarchus, ut mox oſtendetur, Iovem prius quam Pal-

(1) Ad Chron. Euſeb. pag. 98. (2) Exercit. pag. 746.

Palladem elaboratum eſſe ſubindicet, Ariſtophanis tamen Scholiaſtes, hoc eſt Philochorus ipſe, quem Scholiaſtes expreſſit, nitide diſerteque teſtatur quod Phidias ubi Minervae ſimulacrum effinxiſſet, atque ab Athenienſibus veluti ſubrepti auri reus accuſatus fuiſſet, Elidem confugit, ibique Olympii Iovis ſtatuam elaboravit. Ergo, ſi tempore, quo Phidias in Elide verſabatur, Pantarces adhuc *puer* erat, victoriamque inter *pueros* Oly. LXXXVI obtinuit, Olympii Iovis ſtatua circa Oly. LXXXVI, ſive LXXXVII. conſtructa fuit, Palladiſque ſtatua Athenis circa Olymp. LXXXVI. elaborari dicarique debuit. Accedit etiam quod Pauſanias aſſerit Eleos Phidiae poſteris conceſſiſſe, ut Olympii Iovis ſtatua ab iis quotannis abſtergi, ornarique poſſet, novumque proinde veluti Sacerdotum genus inſtituerunt, qui Φαιδρυνται vocabantur: quod argumento eſſe poterit Phidiam dum Elidem concederet ibi lares fixiſſe, liberos, familiamque ſuam eo traduxiſſe: perinde quaſi Athenienſium iniuria offenſus de Athenis iterum adeundis non amplius cogitaverit. Quandoquidem vero Scholiaſtes ipſe mox ſubdit Phidiam ab Elidenſibus morti addictum fuiſſe, hinc facile Scriptoribus aliis creditum id Athenis contigiſſe. Certe Plutarchus ait quod ὁ μὲν ȣ̃ν Φειδίας εἰς τὸ δεσμοτήριον ἀπαχθεὶς, ἐτελεύτησε νοσήσας· ὡς δέ φασιν ἔνιοι φαρμάκοις ἐπὶ διαβολῇ τȣ̃ Περικλέȣς, τῶν ἐχθρῶν παρασκευασάντων *Phidias coniectus in carcerem morbo vitam finivit, ut vero alii opinantur, veneno invidiae Pericli conciliandae gratia ab inimicis parato.* Hiſtoriam, aut ſuſpicionem hanc nihil moror, quae perſpicuo Philochori teſtimonio adverſatur. Illud unum obſervo, quod ne hac ipſa quoque Plutarchi hypotheſi *Scythodorus* ille cum Euthydemo confundi poteſt. Etenim, ſi Phidias ante Periclem obiit, ipſius mors anno 3. Olymp. LXXXVIII. poſterior eſſe non poterit; ergo *Scythodorus* ille, quo Archonte obiiſſe dicitur, cum Euthydemo confundi non poteſt, qui anno 3. Oly. LXXXVIII. Archon fuit, ſed cum Pythodoro potius committi, qui circa Phidiae mortem, bellique mox incepti initia imperavit, adeoque *ſeptimus* Archon ille a Scholiaſte nominatus non *Pythodorus*, ſed *Theodorus*, optime cenſendus erit.

Atque, ut clarioribus etiam argumentis id oſtendatur,

Plutarchus, qui ſingulas res a Pericle geſtas accuratiſſime expoſuit, aſſerit a Phidia Minervam, aliaque urbis ornamenta elaborata fuiſſe, indeque in Phidiam ac Periclem invidiam exarſiſſe, ut proinde cives Thucydidem Pericli oppoſuerint. Tum ſubdit Periclis potentia factum eſſe ut Thucydides exilio multaretur; adeoque Pericles μετὰ τὴν τῦ Θυκυδίδυ κατάλυσιν καὶ τὸν ὀςρακισμὸν, ὐκ ἐλάττω τῶν ιε' ἐτῶν διήνεγκε *expulſo Thucydide non pauciores quindecim annos rem tenuit*. Itaque Minervae ſtatua quindecim annis ante Periclis mortem inchoata fuerat; quumque Periclis mors in annum 3. Olymp. LXXXVII. inciderit, Minervae ſtatua circa Olymp. LXXXIII. incepta, adeoque facile circa Olymp. LXXXV. dicata fuit.

Denique Euſebii quoque teſtimonium addidiſſe iuverit, qui in anno 2. Olymp. LXXXV. adnotavit Φειδίας τὴν ἐλεφαντίνην Ἀθηνᾶν ἐποίησεν, hoc eſt, ut ad annum ipſum interpretatur Hieronymus, *Phidias eburneam Minervam facit*.

Quid vero ſi inſignem hic obiter Pauſaniae errorem Interpretibus diſſimulatum exponam, vitiatumque facile ipſius locum ſanare enitar? Aſſerit Pauſanias (1) in baſi Olympii Iovis ſtatuae ſubiecta ἀγάλματα octo inſculpta fuiſſe, tum ſubdit: εἴη δ' ἂν ἀγωνισμάτων ἀρχαίων ταῦτα μιμήματα· ὐ γάρ πω τὰ, ἐς τὺς παῖδας ἐπὶ ἡλικίας ἤδη καθεςήκει τῦ Φειδίυ *ſunt autem illa priſcorum inter viros certaminum ſimulacra; nondum enim, qua Phidias viguit, aetate puerorum inſtituta fuerant ludicra*. Quis haec a Pauſania ſcribi potuiſſe concedat, qui paullo ſuperius (2) *luctae*, & *curſus* certamina Olympiade XXXVII. *pugilatus* etiam Olymp. XLI. pueris inſtituta fuiſſe iam dixerat; paucisque interiectis ait in eadem illa ſtatuae baſi Pantarcem Eleum a Phidia veluti taenia redimitum expreſſum eſſe, qui ἀνείλετο ἐν παισὶν πάλης νίκην Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα *in pueris luctae victoriam Olymp. LXXXVI. reportavit*? Certe ego quidem Pauſaniae locum ita explicandum eſſe putaverim, ut non de quolibet certaminis genere, ſed de *pancratio* ſolum, intelligatur, quod Pauſania (3) ipſo teſte nonniſi Olympiade CXLV. inter pueros admiſſum fuit.

An.

(1) Eliac. I. c. 11. (2) Cap. 8. (3) Eliac. I. c. 8.

An. $\frac{3}{4}$. Euthymenes Athenis Archon CCXLVII.

M. Geganius M. F. Macerinus III. Coſſ.
L. Sergius C. F. C. N. Fidenas

Euthymenes hic a Diodoro [1] in anno 4. huius Olympiadis collocatur, ipſique Dodvellus in anno $\frac{4}{1}$. Bionem ſucceſſiſſe contendit. Ego vero perſpicue certoque oſtendi [2] Euthymenem hunc anno $\frac{3}{4}$. Faſtis Atticis inſcribendum eſſe, ſimulque inſignem Scaligeri, ac Meurſii errorem demonſtravi, qui *Acharnenſes* ab Ariſtophane Euthymenis huius anno editas eſſe putarunt. Etenim Acharnenſes alterius Euthymenis, vel potius *Euthydemi* Archontis anno prodierunt, hoc eſt Poſideone menſe anni 3. Oly. LXXXVIII. optimeque Scholiaſtes ibi adnotavit πρὸ ιβ′ ἐτῶν ἦρχεν ὁ Εὐθυμένης Ἀθήνησιν *ante* 12. *annos Euthymenes* a Comico nominatus *Athenis Archon fuit*. Ergo Euthymenes iſte ineunte Gamelione menſe anni 4. magiſtratu exceſſerat.

Ceterum Archontis huius anno decretum iampridem editum ne Comoediae agerentur ſublatum fuit. Suidas: Εὐθυμένης Ἄρχων Ἀθηναῖος, ἐφ᾽ οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου *Euthymenes Archon Athenienſis, ſub quo abrogatum eſt decretum Archonte Morychide ſcriptum, quo Comicis Fabulas docere interdictum fuerat*. Clarius Ariſtophanis Scholiaſtes [3], qui ad Euthymenis Archontis nomen a Comico laudatum adnotavit: οὗτος ὁ Ἄρχων, ἐφ᾽ οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου, καὶ ἴσχυσεν ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν, καὶ δύο τοὺς ἑξῆς Γλαυκίππου τε, καὶ Θεοδώρου, μεθ᾽ οὓς ἐπ᾽ Εὐθυμένους κατελύθη *hic eſt Archon, ſub quo abrogatum eſt decretum, quo Comoedias agere vetitum fuit, ſcriptum ſub Morychide, quod viguit eoque anno, & duobus ſequentibus, quibus Archontes fuere Glaucippus, & Theodorus; poſt quos ſub Euthymene abrogatum fuit*. Coloniam quoque ad Amphipolim hoc anno Agnone duce deductam fuiſſe Diodorus [4], Thucydides [5], & Aeſchinis Scholiaſtes prodide-

(1) Lib. XII. c. 32. (2) Tom. II. pag. 66. (3) Ad Acharn. ver. 67. (4) Lib. XII. c. 32. (5) Lib. IV. c. 102.

derunt, quorum teſtimonia in anno $\frac{3}{4}$. Olymp. LXXVII. expoſita, atque illuſtrata ſunt.

Huius etiam Euthymenis Archontis anno arcis veſtibula Athenis incepta putaverim, de quibus Harpocration [1]: *περὶ τῶν προπυλαίων τῆς Ἀκροπόλεως ὡς ἐπὶ Εὐθυμένες Ἄρχοντος οἰκοδομεῖν ἤρξαντο Ἀθηναῖοι Μνησικλέυς ἀρχιτεκτονῦντος ἄλλοιτε ἱστορήκασι, καὶ Φιλόχορος* *de veſtibulis Arcis, quae ſub Euthymene Archonte aedificare coeperunt Athenienſes architectum agente Mneſicle, cum plures alii ſcripſere, tum Philochorus*. Quamvis enim Euthymenes alter 12. poſt annos imperaverit, id potius huic anno conceſſerim, quo nondum *Peloponneſiaco* bello Athenienſes implicati fuerant.

OLYMPIAS LXXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4278. Vrb. Cond 318.
Lyſimachus Mirrhynuſius Athenis Archon CCXLVIII.

M. Cornelius M. F. Ser. N. Maluginenſis
L. Papirius M. F. Craſſus Coſſ.

Theopompus Teſſalus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [2]. Etenim Diodorus ipſe tum Olympionicae, tum Archontis meminit, quamvis hunc *Nauſimachum* appellaverit: Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ναυσιμάχυ Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα ἕκτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ςάδιον Θεόπομπος Θέτταλος *Archonte Athenis Nauſimacho, Elei Olympiadem octogeſimam ſextam agebant, qua ex ſtadio coronam retulit Theopompus Theſſalus*. Lyſimachum autem hunc, qui a Dodvelio exeunte anno 1. ac 2. ineunte Faſtis inſcribitur, ad ſuperiorem annum, cui Dodvellus ipſe Bionem velut Euthymenis ſucceſſorem adſcripſerat, referendum eſſe fuſe, ac opportune iam alibi demonſtravi [3], neque perſpicua Veterum teſtimonia aliter intelligi, vel explicari poſſe evici, quam ſi Lyſimachus ille exeunti *quarto*, ac *primo* ineunti tribuatur.

Ita nimirum quaecumque de Iſocratis, Lyſiae, Andocidis, Platonis, aliorumque aetate a Dionyſio, Plutarcho,

(1) In Προπυλαια. (2) Lib. XII. c. 33. (3) Tom. II. pag. 66 67.

cho, Laërtio, ceteriſque tradita ſunt, ſibi mire conſentiunt; eadem vero miris ambagibus irretiuntur ſi in Meurſii, Dodvellique hypotheſi Lyſimachus iſte ad 1. ſive ½. huius Olympiadis annum referatur.

Acuſilaus Diagorae filius facile hac Olympiade *virorum pugilatu* palmam obtinuit. Pauſanias [1] enim aſſerit ipſum una cum Damageto fratre, ſed ante Dorieum fratrem alium, viciſſe. Prima Doriei victoria proxima Olympiade contigiſſe dicitur a Thucydide [2], ergo Damageti, & Acuſilai victoria ad Olympiadem hanc facile referri debebit. Ceterum haec ipſa Acuſilai victoria, diſſimulato tamen certaminis genere, a Pindari Scholiaſte [3] memoratur. Damagetus autem Acuſilai filius ignoto certaminis genere victor fuit.

Pantarces Eleus *puerorum lucta* viciſſe dicitur a Pauſania [4], quemadmodum alia, ſed ignota, Olympiade *celete* palmam obtinuit [5].

Huic anno bellum inter Corcyraeos, & Corinthios de Epidamno exarſiſſe putat Dodvellus [6], idque ex Thucydide [7], ac Plutarcho [8] deduci poſſe coniecit; quamvis Diodorus belli huius initium in anno ſuperiori collocaverit, atque ſuppetias Corcyraeis ab Athenienſibus miſſas hoc anno memoraverit.

Iſocrates Theodori filius Erchienſis in lucem editus eſt. Siquidem Plutarchus [9], Dionyſius [10], Laërtius, quorum teſtimonia iam protuli, ipſum Lyſimachi Archontis anno, ſimulque Olympiade LXXXVI natum eſſe teſtantur. Id vero Hecatombaeone menſe anni 1. adeoque primis Lyſimachi temporibus contigiſſe ego omnium primus ex teſtimoniis illis invicem collatis oſtendi [11]; ut immerito proinde Laërtii textum a Meurſio ſollicitatum eſſe demonſtraverim. Quandoquidem vero Plutarchus *Lyſimachum* hunc *Mirrhynuſium* appellavit, Archontis nomini *Populi* quoque nomen adiungendum putavi.

Hac Olympiade, primoque facile ipſius anno, Phrynichus Athenienſis Comoedias edere incepit. Suidas: Φρύνιχος Ἀ-

θη-

(1) Eliac II. c. 7. (2) Lib. III. c. 58. (3) Ad Olymp. VII. (4) Eliac. II. c. 10. (5) Ibi. c. 15. (6) Annal. Thucyd pag. 110. (7) Lib. I. c. 118. (8) In Pericle. (9) Vit. X. Rhet. in Iſocr. (10) In Iſocrate num. 2. (11) Tom. II. pag. 67. 68.

θηναῖος Κωμικὸς ἐδίδαξε τὸ πρῶτον ἐπὶ ὀγδοηκοςῇ, καὶ ἕκτῃ Ὀλυμπιάδι *Phrynichus Athenienſis Comicus fabulam edidit primum octogeſima ſexta Olympiade*. Itaque, niſi Suidas hic aberraverit, *Phrynici* duo cum Scaligero diſtingui debent; quum Phrynici alterius didaſchalias ad Olymp. LXX. referendas eſſe iam obſervaverim.

An. 1/2. Antilochides Athenis Archon CXLIX.

C. Iulius Iulus II.
L. Virginius Tricoſtus Coſſ.

Archon ille a Diodoro ſolo Faſtis inſeritur (1): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιλοχίδου Ῥωμαῖοι κατέςησαν ὑπάτους Μάρκον Φάβιον, καὶ Ποςούμον Αἰβούτιον Ουλεκιν *Archonte Athenis Antilochide, Romani Conſules fecerunt M. Fabium, & Poſtumum Aebutium Elbam*. Hoc anno Corinthii cum Corcyraeis navali praelio dimicarunt; quumque Corcyraei Athenienſium ope victoriam retuliſſent, Epidamnios ad deditionem coëgerunt (2). Victoria ipſa a Diodoro in ſuperiorem annum confertur, qui Antilochidis Archontis anno Corinthios Potidaeam impuliſſe dicit ut ab Athenienſibus deficeret; quemadmodum Chalcidenſes Perdiccae regis hortatu ab Athenienſibus ipſis defecere. Denique victoriam ab Athenienſibus ex Corinthiis prope Pallenem partam Diodorus memoravit.

An. 2/3. Chares Athenis Archon CCL.

C. Iulius Iulus III.
L. Virginius Tricoſtus II. Coſſ.

Vnicus eſt Diodori locus, qui Archontem hunc memoraverit (3) ubi Archidamum Lacedaemoniorum regem expleto iam 42. regni anno obiiſſe dicit. At certe mire ipſe fallitur, ſibique non conſtat; quum inferius (4) ipſum anno 4. Olymp. LXXXVII. iterumque (5) anno 1. Olymp. LXXXVIII. veluti redivivum exhibeat.

An.

(1) Lib. XII. c. 34. (2) Thucyd. Lib. I. c. 29. 30. (3) Lib. XII. c. 35. (4) Ibi c. 47. (5) Ibi c. 52.

An. $\frac{3}{4}$. Apſeudes Athenis Archon CCLI.

M. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus
M. Foslius Flaccinator T. M. Conſ. Pot.
L. Sergius C. F. C. N. Fidenas

In exprimendo aſſerendoque Apſeudis huius Archontis nomine Diodorus, ac Ptolemaeus ſemel iterumque conſentit. Diodorus (1): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀψεύδȣς ..... Σπάρτακος ὁ Βοσπόρȣ Βασιλεὺς ἐτελεύτησεν *Archonte Athenis Apſeude* ...... *Spartacus Boſpori Rex obiit*. Ptolemaeus (2) vero de aeſtivi ſolſtitii obſervatione loquens ait: Ἐκείνη μὲν γὰρ ἀναγράφεται γεγενημένη ἐπὶ Ἀψεύδȣς Ἄρχοντος Ἀθήνησι *illa enim facta memoratur ſub Apſeude Athenis Archonte*; paucisque interiectis Καί ἐςι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ἐπὶ τȣ̃ Ἀψεύδȣς ἀναγεγραμμένης θερινῆς τροπῆς, μέχρι τῆς ὑπὸ τῶν περὶ Ἀρίςαρχον τετηρημένης ἔτη ἑκατὶν πεντήκοντα δύο *& ab aeſt.vo ſolſtitio, quod ſub Apſeude deſcriptum fuit, uſque ad illud, quod ab Ariſtarcho obſervatum fuit, anni ſunt* 152. Itaque Seldenus, Lydiatus, Meurſius, Dodvellus, ceterique Faſtorum Scriptores omnes Apſeudem hunc Athenis imperaſſe dicunt, ipſumque Eponymorum Archontum Faſtis inſcribunt.

Quandoquidem vero Apſeudes ille a Diodoro anno 4. Olymp. LXXXVI. tribuitur, perinde quaſi aliorum Archontum inſtar imperium ineunte anno 4. ſuſceperit, novaque Metonis Enneadecaëteride tunc inſtituta, quae ab Hecatombaeone menſe una cum 1. Olympiadis anno incepit, novum civilis etiam, & Archontici anni principium inceperit, adeoque Pythodorus Archon ineunte anno 1. Olympiadis LXXXVII. magiſtratum inierit, Apſeudis imperium 5. menſibus circumſcribunt (3), ut ille honorem, quem Gamelione menſe ſuſceperat, Scirrophorione mox inſequuto reliquerit. Ego vero ſuperiorum temporum Faſtos ita concinnandos eſſe demonſtravi, ut Apſeudi noſtro non *quinque*, ſed *ſeptemdecim* potius, menſes concedi debeant; quumque ille imperium Gamelione menſe anni 3 ſuſcepiſſet, exacto iam magiſtratus anno Gamelione menſe ſequentis anni 4. ipſi, ceteriſque Novemviris poteſtas prorogata fuerit, donec

(1) Lib. XII. c. 36. (2) Almag. III. (3) Dodv. diſſ. III. ſect. 35.

ineunte iam anno 1. Olymp LXXXVII. Metonis Enneadecaëteris, civilis, & Archonticus annus inciperet, ideoque Pythodorus Archon ſuccederet.

Haec omnia ſubtiliter accurateque, niſi mea me fallit opinio, ſuis in locis expoſui [1], labemque a ceteris Faſtorum Scriptoribus admiſſam ex Faſtis ipſis expunxi: ut proinde Apſeudis nomen ſuperiori anno, & proximis etiam *quinque* ſequentis anni menſibus praefigendum eſſe decreverim.

An. 4. Apſeudes iterum Athenis Archon.

Exeunte fere quarto Olympiadis huius anno Meto Athenienſis Solarium, ſive Heliotropium in Pnyce collocavit. Ariſtophanis Scholiaſtes [2] a Suida laudatus: Ἐπὶ Ἀψεύδȣς δὲ πρὸ Πυθοδώρȣ ἡλιοτρόπιον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἔθηκε *ſub Apſeude, qui ante Pythodorum* Archon fuit, *Solarium in Concione poſuit.* Meminit etiam Aelianus [3]: Μέτων ὁ Λάκων (legendum Λευκονεὺς) Ἀςρολόγος ἀνέςησε ςήλας, ϗ τὰς τȣ̃ ἡλίȣ τροπὰς κατεγράψατο, ϗ τὸν μέγαν ἐνιαυτὸν, ὡς ἔλεγεν, εὗρεν, ϗ ἔφατο αὐτὸν, ὡς ἔλεγεν, ἑνὸς δέοντα εἴκοσιν ἐτῶν *Meto Leuconienſis Aſtrologus columnas ſtatuit, & in eis ſolſtitia adnotavit, atque Magnum Annum (ut ipſe dicebat) adinvenit, eumque dicebat undeviginti eſſe annorum*: ubi voces ὡς ἔλεγεν temere iteratas, adeoque expungendas eſſe putaverim. Eiuſmodi vero Solario, ſive tropici puncti, hoc eſt ſolaris converſionis, ſolſtitiique tempore obſervato, Meto deprehendit ſolſtitium illud in 13. Scirrophorionis Attici diem incidiſſe: adeoque novi Hecatombaeonis menſis initium in 13. Scirrophorionis die, hoc eſt ex Dodvelli [4] ſententia, in 16. Romani Iulii die collocavit, ut vitiis illis, quae in civiles ſuperiores annos irrepſerant, emendatis novus annus ad accuratam ſolſtitii normam, eaſque leges, quas in 19. annorum Periodo, ſive Enneadecaëteride conſtituerat, dirigeretur. Id perſpicue in primis teſtatur Diodorus [5] Ἐν ταῖς Ἀθήναις Μέτων ὁ Παυσανίȣ μὲν υἱὸς δεδοξασμένος δὲ ἐν Ἀςρολογίᾳ ἐξέθηκε τὴν ὀνομαζομένην ἐννεακαιδεκαετηρίδα τὴν ἀρχὴν ποιησάμενος ἀπὸ

(1) Tom. II. pag. 71. (2) Ad Aves ver. 998. (3) Var. Hiſt. Libr. X. c. 7. (4) Pag. 716. (5) Lib. XII. c. 36.

ἀπὸ μηνὸς ἐν Ἀθήναις Σκιροφοριῶνος τρισκαιδεκάτης *Athenis vero Meton Pauſaniae filius, ſcientia aſtrologica clarus Enneadecaëteridem quam vocant promulgavit a decimo tertio Scirophorionis Attici menſis die exorſus*. Denique Suidas: πρὸ Πυθοδώρου ἡλιοτρόπιον ἦν ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν Πνυκὶ *ante Pythodorum vero heliotropium erat in Comitio, quod nunc eſt ad murum in Pnyce*.

Apſeudis autem Archontis tempore Corinthii cum Corcyraeis dimicarunt, quumque Athenienſes auctore Pericle naves Corcyraeis ſuppetias miſiſſent, Corinthii domum revertuntur. Extremo quoque Apſeudis tempore Potidaeatae, quum ab illis obſides ob ſuſpectam illorum fidem exigerentur, ab Athenienſibus defecerunt (1). Pleraque tamen ex geſtis illis, quae a Dodvello, Thucydide duce, ad annum hunc revocantur, a Diodoro in anno 2. huius Olympiadis collocantur, ut ſuperius eſt obſervatum.

OLYMPIAS LXXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4282. Vrb Cond. 322.
Pythodorus Athenis Archon CCLII.

L. Pinarius Mamercus
L. Furius Medullinus T. M. Conſ. Pot.
Sp. Poſthumius Albus Regillenſis

Sophron Ambraciotes *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro. Siquidem ille & Archontis, & Olympionicae nomen expreſſit (2), Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Πυθοδώρου Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα ἑβδόμην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Σώφρων Ἀμβρακιώτης *Archonte Athenis Pythodoro Elei celebrarunt Olympiadem octogeſimam ſeptimam, qua vicit in ſtadio Sophron Ambraciota*.

Dorieus Rhodius Diagorae filius *pancratio* vicit. Siquidem Thucydides in proxima Olympiade proferendus ipſum Olymp. LXXXVIII. *iterum* viciſſe teſtatur, atque Pauſanias perſpicue dicit ipſum *tribus* continuis Olympiadibus palmam retuliſſe, ut ad Olymp. LXXXIX. obſervabitur.

Euripides cum Euphorione, & Sophocle certans Medeam

(1) Thucyd. Lib. I. c. 46. &c. (2) Lib. XII. c. 37.

deam edidit. Scholiaſtes in Argumento II. eius Tragoediae: Ε᾽διδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρȣ Α῎ρχοντος κατὰ τὴν ἑβδόμην, καὶ ὀγδοηκοϛὴν Ο᾽λυμπιάδα *Edita eſt ſub Pythodoro Archonte octogeſima ſeptima Olympiade*. Pythodorus ipſe a Suida memoratur ubi Metonem proximo ante Pythodorum anno ſolarium in Pnyce collocaſſe memorat, ut ſuperius eſt obſervatum.

Decimo Pythodori Archontis menſe, hoc eſt exeunte iam Munychione menſe, anni 1. Olymp. LXXXVII Peloponneſiacum bellum inter Athenienſes, ac Lacedaemonios incepit. Etenim Thucydides (1) ait bellum ipſum exarſiſſe Πυθοδώρȣ ἔτι δύο μῆνας Α῎ρχοντος Α᾽θηναίοις *quum Pythodoro Athenis Archonti adhuc duo menſes ſupereſſent*, hoc eſt quum Pythodorus ipſe, ut emendato Thucydidaei Scholiaſtae loco obſervavi (2), decem iam in magiſtratu menſes exegiſſet.

Initium ipſum, ac celeberrimam apud Graecos Epocham Petavius (3) partim perſpicuis Scriptorum teſtimoniis, partim quatuor eclipſium obſervationibus ita confirmavit, ut nihil propemodum in univerſa Athenienſium hiſtoria exploratius videatur, quam eiuſmodi belli principium in exeuntem annum 1. huius Olympiadis, adeoque inchoatum iam Per. Iul. 4283. & V. C. 323. annum incidiſſe. Quod ſi Diodorus, ipſique inhaerens Scaliger initium ipſum ad Euthydemi proximi Archontis annum, adeoque Gellius (4) ad annum V. C. 323. revocavit, id exinde ſolum profluxit quod exeunte iam Pythodori anno bellum eruperit, adeoque commodius ad annum proxime incepturum ſpectaverit. Diodorus tamen (5) victoriam ab Athenienſibus prope Potidaeam partam, & Calliae ducis mortem in Pythodori Archontis anno collocavit, ac nitide diſerteque dixit Peloponneſiacum bellum a Thucydide deſcriptum exinde, veluti principio, incepiſſe. Ceterum initium ipſum ita cum Dodvello ex Thucydidis (6) ſententia conſtitui, vel accurate diſtingui debet, ut ſi a Thebanorum inſidiis in Plataeam urbem ſumatur, in ultima Munychionis menſis die anno 1 Olymp. LXXXVII. collocari debeat; ſin vero a tempore deducatur, quo Peloponneſii 80. poſt eiuſmodi inſidias die in Atticam irruperunt, ad 21. Hecatombaeonis

(1) Lib. II. c. 2. (2) Faſt. Att. Tom. I. pag. 95. (3) Doctr. Temp. Lib. X. c. 28. (4) Lib. XVII. c. 21. (5) Lib. XII. c. 37. (6) Lib. II. c. 2.

nis Attici diem ſpectaverit. Denique, quum *ſexto* ante inſidias ad Plataeam menſe Athenienſes Potidaeam terra, marique obſediſſent, atque cum Corinthiis Callia Calliadis filio duce dimicaſſent, ſi belli initium ab hoc praelio repetatur, ad Maemacterionem menſem revocandum foret.

An. $\frac{1}{4}$. Euthydemus Athenis Archon CCLIII.

T Quinctius L. F. L. N. Pennus Cincinnatus
C. Iulius Mento Coſſ.

Diodorus [1] Archontis Euthydemi meminit, itemque Athenaeus, cuius teſtimonium in anno proximo proferetur.

Huius Archontis anno Peloponneſiacum bellum, quod paullo prius exarſerat, ita continuatum fuit, ut Peloponneſii Atticam Archidamo duce depopulati ſint [2]. Interim peſtis in Piraeeo primum, tum in urbe quoque graſſari caepit [3]. Pericles centum navium claſſem in Peloponneſios deducit, Epidauri, Haliarum, Hermiones, Praſiarum oras devaſtat, tandemque Peloponneſiis ex Attica iam reducibus Athenienſes ipſi Thargelione iam exeunte domum revertuntur. Iterum tamen Agnone, & Cleopompo ducibus adverſus Chalcidenſes, & Potidaeam antea oppugnatam movent; ſed, quum peſtis exercitum invaſiſſet, ante Scirrophorionis, annique 1. huius Olympiadis exitum, in patriam rediere.

An. $\frac{2}{3}$. Apollodorus Athenis Archon CCLIIII.

L. Papinius Craſſus II.
L. Iulius Vopiſci F Iulus Coſſ.

Apollodori nomen, ac ſitus perſpicue ex Diodoro [4], & Athenaeo demonſtratur, qui Platonem huius Apollodori Archontis anno in lucem editum memoravit: Πλάτων γεννᾶται ἐπὶ Ἀπολλοδώρȣ, τȣ̃ μετ' Εὐθύδημον ἄρξαντος *Plato naſcitur ſub Apollodoro, qui poſt Euthydemum Archon fuit*; pauciſ-

(1) Lib. XII. c. 38. (2) Diodorus ibi. (3) Thucydides Libr. I. c. 48. (4) Libr. XII. c. 43.

ciſque interiectis : ἀπ' Ἀπολλοδώρου, καὶ τῆς τοῦ Πλάτωνος γενέσεως τεσσαρεσκαιδέκατός ἐστιν Ἄρχων Εὔφημος *ab Apollodoro, & Platonis ortu quartus decimus Archon eſt Euphemus*. Laërtius(1) tamen Platonis ortum ad inſequentem annum, quo Aminias Archontis munere fungebatur, revocavit : Πλάτων ἐπὶ Ἀμινίου γεγόνεν, ἐφ' οὗ Περικλῆς ἐτελεύτησεν *Plato natus eſt ſub Aminia, ſub quo Pericles obiit*, & illum ex Apollodori ſententia anno 1 Oly. LXXXVIII. natum eſſe obſervavit. Itaque, quum Veteres hac in parte diſſideant, eadem quoque opinionum varietas in Recentiores etiam irrepſit; ut proinde Scaliger Platonis ortum anno 1. Olym LXXXVIII. Sigonius, quum *Ameinonis*, ſive *Epaminondae* nomen in Faſtis Atticis in anno 4 Olymp. LXXXVIII. *Aminiae* vero in anno 2. Olymp. LXXXIX. obſervaſſet, Platonis nativitatem in annum hunc revocavit. Menagius, ut obſcuriores alios omittam, Platonem anno 2 Oly. LXXXVII. in lucem editum exiſtimavit; atque Dodvellus, qui ſingula ſubtiliter ac ingenioſe exploravit, id anno 4. eius Olympiadis aſſignavit. Ego vero perſpicuis, opinor, certiſque rationibus ortum illum non altero, quam Apollodori Archontis anno, hoc eſt exeunte 3. Olympiadis LXXXVII. anno *ſexta* Thargelionis Attici die contigiſſe demonſtravi peculiari Diſſertatione, quam *de natali Platonis die, eiuſque aetate, ac itineribus* edidi. Ita nimirum facile quidquid de Lyſiae, Iſocratis, Platonis aetate, quidquid de Peloponneſiaci belli initio a variis Scriptoribus memoratur mire conſpirat; ſin vero quaelibet alia hypotheſis eligatur, ſemper obſcuritas, atque perplexitas eſt futura; eorumque Scriptorum loca vel corrigi, vel ſollicitari debent, quod a Meurſio temere factum eſſe demonſtravi.

Eupolis Athenienſis hoc anno Fabulas edidit, ut ab Ariſtophanis Scholiaſte (2) erudimur : Εὔπολις Ἀθηναῖος ἐδίδαξεν ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου *Eupolis Athenienſis* fabulas *docuit Archonte Apollodoro*.

Hoc anno, atque, ut Dovellus (3) exiſtimat, ante Antheſterionis menſis finem Potidaea ab Athenienſibus occupata fuit, eoque colonia ab illis deducta. Ita, quum Aeginetae Lacedaemoniis faverent, ab Athenienſibus urbe, ac regione pulſi ſunt, atque inſula ipſa Athenienſium civibus

(1) Lib. III. ſeg. 2. & 3. (2) In Prolegomenis. (3) Annal. Thucyd. pag. 122.

bus in coloniam deductis conceſſa fuit. Atque inde facile intelligendus Laërtii locus ubi Platonem in Aegina inſula natum eſſe teſtatur: Καὶ ἐγενήθη κατά τινας ἐν Αἰγίνῃ, ἐν τῇ τῦ Φειδιάδυ οἰκίᾳ τῦ Θάλητος *natus eſt ſecundum quoſdam in Aegina in Phidiadae domo, eius qui Thaletis filius fuit*. Fieri nimirum potuit, ut Ariſto Platonis pater una cum civibus aliis in Aeginam conceſſerit, ut agri partem ſortiretur.

An. $\frac{3}{4}$. Epaminondas Athenis Archon CCLV.

L. Sergius C. F. C. N. Fidenas II.
Hoſtus Lucretius Tricipitinus Coſſ.

Archon ille a Diodoro (1) *Epaminondas*, ab Athenaeo (2) Ἐπαμείνων *Epaminon* vocatur: Περικλῆς ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῦ Πελοποννησιακῦ πολέμυ Ἄρχοντος Ἐπαμείνονος *Pericles obit anno tertio Peloponneſiaci belli Archonte Epameinone*. Ita quoque ab Euripidis Scholiaſte appellatur: Ἡ σκήνη τῦ δράματος ὑποκεῖται ἐν Θήβαις Ἐπαμείνονος Ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοςῇ ἑβδόμῃ ἔτει τετάρτῳ *Scena Dramatis Thebis ſupponitur Archonte Epaminone Olympiade octogeſima ſeptima anno quarto*. A Laërtio tamen, ut antea vidimus, *Aminias* vocatur; nullique dubium quin variis eiuſmodi nominibus unus idemque Archon intelligatur. Ceterum Archontem ipſum *Epaminondae* potius, aut *Epameinonis*, quam *Aminiae*, nomine vocandum eſſe ex Diodori, Athenaei, Scholiaſtaeque conſenſu demonſtravit Veslingius; quum praeſertim pro Ἐπαμείνονος ibi ἐπ' Ἀμεινίυ reſcribi non poſſit, ut Meurſius, ac Dodvellus ipſe coniecerat, niſi barbare inconditeque legatur ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν ἐπ' Ἀμεινίυ. Quod ſi Epaminondae nomen Thebanum potius, quam Atticum, Palmerio videbatur, id de *Charonda* quoque ſuſpicari liceret, qui anno 3 Olymp. CX. Athenienſium Faſtis inſcribitur. Denique unus idemque civis tum *Epaminonis*, tum *Epaminondae* nomine deſignabatur, ut exemplo demonſtravit Veslingius.

Huius Archontis anno Pericles e vivis exceſſit, ut ſuperior Athenaei locus oſtendit, longeque illuſtrius a Thucy-

(1) Lib. XII. c. 46. (2) Lib. V. c. 18.

cydide [1] demonſtratur, qui Periclem ipſum duobus annis menſibuſque ſex Peloponneſiaci belli initio ſuperſtitem fuiſſe dicit: Ἐπεβίωσε δύο ἔτη καὶ ἓξ μῆνας *ſuperſtes fuit duobus annis, & ſex menſibus*. Itaque, quum bellum ineunte Thargelione anno 1. inceperit, Periclis mors Metagitnioni menſi anni 4. Olympiadis huius adſcribi debet.

Ceterum eodem anno Scirrophorione ineunte Lacedaemonii duce Archidamo in Plataeam excurrunt, quumque 70. diebus noctibuſque Plataeam ipſam vallo cinxiſſent [2], in patriam ineunte Boëdromione menſe remearunt. Athenienſes vero adverſus Chalcidenſes Thraciae, Bottiaeos militarunt, quumque ad Spartolum victi fugatique forent, circa Hecatombaeonis initium Potidaeam ſe receperunt.

OLYMPIAS LXXXVIII.

An. 1. Per. Iul. 4286. Vrb. Cond. 326.
Diotimus Athenis Archon CCLVI.

T. Quinctius L.F.L.N. Cincinnatus Pennus II. Coſſ.
A. Cornelius Coſſus

Symmachus Meſſenius ex Meſſene Sicula *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [3], qui utrumque ſimul & Archontem, & ſtadionicen memoravit: Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διοτίμου Ἠλεῖοι ἦγον Ὀλυμπιάδα ὀγδόην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον Σύμμαχος Μεσσήνιος *Archonte Athenis Diotimo Elei celebrarunt Olympiadem octogeſimam octavam, qua vicit ſtadio Symmachus Meſſenius*.

Pauſanias [4] etiam victorem hunc memoravit, ipſumque a Siculis non *Meſſenium*, ſed *Zanclaeum*, appellatum eſſe teſtatur. In Africano tamen Μερλήνιος vocatur, ubi Scaliger [5] prius Μυρλεανὸς reſcribendum eſſe perperam exiſtimaverat, moxque Μεσσήνιος repoſuit.

Dorieus Rhodius iterum *pancratio* vicit, ut Thucydides [6] teſtatur: ἦν Ὀλυμπιὰς, ᾗ Δωριεὺς Ῥόδιος τὸ δεύτερον ἐνίκα *erat Olympias, qua Dorieus Rhodius iterum vicit*.

Me-

(1) Lib. II. c. 65. (2) Thucyd. Lib. II. c. 75. (3) Lib. XII. c. 49. (4) Eliac. II. c. 2. (5) Animad. in Euſeb. pag. 266. (6) Lib. III. c. 8.

Megacles etiam Athenienſis *tethrippo* viciſſe dicitur a Pindari Scholiaſte [1]: *Γέγραπται ἡ Ὦδη Μεγάκλει Ἀθηναίῳ, νικήσαντι τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀγδόην Ὀλυμπιάδα τεθρίππῳ ſcripta eſt Ode Megacli Athenienſi, qui vicit tethrippo LXXXVIII. Olympiade*. Sed Meurſius, qui victoriam hanc a Pindaro Pythiaca VII. celebratam eſſe putavit, eidemque Olympiadi Arceſilai Cirenaei victoriam adſcripſit, mire deceptum eſſe iam opportunius alibi [2] demonſtravi.

Hoc anno prope Hecatombaeonis Attici initium Peloponneſii Atticam incurſant, quumque Lesbiorum urbes, Methymna excepta, ab Athenienſibus defeciſſent, ab Athenienſibus ſuperatae ſunt. Olympicis vero Ludis iam peractis iterum Peloponneſiaci in Atticam irrumpunt; quumque viciſſim Athenienſium naves Peloponneſi oras infeſtarent, utrique Metagitnione menſe in patriam remearunt. Paches tamen affecto iam Maemacterione menſe Mitylenem terra marique obſedit, ipſamque, & Antiſſam ſequenti vere recepit, ut partim ex Diodoro [3], partim ex Thucydide [4] accuratiſſime collegit Dodvellus.

Anaxagoras Clazomenius hoc anno e vivis exceſſit. Laërtius [5]: *φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος γενῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, τεθνηκέναι δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀγδόης ait Apollodorus eum natum eſſe ſeptuageſima Olympiade, mortuum vero anno primo ſeptuageſimae octavae*. Eximium hunc Laërtii locum Meurſius [6] Petavius, Voſſius, Palmerius, Menagius ita refingendum putarunt, ut in illo *ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης* legeretur, ideoque Anaxagorae mortem in anno 1. Olymp. LXXXVIII. Meurſius collocavit [7]. Ac certe quidem Laërtius ipſe ex Apollodoro docet Anaxagoram LXX. Olympiade natum eſſe, in Xerſis tranſitu *viceſimum* aetatis annum egiſſe, Calliadis Archontis anno *viginti* annos natum Athenas conceſſiſſe, 72. aetatis anno obiiſſe, quae ſingula rite compoſita oſtendunt ipſius mortem in annum 1. Olymp. LXXXVIII. incidiſſe, quemadmodum ſane Origenes [8] ait Anaxagoram Oly. LXXXVIII. floruiſſe, qua Plato quoque in lucem editus memoratur.

(1) Ad Pyth. VII. (2) Tom. I. pag. 59. (3) Lib. XII. c. 52. 55. (4) Lib. III. c. 8. (5) Lib. II ſeg. 3 (6) Lect. Att. Lib. III. c. 27. (7) De Arch. Athen. Lib. III. c. 4. (8) In Philoſophum.

An. $\frac{1}{a}$. Euclides Molonis filius Athenis Archon CCLVII.

C. Servilius Structus Ahala
L. Papirius Mugilanus II. Coſſ.

Archontis meminit Diodorus [1], atque Ariſtoteles [2], a quo tamen is *Eucles* vocatur. Etenim huius Archontis anno Cometem conſpectum eſſe teſtatur: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ πρὸς ἄρκτον, μηνὸς Γαμηλιῶνος περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινὰς *Archonte Athenis Eucle Molonis filio, menſe Gamelione ſole circa ſolſtitium hibernum exiſtente in regione caeli ſub ſeptentrionibus Cometa apparuit.* Quandoquidem vero Ioannes Grammaticus locum ipſum exſcribens ait ... Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος τοῦ μετὰ Διότιμον ἐγένετο κομήτης *ſub Eucle Molonis filio, qui poſt Diotimum Archon fuit, apparuit Cometa*, dubitari non poterit quin Cometes ille in huius, non alterius, Euclidis anno apparuerit, quamvis in Olympiodoro, & Aphrodiſeo voces illae, prorſus ut in Ariſtotelis textu, interciderint; niſi fortaſſe potius illas a Ioanne ex Codicibus, vel Scriptoribus aliis adiectas eſſe velimus. Quin etiam, quum Ariſtoteles Archontis nomini patris etiam, ac praeceſſoris Archontis nomen adiecerit, ut illum a cognomine Archonte alio diſtingueret, inferri inde poterit verum Archontis nomen *Euclidem* fuiſſe; quum anno quidem ſecundo Olymp. XCIV. Euclides alius occurrat, nullibi vero Ariſtotelis aetate *Eucles* Archon habeatur.

Ceterum lex ab Ariſtophonte Archontis Euclidis anno propoſita non ad hunc, ut temere putavit Meurſius [3], ſed ad Euclidem alium, referri debet, ut Olymp. XCIV. oſtendetur. Archontem ipſum ab inedito quoque Aeſchinis Scholiaſte [4] memorari teſtatur Dodvellus. Ipſius meminit etiam Ariſtophanis Scholiaſtes [5], qui, cum obſervaſſet a Comico Chalcidicum poculum memorari, ait: ἔλαβε δὲ πρόφασιν εὔκαιρον τοῦ ὀνόματος τῶν Χαλκιδέων, διὰ τὸ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἀποστῆναι αὐτοὺς τῶν Ἀθηναίων, ἀπέστησαν δὲ Χαλκιδεῖς

(1) Lib. XII. c. 53. (2) Meteorol. Lib. I. c. 6. (3) De Arch. Athen. Lib. III. c. 4. (4) Ad Orat. de falſa Legat. (5) Ad Equites ver. 237.

δεῖς ἐπὶ Εὐκλείδȣ Ἄρχοντος opportune Chalcidenſium nomine uſus eſt, quod ipſi per id temporis ab Athenienſibus defecerant, defecerunt porro Chalcidenſes ſub Euclide Archonte. Thucydides [1] quidem Chalcidenſes ab Athenienſibus defeciſſe ſcribit *octavo* anno belli, hoc eſt Iſarchi Archontis anno; motus tamen ille triennio prius incepiſſe potuit.

Denique Archon ipſe a Suida [2], ſed *Euclis* nomine, memoratur. Vt enim oſtenderet Suidas Samiorum, vel Ionum literas Athenis receptas ab Ariſtophane in *Babyloniis* memorari non potuiſſe, dicit eiuſmodi literas *Euclidis* Archontis anno receptas fuiſſe, tum ſubdit: *τȣ̀ς δὲ Βαβυλωνίȣς ἐδίδαξε Ἀριϛοφάνης πρὸ τȣ̃ Εὐκλείδȣ κα᾽ ἐπὶ Εὐκλέȣς Babylonios edidit Ariſtophanes* 21. *ante Euclidem annis ſub Eucle*. Sed corruptus neceſſario Suidae locus, atque pro ΚΑ levi, facilique mutatione reſcribendum ΚΔ 24, quum ab Eucle ad Euclidem 24. anni interceſſerint.

Ceterum huius Archontis anno Athenienſes Gorgiae Leontini Rhetoris oratione permoti 250. triremes in Siciliam miſere ut Leontinis adverſus Syracuſanos bellantibus opem ferrent, eoque conſilio Sicilia potirentur. Sed, quum a Leontinis interim pax & ſocietas cum Syracuſanis inita foret, triremes illae Athenas rediere [3]. Interim Athenienſes ipſi Lesbum Inſulam occuparunt, Mytilenes urbis moenia diruerunt, agrumque univerſum, excepta Methymnaeorum regione, ſorte diviſerunt [4]. Ita, quum Plataeenſes diu a Lacedaemoniis obſeſſi nullam opem ab Athenienſibus impetrarent, a victoribus trucidati ſunt, ipſorumque regio ſtipendio elocata, atque urbs funditus everſa fuit [5]. Suppetias tamen Athenienſes Corcyraeis inteſtina ſeditione laborantibus miſere, quibus populus libertatem, ſimulque tranquillitatem recuperavit.

An. $\frac{2}{3}$. Euthydemus Athenis Archon CCLVIII.

T. Quinctius L. N. Pennus Cincinnatus
M. Poſthumius Albus Regillenſis T. M. Conſ. Pot.
C. Furius Pacilus
A. Cornelius Coſſus

(1) Lib. IV. c. 79. (2) In Σαμιων δῆμος. (3) Lib. XII. c. 53. 54. & Thucyd. Lib. III. c. 115. & Lib. IV. c. 2. (4) Thucyd. Lib. III. c. 8. (5) Diod. Lib. XII. c. 56.

Euthydemi meminit Diodorus [1], atque Athenaeus [2] ubi Athenienſium victoriam ad Tanagram fluvium contra Boeotos partam memoravit : Ὁ δ' Ἱππόνικος ἐπὶ μὲν Εὐθυδήμου Ἄρχοντος στρατηγῶν παρατέτακται μετὰ Νικίου πρὸς Ταναγραίους *Hipponicus autem Euthydemo Archonte exercitui praefectus cum Nicia in acie ſtetit adverſus Tanagraeos*. Philochorus tamen ab Ariſtophanis Scholiaſte [3] laudatus Archontem hunc *Scythodorum* vocaſſe videtur. Sed vitiatus ille Scholiaſtae locus Palmerio duce corrigendus eſt, ut ad Olympiadis LXXXV. annum 3. demonſtravi.

Euthydemi Archontis anno, hoc eſt Maemacterione menſe, ut putavit Dodvellus, Athenienſes Delum Inſulam luſtrarunt, Ludoſque quinquennales Nicia praeſertim duce atque auctore celebrarunt [4]. Etenim Scriptor, qui Thucydidis Vitam edidit, luſtrationem illam contigiſſe dicit περὶ τὸ ἕβδομον ἔτος ἐπὶ Εὐθύνου (leg. Εὐθυδήμου) Ἄρχοντος *circa ſeptimum annum ſub Euthydemo Archonte*; ac Diodorus [5] luſtrationem ipſam in Euthydemi Archontis anno collocavit. Luſtrationem hanc, ſimulque plurima ad Delum Inſulam, ac Delia Feſta ſpectantia deſcripſit Thucydides [6].

Hiemis vero tempore, & Gamelione menſe Athenienſes in Sicilia Himeraeos infeſtant, hiemiſque fine Pythodorus ipſorum dux, & Lachetis ſucceſſor a Locris ſuperatur; atque ineunte vere, ſive Elaphebolione, ignis ex Aetna erumpens Catanenſium agros vaſtavit [7]. Denique hoc ipſo Olympiadis anno *tertio* Nicias 60. navibus inſtructus in Melum expeditionem ſuſcepit [8], annoque proximo in Corinthios movens Methonem munivit; quamvis utramque expeditionem Diodorus [9] in anno 1. Olymp. LXXXIX. collocaverit.

An.

(1) Lib. XII. c. 58. (2) Lib. V. c. 18. (3) Ad Pacem ver. 604. (4) Plut. in Nicia. (5) Ibi c. 58. (6) Lib. III. c. 104. (7) Thucyd. Lib. III. c. 115 (8) Thucyd. Lib. III. c. 91. (9) Ibi & Athenaeus Lib. V. c. 18. & Plutar. in Nicia.

An. 3/4. Stratocles Athenis Archon CCLIX.

A. Sempronius L. F. A. N. Atratinus
L. Quintius L. F. L. N. Cincinnatus II.
L. Furius Medullinus II. T. M. Conſ. Pot.
L. Horatius Barbatus

Archontis nomen expreſſit Diodorus (1), & Ariſtophanis Scholiaſtes (2), qui hoc anno Fabulam *Equites* ab illo editam eſſe teſtatur: Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέυς Ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια διὰ ἀυτῦ Ἀριςοφάνυς *edita eſt Fabula ſub Stratocle Archonte publice in Lenaeis Feſtis, eamque Ariſtophanes ipſe egit*. Hoc ipſum Archontis Stratoclis nomen ex depravato Strabonis loco exſculpi poſſe putavit Veslingius. Etenim Strabo (3) de Pylo ab Athenienſibus occupata dicit: Προσεκτήσαντο δ' ἀυτὴν Ἀθηναῖοι τὸ δεύτερον ἐπὶ Σικελίαν πλέοντες μετ' Ἐυρυμέδοντος, ϗ Στρατοκλέυς ἐπιτείχισμα τοῖς Λακεδαιμονίοις *occuparunt autem ipſam Athenienſes ſecundo in Siciliam navigantes Eurymedonte, & Stratocle ducibus, eaque uſi ſunt adverſus Spartanos munitione*. Itaque obſervat Caſaubono duce Veslingius quod Eurymedontis collega fuit Demoſthenes, ut perſpicue nitideque in Diodoro, aliiſque pluribus memoratur, ipſiſque Thucydides Sophoclem veluti tertium adiungit, unde Palmerius in Strabonis textu non Στρατοκλέυς, ſed Σοφοκλέυς, reſcribendum eſſe coniecerat. Veslingius tamen exiſtimat ibi facilius reſtitui poſſe μετ' Ἐυρυμέδοντος ἐπὶ Στρατοκλέυς, ut nempe non modo Athenienſium Praetor, ſed Eponymus quoque Archon ſolita phraſi exprimatur. Ac certe quidem Pylum a Demoſthene Stratoclis huius Archontis anno occupatam, ibique tropaeum a victoribus excitatum fuiſſe tum ex Diodoro, tum ex Thucydide manifeſtiſſime demonſtratur. Etenim, quum Peloponneſii iterum Agide rege duce in Atticam irrupiſſent, Demoſthenes claſſi praefectus Pylum munivit, atque Peloponneſii circa Munychionem menſem infecta re in patriam remearunt; interim vero Simonides Eionem Mendaeorum coloniam in Thracia occupavit, ſimulque amiſit (4). Denique Thar-

(1) Lib. XII. c. 60. (2) In Argum. (3) Lib. VIII. pag. 551. (4) Thucyd. Lib. IV. c. 7.

Thargelione menſe Lacedaemonii a Demoſthene prope Pylum navali praelio ſuperati ſunt, eodemque tempore Syracuſii, & Locri, & Meſſanenſes ab Athenienſibus victi fuere. At affecto iam Hecatombaeone Lacedaemonii in Sphacteria inſula obſeſſi a Cleone Athenienſium duce ſuperati ſunt antequam Nicias Athenienſium dux Corinthios prope Soligium collem vinceret (1).

Hoc anno, quo Peloponneſiaci belli *ſeptimus* agebatur, Artaxerſes Perſarum rex Thucydide (2), ac Diodoro (3) teſte e vivis exceſſit, ipſique Xerſes ſuccedit.

OLYMPIAS LXXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4290. Vrb. Cond. 330.
Iſarchus Athenis Archon CCLX.

Ap. Claudius Ap. F. Ap. N. Craſſus
L. Sergius C. F. C. N. Fidenas II.
Sp. Nautius Sp. F. Rutilus
Sex. Iulius Iulus
T. M. Conſ. Pot.

Symmachus Meſſenius iterum ſtadio vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (4): Τέτυ δὲ τῦ ἔτυς διελθόντος Ἀθήνησι μὲν ἦν Ἄρχων Ἴσαρχος, παρὰ δὲ Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἐννάτη καὶ ογδοηκοςὴ, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ςάδιον Σύμμαχος τὸ δεύτερον *Exacto hoc anno Athenis Archontis munus gerebat Iſarchus, apud Eleos vero Olympias octogeſima nona celebrata fuit, qua vicit ſtadio Symmachus ſecundo*.

Dorieus Rhodius tertio *pancratio* victor fuit. Etenim Pauſanias (5) ait: Δωριεὺς ὁ νεώτατος παγκρατίῳ νικήσας Ὀλυμπιάσιν ἐφεξῆς τρίσιν *Dorieus natu minimus, cui de pancratio Olympiadibus continuis tribus victoria adiudicata eſt*. Itaque, quum ſecunda ipſius victoria in ſuperiorem Olympiadem certo inciderit, tertia huic Olympiadi adſcribi debet.

Hellanicus Alcaeneti filius Lepreates *puerorum pugilatu* palmam obtinuit. Pauſanias ipſe (6) Ἑλλάνικον δὲ τὸν Ἀλκαινέτυ

(1) Lib. IV. c. 26. (2) Lib. IV. c. 50. (3) Lib. XII. c. 64. (4) Lib. XII. c. 65.
(5) Eliac. II. c. 7. (6) Ibi. c. 7.

νέτου, καὶ Θέαντον ἐπὶ πυγμῇ παίδων ἀναγορευθῆναι, τὸν μὲν ἐνάτῃ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα Ὀλυμπιάδι, τὸν δὲ τῇ ἐφεξῆς ταυτῇ συνέβη τὸν Θέαντον *Hellanicus*, *& Theantus eius filii victores de puerili pugilatu renunciati ſunt; ille nona & octogeſima Olympiade, hic proxima poſteriore*. Hoc ipſo *puerorum*, ac *virorum* etiam *pugilatu* Ariſtaenetus ipſe palmam retulerat.

Hoc anno Ariſtophanes Fabulam *Nubes* edidiſſe dicitur a Scholiaſte (1): Αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει ἐπὶ Ἄρχοντος Ἰσάρχου *Primae Nubes actae ſunt in urbe ſub Archonte Iſarcho*; iterumque (2) Archon ipſe a Scholiaſte memoratur: πρὸ τούτου (Ἀμεινίου) Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ Νεφέλαι ἐσήθχησαν *ante hunc (Aminiam) Iſarchus, ſub quo Nubes editae fuere*. Athenienſes prope Delium Boeotorum urbem cum Boeotis ipſis accerrime, at infeliciter, dimicarunt (3); qua in pugna Socratem ipſum eximia fortitudinis ſpecimina edidiſſe Plato, & Xenophon prodidere.

An. $\frac{1}{2}$. Aminias Pronapi filius Athenis Archon CCLXI.

C. Sempronius A. F. A. N. Atratinus
Q. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus Coſſ.
Inibant Idibus Decembris

Archon ille ab Athenaeo, quem ſuperius, exhibui, nitide diſerteque poſt Iſarchum Faſtis inſcribitur: quemadmodum Diodorus (4) etiam huic anno Aminiam adſcripſit.

Ita Ariſtophanis Scholiaſtes (5), qui huius Archontis anno *Nubes ſecundas* editas eſſe teſtatur: Αἱ δὲ δευτέραι Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐπὶ Ἀμεινίου *ſecundae Nubes actae ſunt ſub Aminia* Archonte.

Exeunte fere Iſarchi Archontis anno induciae inter Athenienſes, & Peloponneſios inſtitutae ſunt. Athenaeus (6) de induciis, quae inter Spartanos, atque Athenienſes ſancitae ſunt, loquens ait: Οὔτε οὐκ εἰκὸς ἐν Ἀθήναις ἀσφαλῶς διατρίβειν πρὸ τοῦ τὰς ἐνιαυσίας ἐπὶ Ἰσάρχου Ἐλαφηβολιῶνος συντελεσθῆναι σπονδάς . . . . . Ἀστύφιλος πέμπτος ὢν ἀπ' Ἰσάρχου, καθ' ὃν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο. Ἴσαρχος γάρ, εἶτ Ἀμεινίας, μεθ' ὃν Ἀλκαῖος, εἶτ Ἀρι-

(1) In Argum. IV. (2) Ibi ad vers 552. (3) Thucyd. Lib. IV. c. 101. & Diodor. Lib. XII. c. 69. 70. (4) Lib. XII. c. 72. (5) In Argum. IV. (6) Lib. V. c. 18.

ριϛίων, εἶτ' Ἀϛύφιλος quos Athenis verſari tuto potuiſſe credibile non eſt, anteaquam ſub Iſarcho Elaphebolione menſe in annum pactae eſſent induciae.... ab Iſarcho, ſub quo induciae factae ſunt, quinctus Archon fuit Aſtyphilus. Nam Iſarchum ſequutus eſt Aminias, hunc Alcaeus, deinde Ariſtion, poſt Aſtyphilus.

Eiuſmodi vero Ariſtophanis Fabulam non *iterato* ſolum, ſed *tertio* quoque, editam fuiſſe putaverim, quamvis id a nullo prorſus Interprete memoretur. Certe plura ſubinde occurrunt, ut obſervavit Palmerius (1), quae Cleonem iam defunctum ſupponunt; ut proinde Palmerius ipſe Cleonis mortem Aminiae Archontis anno, ſecundaque Nubium didaſcalia iam contigiſſe putaverit. Sed Cleonis mors anno proximo maturior eſſe non potuit. Siquidem ille Alcaei Archontis anno dux in Amphipolim electus fuit, ibique dimicans interiit, ut nitide diſerteque tradit Diodorus (2). Athenaeus (3) etiam expeditionem illam in Amphipolim Cleone duce, & Alcaeo Athenis Archonte ſuſceptam eſſe teſtatur; atque Thucydides, qui expeditioni illi interfuit, atque poſt illam *vicennio* Athenis exulavit (4). Cleonis mortem in anno 10. Peloponneſiaci belli collocavit. Sed annus ille exeunte ſolum anno 2. Oly. LXXXIX. incepit, ergo Cleonis mors ad annum 3 certiſſime referri debet. Itaque fallitur Luciani Scholiaſtes (5), qui ait *ἐτετελεύτα Κλέων νικηθεὶς ὑπὸ Βρασίδου ἐπ' Ἄρχοντος Ἀμεινίου obiit Cleo victus a Braſida ſub Archonte Aminia*; quemadmodum Ariſtophanis Scholiaſtes (6) non alteri, quam Iſarchi, anno mortem illam adſcribit. Androtion tamen mortem ipſam Alcaei Archontis anno contigiſſe teſtatur; quod ab inedito quoque Aeſchinis Scholiaſte aſſeritur, quem ad Olymp. LXXVII. annum $\frac{3}{4}$. exhibui. Itaque Dodvellus (7) Ariſtophanici Scholiaſtae errorem perſpicue certoque refutavit.

Hoc Aminiae Archontis anno Ariſtophanis *Veſpae* editae ſunt. Scholiaſtes: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀμινίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπιὰν ἦν β' εἰς Λήναια, καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης προάγων, Γλαύκων Πρέσβεσι τρίτος.* Kuſterus

(1) Exercit. pag. 731. (2) Lib. XII. c. 73. (3) Lib. II. & Lib. V. c. 18. (4) Thucyd. Lib. VI. c. 26. (5) In Timon. c. 30. (6) Ad Nubes ver. 549. 552. (7) Annal. Thucyd. pag. 160. 161.

…us ita reddidit *acta eſt Fabula Archonte Aminia in urbe . . . . . Ludis Lenaeis. Et primus vicit Philonides . . . . . Glaucon tertius* Πρέσβεσι. Petitus praeſidentior Meurſium [1] ſequutus aſſerit Fabulam in Vrbe Olympici Agonis tempore primum editam, mox in Lenaeis iterum exhibitam; tuncque Philonidem *Proagonide*, mox Ariſtophanem *Veſpis*, & Glauconem *Presbeſi* viciſſe. Modeſtior, longeque felicior Palmerius [2] legendum putavit καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης, δεύτερος . . . . . Προάγωνι, Γλαύκων Πρέσβεσι τρίτος & *vicit primus Philonides, ſecundus . . . . .* Προάγωνι, *Glaucon tertius* Πρέσβεσι: tandemque ingenue fatetur ſe neſcire quid ſit ἐν τῇ πόλει εἰς Λήναια, quum Lenaea in agro celebrarentur.

Aminias ipſe ab Ariſtophanis Scholiaſte memoratur, ubi teſtatur quod Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμινίου *obiit Cleon ſub* Archonte *Aminia*. Quo tamen loci Scholiaſtem ipſum deceptum eſſe oſtendemus ubi Cleonis mortem proximo Alcaei Archontis anno contigiſſe demonſtrabimus. Denique Archon ipſe a Luciani Scholiaſte, atque a Laërtio [3] memoratur ubi de natali Platonis anno loquens ait: Πλάτων δ᾽ ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονεν, ἐφ᾽ οὗ Περικλῆς ἐτελεύτησεν *Plato ſub Aminia natus eſt, ſub quo Pericles obiit.*

Argivae Iunonis Templum Chryſidis Sacerdotis incuria conflagravit. Id autem hoc anno contigiſſe perſpicue oſtendit Thucydides [4], qui quum praemiſiſſet [5] 48. eius Sacerdotis anno Peloponneſiacum bellum incepiſſe, Chryſidem Sacerdotio poſt initium ipſum per annos octo, ac dimidium perfunctam eſſe adiecit; ut proinde templi incendium, Chryſidiſque fuga in annum 9 Belli inciderit. Hiſtoria ipſa fuſe a Pauſania [6] deſcribitur, qui Chryſidem non Phliunta, ut Thucydides ait, ſed Tegeam, aufugiſſe dicit. Eiuſmodi vero incendium Boëdromione menſe contigiſſe ſubtiliter coniecit, oſtenditque Dodvellus [7].

Hoc eodem anno Braſidas Spartanorum dux Athenienſibus Scionem in Thracia eripuit, ac Lesbii ab Athenienſibus deficientes Antandrum occuparunt, quam Ariſtides iterum occupatam Athenienſium imperio ſubiecit [8].

(1) De Arch. Ath. Lib. III. cap. 5. (2) Exercit. in Ariſtoph. (3) Lib. III. ſegm. 3. (4) Lib. IV. c. 133. (5) Lib. II. n. 1. (6) Corinth. c. 17. (7) Annal. Thucyd. pag. 156. (8) Diod. Lib. XII. c. 72.

An. $\frac{2}{3}$. Alcaeus Athenis Archon CCLXII.

L. Manlius Capitolinus *L. Papirius Mugillanus* *Q. Antonius Merenda* *L. Servilius Structus*	T. M. Conſ. Pot.

Eponymi Archontis nomen Diodoro (1), Athenaeo (2), ac Thucydidi memoratum. Etenim Athenaeus praeter verba ſuperius allata de Cleonis morte loquens ait: Τέθνηκε δὲ πρὸ τῆς ἐπ' Ἀλκαίου διδασκαλίας τῶν Εὐπόλιδος Κολάκων *obiit ſub Alcaeo ante editos ab Eupolide* Adulatores: quod nimirum hoc anno Eupolidis *Colaces*, ſive *Adulatores* editi ſint, Cleon autem pridem obierit.

Ita Thucydides (3) hoc anno *quinquaginta* annorum inducias inter Lacedaemonios, atque Athenienſes ſancitas eſſe teſtatur: Ἄρχει δὲ σπονδῶν Ἔφορος Πλειστόλας Ἀρτεμισίου μηνὸς τετάρτῃ φθίνοντος, ἐν δὲ Ἀθήναις Ἄρχων Ἀλκαῖος Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος. *Quum autem foedera percuſſa fuere Pliſtolas Ephorus Spartae erat Artemiſii menſis quarto ante finem die, Athenis vero Archon erat Alcaeus Elaphobolionis menſis ſexto ante finem die*; iterumque Ephorum Pliſtolam, & Alcaeum Archontem memoravit.

Itaque corrigendus Ariſtophanis Scholiaſtes (4), qui Archontem hunc *Alcmaeonem* vocavit. Alcaeus ipſe ab inedito Aeſchinis Scholiaſte memoratur, quem in anno $\frac{3}{4}$ Olymp. LXXVII exhibui, ubi Athenienſes prope Amphipolim infeliciter dimicaſſe teſtatur. Protagoras Abderites hoc anno Athenas conceſſit. Siquidem ille in *Adulatoribus*, quos Eupolis hoc anno edidit, veluti *peregrinus* taxatur, ut Athenaeus (5) teſtatur.

Huic anno Eudoxi Gnidii ortum adſcribendum eſſe putaverim. Etenim Laertius (6) ait ipſum 23. aetatis anno Athenas conceſſiſſe, ut Socraticos audiret, adeoque ſubindicat Socratem iam e vivis exceſſiſſe; ergo ipſius nativitas ante Olymp. LXXXIX. annum 2. contigiſſe non potuit. Laërtius

(1) Lib. XII. c. 73. (2) Lib. V. c. 18. (3) Lib. V. c. 19. (4) Ad Pacem. (5) Lib. V. c. 18. (6) Lib. VIII. ſeg. 86.

tius ipſe ſemel iterumque teſtatur ipſum ad Olymp. CIII. perveniſſe, annoſque natum 53. obiiſſe, ergo ipſius nativitas exeunte Olymp. LXXXIX. poſterior eſſe non poterit: ut proinde ortus ille vel exeunti LXXXIX., vel ineunti XC. Olympiadi adſcribi debeat. Itaque, quum Euſebius in anno 3. Olymp. LXXXIX. Eudoxum claruiſſe ſcribit, fortaſſe natalem ipſius annum indicavit; atque ubi Suidas ipſum Olymp. CIII. floruiſſe dicit, tempus exponere fortaſſe voluit, quo illum obiiſſe didicerat.

An. $\frac{3}{4}$. Ariſtion Athenis Archon CCLXIII.

T. Quinctius T. F. Capitolinus Barbatus
N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus Coſſ.

Archon ille veluti Alcaei ſucceſſor ab Athenaeo (1), quem ſuperius attuli, memoratur, ejuſque Archontis anno *Antolycum* Drama ab Eupolide editum eſſe teſtatur: Ἐςὶ δὲ ἔτος ὁ καιρὸς καθ' ὃν Ἀρισίων Ἄρχων ἦν· ἐπὶ τύτυ γὰρ Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον δίδαξας διὰ Δημοςράτυ χλευάζει τὴν νίκην τῦ Αὐτολύκυ *eo ſcilicet tempore Ariſtion Archon erat; ſub quo Eupolis Demoſtrato agente Autolycum Fabulam docuit, qua Autolyci victoriam irridet*. Quin etiam *Agreſtes* a Pherecrate tunc editos memoravit: Ἐδιδάχθησαν οἱ Ἄγριοι ἐπὶ Ἀρισίωνος Ἄρχοντος *editi ſunt Agreſtes ſub Ariſtione Archonte*. Itaque, quum conſtanter adeo Archon ille *Ariſtion* vocetur, ipſius nomen in Diodori (2) textu reſtitui debet, a quo *Ariſton* appellatur.

Quum aeſtate Athenienſes Scionem expugnaſſent, urbem illam Plataeenſibus colendam conceſſere; ac Delios in Delum inſulam reduxere (3), ut ex Thucydide demonſtravit Dodvellus.

Athenienſes Lacedaemoniis irati de foedere ſolvendo cogitant. Itaque foedus cum Argivis, Eleis, ac Mantinaeis ineunt, ipſumque Legatorum ope utrimque firmandum decernunt (4).

(1) Lib. V. c. 17. (2) Lib. XII. c. 75. (3) Thucyd. Lib. V. c. 32. (4) Thucyd. Lib. V. c. 42.

OLYMPIAS XC.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul 4294. Vrb. Cond. 334.
Aſtyphilus Athenis Archon CCLXIV.

T Quinctius L. F. L. N. Pennus Cincinnatus II.
L. Furius Medullinus III.
M Manlius Capitolinus T. M Conſ. Pot.
A. Sempronius L. F. A. N. Atratinus II.

Hyperbius Syracuſanus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (1) a quo Archon *Ariſtophilus* appellatur : Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριςοφύλȣ Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα ἐνενηκοςὴν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Ὑπέρβιος Συρακȣ́σιος *Archonte Athenis Ariſtophylo Elei celebrarunt Olympiadem XC. qua vicit ſtadio Hyperbius Syracuſanus*. Aſtyphilus idem, eiuſque ſitus perſpicuo Athenaei teſtimonio demonſtratur, quod in Olymp. LXXXVIII. iam protuli.

Theantus vero Alcaeneti filius Lepreates *puerorum pugilatu* palmam obtinuit, ut in ſuperiori Olympiade Pauſaniae (2) teſtimonio demonſtravi.

Androſthenes Arcas Maenalius Lochaei filius *virorum pancratio* viciſſe dicitur a Thucydide (3): Ὀλύμπια δὲ ἐγένετο τȣ̃ θέρȣς τȣ́τȣ, οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα. *Hac autem aeſtate Olympia extiterunt, in quibus Androſthenes Arcas tunc primum pancratio vicit*. Victoriam ipſam inter viros ſemel iterumque partam memoravit Pauſanias (4), quamvis nullam Olympiadis mentionem adiecerit.

Lichas Arceſilai filius Lacedaemonius *curru*, vel *tethrippo* in Ludis ipſis palmam obtinuit; ſed victoriam illam Thebanae civitati, ſive Boeotorum Communi conceſſit, ut Pauſanias (5), atque Thucydides (6) etiam teſtantur.

Aſtyphili Archontis nomen, ac ſitus Oxonienſis quoque Chronici teſtimonio confirmatur (7): Ἀφ' ȣ̃ Ἀρχέλαος Μακεδόνων ἐβασίλευσε Περδίκκȣ τελευτήσαντος, ἔτη Η ΔΙΠΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀςυφίλȣ *A quo Archelaus apud Macedones* regna-

(1) Lib. XII. c. 77. (2) Eliac. II. c. 47. (3) Lib. V. c. 49. (4) Eliac. II. c. 6. (5) Eliac. II. c. 2. (6) Lib. V. c. 50. (7) Epoch. 62. Lin. 76.

regnavit Perdicca defunćto, anni CLVI. Archonte Athenis Aſtyphilo. Obliteratos annorum characteres Lydiatus, Seldenus, Prideauxius ita refingendos exiſtimant, ut annus 156 habeatur, adeoque Chronici Scriptor cum Diodoro conſpiret. Facile tamen cum Palmerio annus 157. inſeri poterit, ut Scriptor ille conſueta methodo hic Diodoro ſerior videatur.

Huius Archontis anno Delum Inſulam oraculi monitu Deliis incolis ab Athenienſibus reſtitutam fuiſſe Diodorus memoravit (1), quod tamen Thucydides (2) anno ſuperiori contigiſſe ſubindicat. Ceterum exeunte 4. Olympiadis anno Munychione menſe foedera inter Argivos, ac Lacedaemonios ſancita ſunt (3); atque Athenienſes Panacti excidio offenſi foedera cum Lacedaemoniis inita ſolvere cogitarunt.

An. $\frac{1}{2}$. Archias Athenis Archon CCLXV.

Agrippa Menenius T. F. Agrip. N. Lanatus
P. Lucretius Hoſti F. Tricipitinus
Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus
C. Servilius Q. F. C. N. Axilla
T. M. Conſ. Pot.

Archiae nomen a Diodoro (4) ſolo nobis exhibetur, qui huius Archontis anno Alcibiadem Athenienſium Strategum Argivis contra Lacedaemonios opem tuliſſe memorat; quamvis inter Agidem Spartanorum regem, atque Argivorum Legatos mox quadrimeſtres induciae ſancitae fuerint.

An. $\frac{2}{3}$. Antipho Athenis Archon CCLXVI.

M. Papirius Mugillanus
C. Servilius Q. F. C. N. Axilla II.
L. Sergius C. F. C. N. Fidenas III.
T. M. Conſ. Pot.

Dio-

(1) Lib. XII. c. 77. (2) Lib. V. c. 32. (3) Ibi. c. 40. (4) Lib. XII. c. 78.

Diodorus [1] Antiphontis Archontis anno Argivos, ac Lacedaemonios ita de pace, ac ſocietate egiſſe dicit, ut Mantinenſes ab Argivis deſtituti Lacedaemoniis parere coacti ſint.

An. $\frac{3}{4}$. Euphemus Athenis Archon CCLXVII.

P. Lucretius Hoſti F. Tricipitinus II.
Agrippa Menenius T. F. Agrippae N. Lanatus II.
Sp. Veturius Craſſus. T. M. Conſ. Pot.
L. Servilius Structus II.

Archon ille a Diodoro [2], itemque ab Athenaeo [3] ſemel iterumque nominatur, ubi victoriam ab Agathone Tragico in Lenaeis Feſtis partam memoravit: Ὅτε Ἀγάθων ἐνίκα Πλάτων ἦν δεκατεσσάρων ἐτῶν· ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ Ἄρχοντος Εὐφήμȣ ςεφανȣ̃ται Ληναίοις *nam quum Agatho vicit, Plato annos tantum quatuordecim natus fuit. Etenim in Lenaeis Agathon ſub Euphemo corona donatus eſt*; eiuſque ſitum in Faſtis Atticis clarius oſtendit Athenaeus ubi Euphemum ab Ariſtione *quartum* enumerat: Ἀριςίων πρὸ τεσσάρων ἐτῶν Εὐφήμȣ πρότερος ἦρξεν *Ariſtion quatuor ante Euphemum annis Archon fuit.* Eiuſmodi vero Archontis ſitus exinde quoque colligitur, quod Diodorus Peloponneſiaci belli initium ab anno 2. Oly. LXXXVII. repetens aſſerat huius Archontis anno 15. Peloponneſiaci Belli annum abſolutum fuiſſe; eoque Alcibiadem ab Athenienſibus Argos ablegatum memorat, ut apud illos inteſtinis partium diſcordiis ſublatis Democratiam confirmaret.

OLYMPIAS XCI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4298. Vrb. Con. 338.
Ariſtomneſtus Athenis Archon CCLXVIII.

A. Sempronius L. F. A. N. Atratinus III.
Q. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus T. M. Conſ. Pot.
M. Papirius Mugillanus II.
Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus II.

Ex-

(1) Lib. XII. c. 80. (2) Lib. XII. c. 81. (3) Lib. V. c. 18.

Exaenetus Agrigentinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro. Perperam in Africano Ἐξάγεντος *Exagentus* is appellatur, quum *Exaeneti* nomine ab Aeliano (1) quoque vocetur. Certe utrumque memorat Diodorus (2): Τῷ δὲ ἑκκαιδεκάτῳ ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου παρ' Ἀθηναίοις μὲν ἦν Ἄρχων Ἀριςόμνηςος, παρὰ δὲ Ἠλείοις ἤχθη Ὀλυμπιὰς πρώτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Ἐξαίνετος Ἀκραγαντῖνος *ſextodecimo anno belli Peloponneſiaci apud Athenienſes Archon erat Ariſtomneſtus, ab Eleis vero celebrata fuit Olympias nonageſima prima, qua vicit ſtadio Exaenetus Agrigentinus*. Ita quoque Ariſtophanis Scholiaſtes (3) Archontem ipſum, eiuſque ſitum oſtendit: Λάβοι δ' ἄν τις τοὺς χρόνους ἐκ τῶν πέρυσι γενομένων, ἐπὶ Ἀριμνήςου τοῦ πρὸ τοῦ Χαβρίου *tempus autem quis coniiciat ex iis, quae anno ſuperiore geſta ſunt ſub Arimneſto, qui ante Chabriam Archon fuit*. Lyſias quoque (4), ſed diſſimulato Olympiadis anno, ſolum Archontis nomen expreſſit, atque Scholiaſtis inſtar *Arimneſtum* hunc appellavit. Denique Archontem ipſum ab Heſychio quoque memoratum inveni ubi de Hermarum obtruncatoribus ait: Ἑρμοκοπίδαι. οἱ περικόψαντες τοὺς Ἑρμᾶς Ἀθήνησιν ἐπὶ Ἀριμνήςου Ἄρχοντος τοῦ Πελοποννησιακοῦ ἐνεςῶτος πολέμου. Ἑρμοκοπίδαι, *ii, qui Hermas truncarunt Athenis ſub Arimneſto Archonte Peloponneſiaci belli tempore*.

Alcibiades quoque hac Olympiade palmam obtinuit. Etenim, ut optime obſervavit Dodvellus (5), Nicias anno 2. huius Olympiadis ἱπποτροφίαν *equorum alendorum ſtudium* Alcibiadi apud Thucydidem (6) exprobravit, atque Alcibiades ipſe ſeſe equos ad Olympia nutriviſſe concedit. Itaque, quum id ad Olympiadem XC. revocari non poſſit, ut ex Alcibiadis aetate, ac nuptiis ſubtiliter Dodvellus ipſe collegit, non alteri commodius, quam huic, Olympiadi victoria illa adſcribi poterit.

Androſthenes Arcas, qui Thucydide teſte ſuperiori Olympiade *primum* pancratio vicerat, facile in Olympiis iſtis palmam *ſecundo* obtinuit. Siquidem Olymp. XCIII. Polydamas Scotuſſaeus *pancratio* victor fuit.

Ar-

(1) Var. Hiſtor. Lib II c. 8. (2) Lib. XII. c. 82. & XIII. c. 34. (3) Argum III. ad Aves. (4) De Philoctem. Haered. (5) Annal. Thucyd. pag. 188. (6) Libr. VI. c. 12. & 16.

Archippus Athenienſis Comicus victoriam reportavit. Suidas: *Ἄρχιππος ἐνίκησεν ἅπαξ ἐπὶ τῆς ἐνενηκοστῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος* *Archippus vicit ſemel nonageſima prima Olympiade.*

Euripides quoque, ac Xenocles quatuor Tragoediis editis certarunt, ut ab Aeliano [1] erudimur, victoriamque Xenocles obtinuit.

Ineunte iam *primo* huius Olympiadis anno Athenienſes adverſus Melios cum exercitu movent, ipſiſque ſuperatis coloniam eo deducunt, ut ex Thucydide [2] obſervavit Dodvellus; quamvis id Diodorus ad annum 3. Olymp XC. revocaverit. Optime is tamen hoc anno Athenienſium Legatos ab Egeſtaeis vocatos in Siciliam transfretaſſe memoravit.

An. $\frac{1}{2}$. Chabrias Athenis Archon CCLXIX.

P. Cornelius P. N. Coſſus	
C. Valerius L F Voluſi N Potit. Voluſ.	Trb. Mil.
.... *Quinctius Cincinnatus*	Conſ. Pot.
N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus	

Chabriam hunc praeter Diodorum [3] Ariſtophanis Scholaſtes [4] memoravit, ubi Fabulas *Aves*, atque *Amphiaraum* tunc ab Ariſtophane editas eſſe teſtatur: *Ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξεν διὰ Φιλωνίδου* *Sub Chabria fabulam* (Aves) *edidit in urbe, agente Calliſtrato; in Lenaeis vero Amphiaraum docuit per Philonidem*; iterumque in alio eiuſdem Fabulae Argumento repetit illas *ἐπὶ Χαβρίου Ἄρχοντος* *ſub Chabria Archonte* ſimul cum Amipſiae *Comaſtis*, & Phrynichi *Monotropo* vulgatas eſſe.

Antequam tamen Chabrias magiſtratum ſuum iniret, hoc eſt exeunte iam 1. Olymp. anno, poſt Munychionis menſis initium Athenienſium Legati una cum Egeſtaeis ex Sicilia reduces Athenienſes impellunt ut 60. navium claſſem Alcibiade, Nicia, & Lamacho ducibus in Siciliam decernerent [5]. Sed priuſquam Alcibiades una cum claſſe diſcede-

(1) Var. Hiſtor. Lib. II. c. 8. (2) Lib. V. c. 116. (3) Lib. XIII. c. 2. (4) Argum. III. ver. in Aves. (5) Thucyd. Lib. VI. c. 8. & Diod. XII. c. 82. 84.

deret, Athenis *Hermae*, vel Mercurii ſtatuae truncatae fuerunt, quod ingentes adeo turbas in urbe excitavit (1). Id ἔνῃ καὶ νέᾳ, hoc eſt *triceſima* menſis die, contigiſſe ſcribit Plutarchus (2); idemque prorſus a Diodoro (3) traditur, qui νεμενίαν fuiſſe dicit. Itaque Dodvellus (4) exiſtimat id prima Thargelionis Attici die contigiſſe, adeoque Alcibiadem affecto iam Scirrophorione menſe navigaſſe. Inſignis autem ille Plutarchi, ac Diodori locus de Hermarum Athenis truncatorum tempore, quem magnus Scaliger arripuerat, ut Atticam Periodum a ſe excogitatam aſſereret, opportunius alibi (5) iam explicatus a me fuit, ubi demonſtravi id neque *triceſima* menſis die, neque *neomenia*, ut Plutarchus, ac Diodorus etiam putaverat, ſed *plenilunio* contigiſſe; ut proinde Hermarum mutilatio medio Thargelioni menſi adſcribi debeat.

Brevi tamen, hoc eſt exeunte fere Hecatombaeone, quo Callias magiſtratum iniverat, Alcibiades miſſa Salaminia navi in iudicium Athenas revocatur; ſed ille cum Sociis aufugiens e Thuriis digreſſus in Peloponneſum revertitur (6). Nicias, & Lamachus diviſis inter ſe copiis varias Siculorum urbes infeſtant, & affecto iam Pyanepſione menſe Syracuſanos prope Olympieum ſuperant, moxque Naxum in hiberna concedunt.

An. $\frac{2}{3}$. Piſander Athenis Archon CCLXX.

Q. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus II.	
P. Poſthumius A. F. A. N. Albin. Regill.	Trib. Mil.
Cn. Cornelius Coſſus	Conſ. Pot.
L. Valerius L. F. P. N. Potitus	

Vnicus eſt Diodori (7) locus, qui Piſandrum hunc memoret: Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πεισάνδρυ *Archonte Athenis Piſandro*.

Exeunte propemodum anno 2. vel Munychione menſe, Athenienſes in Siciliam e Naxo reduces Megarenſium

 agros

(1) Thucyd. Lib. VI. c. 27. (2) In Alcibiade. (3) Lib. XIII. c. 2. (4) Annal. Thucyd. pag. 185. (5) Tom. II. pag. 298. (6) Thucyd. Lib. VI. c. 63. & Diod. XIII. c. 5. (7) Lib. XIII. c. 7.

agros populantur, Syracuſanis quibusdam interemptis, Catanam revertuntur (1). Mox prope Epipolas cum Syracuſanis dimicant, Lamachoque occiſo Syracuſas vallo circumdant; quumque Gylippus Lacedaemoniorum dux cum Corinthiis, ac Lacedaemoniis navibus Leucada appellens Syracuſis opem ferre deſperaret, Tarentum, ac Thurios contendit; quumque (2) ineunte iam Hecatombaeone menſe, annoque 3. Olympiadis Meſſenam, Himeram, Syracuſas appuliſſet, cum Athenienſibus dimicans ſuperatus fuit. Additi mox Niciae Menander, ac Euthydemus imperii collegae, miſſuſque Demoſthenes; atque Eurymedon circa ſolſtitium aeſtivum, ut ait Diodorus (3), qui navibus Corinthios Siculis opem laturos impedirent, ſimulque Niciam in rebus Siculis adiuvarent.

Huic anno *Decelici* belli initium adſcribit Diodorus (4), ipſumque δυοκαίδεκα *duodecim* annos flagraſſe dicit. Sed gravior, antiquiorque teſtis Iſocrates (5) bellum ipſum δέκα ἔτη συνεχῶς *decem continuis annis* viguiſſe dicit, eiuſque finem *Triginta* civibus, aut Tyrannis Athenis inſtitutis contigiſſe teſtatur. Itaque, quum cives illi, ſive Tyranni anno 1. Olymp. XCIV. imperium ſuſceperint, Decelici belli initium hoc ipſo anno 3. Olymp. XCI. contigiſſe debuit; alioquin, ſi 12. annos occupaſſet, adeoque Lacedaemonii 12. annis cum Athenienſibus bellum geſſiſſent, bellum ipſum poſt victas a Lyſandro Athenas, pacemque, ac foedera cum Athenienſibus inita perſeveraſſet, quod a perſpicuis Scriptorum, atque ipſius etiam Diodori teſtimoniis abhorret. Nullus ergo dubitandi locus, quin in Diodori textu δέκα *decem* reſcribi debeat, ut Diodorus ipſe cum aliis, ſecumque ipſe conſpiret. Ceterum ubi Diodorus Decelicum bellum Piſandri Archontis anno exarſiſſe dicit, id de extrema ſolum anni parte intelligi debet, ut in anno proximo obſervabitur.

An. $\frac{3}{4}$. Cleocritus Athenis Archon CCLXXI.

M. Cornelius Coſſus
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus Coſſ.

Cleo-

(1) Thucyd. Lib. VI. c. 69. (2) Libr. VII. c. 1. & 17. (3) Ibi. c. 8. (4) Libr. XIII. c. 8. (5) Orat. adverſ. Callimach.

Cleocritus ille a Diodoro [1], ſimulque a Plutarcho nominatur, a quo tamen in Lyſiae Vita *Clearchus* vocatur: Κτησάμενός τε οἰκίαν, καὶ κλήρῳ λαχὼν ἐπολιτεύσατο ἕως Κλεάρχου τοῦ Ἀθήνησιν Ἄρχοντος ἔτη ἑξήκοντα τρία *domoque parta ſorte ductus rempublicam geſſit, uſque ad id tempus, quo LXIII. annos implevit, Archonte Athenis Clearcho*. Scholiaſtes vero Ariſtophanis ineditus apud Dodvellum Archontem hunc *Leocritum* vocavit, ut in anno proximo obſervabitur.

Ineunte vere, vel Elaphebolione menſe, Atticam Lacedaemonii Agide duce praedantur, atque Deceleam muniunt [2]. Athenienſis vero claſſis Demoſthene, ac Eurymedonte ducibus cum Corinthiis circa Sciropherionem menſem ad Erineum conflixit. At Hecatombaeone menſe Syracuſani feliciter cum Athenienſibus dimicarunt, viribuſque atque animo freti Demoſthenem, ac Niciam inſequuntur, captoque Demoſthene, Niciam quoque poſtridie ad Aſinarum fluvium comprehendunt [3]. Id 27. Carnii Siculi menſis die contigiſſe perſpicue tradit Plutarchus [4]; Carniumque ipſum cum Metagitnione Attico committit. Itaque praeclare fallitur Hieronymus, qui cladem illam anno 2. Oly. XC. *ſexennio* maturius collocavit; quum certe exitium illud poſt Lunae eclipſim contigerit, quae 27. Auguſti Romani die hoc anno obſervata fuit; quumque Thucydides [5] aſſerat Niciam *duodecima* poſt eclipſim die prope Aſinarum fluvium Gylippo victori ſe dedidiſſe, clades illa optime in 27. Carnii Siculi diem incidiſſe debuit.

Ceterum eiuſmodi clade audita Athenienſes ipſi tum claſſem praeparant, tum Sunium maniunt [6]: quod Maemacterioni menſi adſcribit Dodvellus.

OLYMPIAS XCII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4302. Vrb. Con. 342.
Callias Athenis Archon CCLXXII.

Q. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus
C. Furius C. F. Pacilus Coſſ.

Ii 2 Ar-

(1) Lib. XIII. c. 9. (2) Thucyd. Lib. VII. c. 19. & Diod. loc. cit. (3) Lib. VII. c. 36. (4) In Nicia. (5) Lib. VII. c. 4. (6) Lib. VIII. c. 4.

Archontis nomen, ſimulque ſitum perſpicue oſtendit Diodorus [1]: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου Ὀλυμπιὰς ἤχθη δευτέρα πρὸς ταῖς ἐννενήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα ϛάδιον Ἐξαίνετος Ἀκραγαντῖνος *Archonte Athenis Callia Olympias celebrata fuit nonageſima ſecunda, qua vicit ſtadio Exaenetus Agrigentinus*; iterumque victoriam ipſam alio in loco [2] memoravit Diodorus. Ita Dionyſius [3] aſſerit quod Lyſias iampridem Sybarim in coloniam miſſus παραγενόμενος αὖθις εἰς Ἀθήνας κατὰ Ἄρχοντα Καλλίαν ἕβδομον καὶ τεσσαρακοϛὸν ἔτος ἔχων, ὡς ἄν τις εἰκάσειεν, ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου διετέλεσε διατριβὰς ποιούμενος Ἀθήνησι *Athenas reverſus ſub Callia Archonte quadrageſimum ſeptimum annum agens, ut coniicere licet, ab eo tempore Athenis ſemper verſatus eſt in Orationibus ſcribendis occupatus*. Eademque fere Plutarchus: τῷ δ' ἑξῆς Καλλίᾳ Ὀλυμπιάδι ἐνενηκοϛῇ δευτέρᾳ ἐξέπεσε μετ' ἄλλων Τριακοσίων, παραγενόμενος δ' Ἀθήνησιν, ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Κλεόκριτον Ἄρχοντος ἤδη τῶν Τετρακοσίων κατεχόντων τὴν πόλιν διέτριβεν αὐτόθι *proximo anno, Callia Archonte, Olympiade XCII., cum aliis Trecentis eiectus eſt, venitque Athenas ſub Callia, qui poſt Cleocritum Archon fuit, quum iam CCCC viri urbi imperarent, ibique commoratus eſt*. Ineditus etiam Ariſtophanis Scholiaſta [4] a Dodvello citatus Archontem hunc *Calliam* vocavit, ipſumque *Leocrito* ſucceſſiſſe dicit: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου Ἄρχοντος τοῦ μετὰ Λεόκριτον ἄρξαντος *edita eſt ſub Archonte Callia, qui poſt Leocritum Archontis munus obivit*; idemque Calliae nomen velut ex Philochori Attide exſcriptum iterum ponit: Ἀπὸ Καλλίου Ἄρχοντος, ἐφ' οὗ εἰσήχθη τὸ δρᾶμα, ὥς φησι Φιλόχορος ἐν Ἀτθίδι *a Callia Archonte, ſub quo acta fuit Fabula, ut ait Philochorus in Atthide*.

Hoc anno 1. huius Olympiadis ineunte Samii & Clazomenii ab Athenienſibus ad Lacedaemonios defecerunt, variaque fortuna ab Athenienſibus ipſis variis in locis dimicatum fuit.

An. $\frac{1}{2}$. Theopompus Athenis Archon CCLXXIII.

M. Papirius Mugillanus
C. Nautius Rutilus Coſſ.

Dio-

(1) Lib. III. c. 34. (2) Cap. 82. (3) In Lyſia num. 1. (4) In Lyſiſtrat.

Diodoro [1], Lyſiae [2], ſimulque Plutarcho Theopompus ille memoratur. Etenim Plutarchus [3] teſtatur quod *εἷλεν ἀυτὸν ἐξ ἐρήμου ψηφίσματος ἐπὶ Θεοπόμπου Ἄρχοντος, ἐφ᾽ οὗ οἱ Τετρακόσιοι κατελύθησαν eumque reum peregit, quum is quidem vadimonium deſeruiſſet, Archonte Theopompo, ſub quo Quadringentorum poteſtas deleta eſt.*

Ita Antiphon ſublatis iam *Quadringentis*, quorum inſtituendorum auctor habebatur, veluti proditionis reus publico decreto damnatus fuit, ut Plutarchus ipſe demonſtrat. Ita quoque Civis ille, quem Lyſias Oratione XX. defendit, ſe Theopompi Archontis anno ex ephebis exceſſiſſe dicit: *Ἔγω γὰρ ἐδοκιμάσθην ἐπὶ Θεοπόμπου Ἄρχοντος ego enim inter viros relatus fui ſub Theopompo Archonte*. Denique & Euripidis Scholiaſtes in anno $\frac{3}{4}$. mox proferendus Archontem ipſum memoravit.

Hoc anno 1. huius Olympiadis propemodum exituro Reipublicae forma Athenis Alcibiade in primis auctore mutata fuit, ſummumque ius, ac imperium, ſublata Democratia, *Quadringentis* Optimatibus commiſſum fuit. Id perſpicue Thucydides [4], Plutarchus [5], & Diodorus teſtantur, atque ex inedito quoque Photii Lexico confirmavit Dodvellus, in quo legitur: *Οἱ Τετρακόσιοι πρὸ ἑπτὰ ἐτῶν κατέστησαν τῶν λ᾽ Τυράννων, οἵτινες τέσσαρας μῆνας ἦρξαν τῆς πόλεως Quadringenti ſeptem annis ante Triginta Tyrannos fuerunt, & quatuor menſes urbis imperium obtinuerunt*. Itaque ineunte ſolum Elaphebolione menſe imperium illud *Quadringenti* ſuſceperint, atque ineunte Hecatombaeone, & Theopompi Archontis anno reliquerint; ut proinde decretum de amoliendis illis Plutarchus Theopompo Archonte factum dixerit. Vbi vero Photius *Quadringentos* illos 7. annis *Triginta* antiquiores aſſerit, de eo ſolum tempore intelligi debet, quo victis a Lyſandro Athenis 16. Munychionis die anno 4. Olymp. XCIII. nova imperii forma decreta fuit; quamvis deinde anno proximo Athenis imperium ſuſceperint; quemadmodum ubi Thucydides [6] *Quadringentos* ipſos *centeſimo* anno poſt Tyrannos, hoc eſt *Piſiſtratidas*, eiectos

(1) Lib. XIII. c. 38. (2) Apolog. Δωροδ. (3) Vit. X. Rhet. in Antiphonte. (4) Lib. VIII. c. 63. (5) In Lyſia. (6) Lib. VIII. c. 68.

ctos adſcribit, rotundo ſolum numero tempus expreſſit, quum revera nonniſi 98. anni interceſſerint.

Interim vero dum Quadringenti rerum potirentur, Sami quoque ſeditio, & nova Ariſtocratici imperii forma invecta fuit [1]. Alcibiades Thraſybuli opera Samum adveniens auctor fuit ut ſublatis Quadringentis iterum Athenis Democratia reſtitueretur. Plurimum conſilio huic exequendo contulit clades, qua Thargelione menſe Athenienſes a Lacedaemoniis afflictati ſunt [2].

Atque hactenus quidem Thucydides, qui 21. Belli Peloponneſiaci annos ad Metagitnionem uſque anni 2 Olymp. XCII. deduxit, in quo Xenophon Hiſtoriam ipſam proſequutus incepit. Diodorus [3] tamen 22. annorum hiſtoriam a Thucydide exaratam eſſe teſtatur, idque Dionyſius etiam affirmat. Ac certe quidem, quamvis Thucydides [4] ſe ne 21. quidem annos abſolviſſe dixerit, hiſtoriam tamen ad Theopompum uſque deducit, qui a Pythodoro, cuius anno bellum exarſerat, *viceſimus ſecundus* Archon in Faſtis recenſetur.

An. $\frac{2}{3}$. Glaucippus Athenis Archon CCLXXIV.

M. Aimilius Mam. F. M N Mamercinus
C. Valerius L. F. Voluſi N. Potitus Voluſus Coſſ.

Archontis nomen a Diodoro [5], Lyſia [6], & Dionyſio [7] memoratur. Dionyſius: Μέλλων ἐκπλεῖν εις τὴν Α᾽σίαν ἐπὶ Γλαυκίππυ Α῎ρχοντος ἔχων νήπια παιδία, διαθήκας ἐποιήσατο *quum autem transfretaturus in Aſiam ſub Glaucippo Archonte infantes pueros haberet, teſtamentum fecit.*

Quumque Lyſias in Glaucippi Archontis annum Panathenaea τὰ μεγάλα *magna* incidiſſe dicat, ipſius ſitus in Faſtis Atticis mire confirmatur; quum praeſertim illum inter *Theopompum*, & *Dioclem* collocaverit. Sophoclis quoque Scholiaſtes [8] aſſerit ἐπὶ Γλαυκίππυ *Glaucippo Archonte* inſtitutum eſſe ut Iudices ex ſingulis *decem* Tribubus litera-

(1) Lib. VIII. c. 81. & 87. (2) Lib. VIII. c. 91. (3) Lib. XIII. c. 42. (4) Lib. VIII. c. 109. (5) Lib. XIII. c. 43. (6) Apologia Δωροδ. Orat. XX. (7) In Lyſia. (8) Argum. ad Philoct.

rarum ope ſortito eligerentur, ac ipſorum quilibet iuxta literarum ordinem, quae ſorte obtigerant, ſedere, ac iudicare deberet. Quem quidem Philochori, vel Scholiaſtae locum opportunius alibi [1] expoſui, ut oſtenderem huius Archontis anno characterem K *decimum* in literarum ſerie locum obtinuiſſe; quod nimirum nondum character H Athenis receptus eſſet.

Huius Archontis anno Athenienſes Thraſybulo, Thraſyllo, atque Alcibiade ducibus navali praelio cum Lacedaemoniis confligunt, inſignemque victoriam reportant; quemadmodum in locis aliis Lacedaemonios terra marique ſuperant [2].

An. $\frac{3}{4}$. Diocles Athenis Archon CCLXXV.

Cn. Cornelius A. F. M. N. Coſſus
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus II.

Diocles ille Diodoro [3], ac Lyſiae [4] memoratur; eiuſque mentio apud Euripidis Scholiaſtem occurrit [5]: Πρὸ γὰρ Διοκλέους, ἐφ᾽ οὗ τὸν Ὀρέστην ἐδίδαξε, Λακεδαιμονίων πρεσβευσαμένων περὶ εἰρήνης, ἀπιστήσαντες Ἀθηναῖοι, οὐ προσήκαντο ἐπὶ Θεοπόμπου, ὃς ἦν πρὸ Διοκλέους, ὡς ἱστορεῖ Φιλόχορος *ante Dioclem, ſub quo Oreſtem edidit, quum Lacedaemonii Legatos de pace miſiſſent, Athenienſes diffidentes eam non pepigerunt: idque actum ſub Theopompo, qui ante Dioclem Archon erat, ut tradit Philochorus*. Itaque vides *Oreſtem* Euripidis Fabulam hoc anno editam fuiſſe.

Extremis *tertii* anni menſibus Thoricum murum Athenienſes muniunt, antequam Thraſyllus incipiente aeſtate Samum navigaret [6]. Quum vero Lacedaemonii alternante fortuna cum Athenienſibus conflixiſſent, tandem Pylum ante 15. annos ſibi ereptam occupant, ac Megarenſes Niſaeam Athenienſibus ipſis eripiunt, quam tamen ii Megarenſibus trucidatis brevi recuperant [7].

OLYM-

(1) Tom. II. pag. 241. (2) Diod. Libr. XIII. c. 45. (3) Lib. XIII. c. 54. (4) Apolog. Δωροδ. Orat. (5) In Oreſtem verſ. 371. & 770. (6) Xenoph. Libr. I. c. 2. (7) Diod. c. 64. 65.

OLYMPIAS XCIII.

An. 4/1. Per. Iul. 4306. Vrb. Con. 346.
Euctemon Athenis Archon CCLXXVI.

C. Iulius L. F. Vopiſci N. Iulus
P. Cornelius A. F. M N. Coſſus T. M. Conſ. Pot.
C. Servilius P. F. Q. N. Ahala

Eubatus Cyrenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, qui *Eucatum* hunc appellavit. Diodorus (1) etiam Archontis, ſimulque Olympionicae meminit: Ἀθηναῖοι μὲν παρέδωκαν τὴν ἀρχὴν Εὐκτήμονι, Ὀλυμπιὰς δ᾽ ἐγένετο τρίτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ϛάδιον Ἔυβατος Κυρηναῖος *Athenienſes Archontem crearunt Euctemonem, Olympias vero fuit nonageſima tertia, qua vicit ſtadio Eubatus Cyrenaeus*. A Pauſania (2) tamen *Eubotas* victor ille appellatur: Εὐβώτας ὁ Κυρηναῖος τήν τε εἴκονα ἐπεποίητο πρότερον, καὶ ἐπὶ ἡμέρας τῆς ἀνηγορεύθη τε νικήσας, κὴ ἀνέθηκε τὴν εἰκονα *Eubotas Cyrenaeus ſtatuam ante ipſe faciundam ſibi curavit, eamque quo die palmam adeptus eſt dedicavit*. Sic etiam Xenophon (3), ſive potius, ut optime demonſtravit Dodvellus (4), Xenophontis interpolator, & Eubotae, & Evagorae Elei victoriam memoravit, quam ille *Synoride*, vel *biga* tunc primum in Olympicis Ludis recepta palmam obtinuit: ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐνενηκοϛὴ, ᾗ προϛεθεῖσα ξυνωρίς· ἐνίκα Εὐαγόρȣ Ἠλείȣ, τὸ δὲ ϛάδιον Εὐβώτας Κυρηναῖος ἐπὶ Ἄρχοντος εν Ἀθήναις Εὐκτήμονος, Ἀθηναῖοι μὲν Θορικὸν ἐτείχισαν *erat Olympias nonageſima tertia, qua Synoride, ſeu biga tunc recepta vicit Evagoras Eleus; ſtadio autem Eubotas Cyrenaeus Archonte Athenis Euctemone, Athenienſes Thoricum munivere* Victoriam ipſam ſimulque Xynoridem inſtitutam memoravit, atque deſcripſit Pauſanias (5): Δρόμος δὲ δύο ἵππων τελείων, συνωρὶς κληθεῖσα, τρίτη μὲν Ὀλυμπιάδι ἐτέθη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, Εὐαγόρας δὲ ἐνίκησεν Ἠλεῖος *biiugorum integra aetate equorum* (συνωρίδα vocant quaſi *bigas* dixeris) *curſus receptus Olympiade XCIII.; vicit Evagoras Eleus*. Sic Africano

cano

(1) Lib. XIII. (2) Eliac. II. c. 8. (3) Hiſtor. Graec. Lib. I. Vid. Aelian. Var. Hiſt. Lib. X. c. 2. (4) Diſſert. VIII. ſect. 23. (5) Eliac. I. c. 8.

canus & *Synoridis* inſtitutionem, & ipſa victorem expreſſit; quum Diodorus (1) *Synoridem* quidem receptam dixerit, ſed victoris tamen nomen diſſimulaverit. Polydamas vero Scotuſſaeus *pancratio* palmam obtinuit ex Africano: Παγκράτιον δὲ ἐνίκα Πολυδαμὰς ὁ Σκοτουσσαῖος *pancratio autem vicit Polydamas Scotuſſaeus*. Victoriam ipſam Pauſanias (2) quoque memoravit.

Euctemonis autem Archontis nomen in Xenophonte quoque reperitur; niſi potius in elegantiſſimi Scriptoris textu interpolator, Dodvello iudice, Archontis nomen adiecerit.

Denique Euctemonis eiuſdem nomen in Oxonienſi quoque Chronico reperitur (3): Ἀφ᾽ οὗ Διονύσιος Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν ἔτη ΗΔΔΔΔΠΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκτήμονος *a quo Dionyſius Syracuſis tyrannidem occupavit, anni CXLVII., Archonte Athenis Euctemone*. Si in Marmore annorum numerus ita cum Prideauxio legendus eſſet 147. Scriptor ille, qui praeclarum hoc monimentum edidit, Dionyſii tyrannidem anno 2. Olymp. XCII., eidemque prorſus anno Euctemonis Archontis nomen Faſtis adſcripſiſſet; quum tamen a ceteris omnibus huic anno 1. Olymp. XCIII. tribuatur. Ac in definiendo quidem tyrannidis initio aberrare, aut a ceteris ille Scriptoribus diſſidere fortaſſe poterat quod variae apud Scriptores alios ſententiae circumferrentur; ſed in Archontis nomine, ac ſitu aberrare certe non poterat. Itaque pro characteribus ΠΙΙ. quos Prideauxius, & Seldenus hic retinet, cum Lydiato reſcribendum, ſive potius legendum aſſero ΙΙΙΙ. Ita nimirum annus ille 144. non in 2. Olymp. XCII. ſed in $\frac{4}{1}$. Oly. XCIII incideret, quo tyrannidem a Dionyſio ſuſceptam eſſe ferebatur. Dionyſius quidem Halicarnaſſeus id Calliae Archontis anno, hoc eſt 3. huius Olympiadis contigiſſe voluit ubi narrata Romanorum legatione in Siciliam, quam in Hybrilidis Archontis annum, hoc eſt 2. Olymp. LXXII incidiſſe dixerat, ſubdit (4): Διονύσιος κατέσχεν τὴν τυραννίδα κατὰ τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν τῆς ἐννενηκοστῆς καὶ τρίτης Ὀλυμπιάδος Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου μετ᾽ Ἀντιγένην *Dionyſius tyrannidem oc-*

(1) Lib. XIII. c. 75. (2) Eliac. I. c 5. & Achaic. c. 27. (3) Epoch. 63. lin. 77.
(4) Lib. V. n. 1.

cupavit anno 3. *Oly.* XCIII. *Archonte Athenis Calliæ*, *qui ſucceſſit Antigeni*. Euſebius tamen initium illud ad annum 3. Olymp. XCIV. revocavit.

Antiphanes Demophanis filius Comicus hac Olymp. floruiſſe dicitur a Suida: Γέγονε κατὰ τὴν τ,ίτην καὶ ἐνενηκοςὴν Ὀλυμπιάδα *floruit circa nonageſimam tertiam Olympiadem*.

Exeunte iam *quarto* Olympiadis anno Athenienſes Lampſaco in Proconneſum abeunt, inde Chalcedonem; tuncque Selymbria, & Byzantium ab Alcibiade expugnatae ſunt [1].

Thaſus etiam, Abdera, aliaeque urbes ab Athenienſibus occupatae, qui Lacedaemonios in Academiam uſque progreſſos fortiſſime repulerunt [2].

An. $\frac{1}{2}$. Antigenes Athenis Archon CCLXXVII.

C. Valerius L. F. Voluſi N. Potit. Voluſ. II.
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus
C. Servilius P. F. Q. N. Ahala II.
N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus II. T. M. Conſ. Pot.

Antigenes Archon a Diodoro [3], Xenophonte, ſive Xenophontis interpolatore, ſimulque a Dionyſio [4] memoratur, qui Dionyſii ſenioris tyrannidem proximo poſt Archontem hunc anno coepiſſe dicit. Ariſtophanis etiam Scholiaſtes [5], ut mox oſtendetur, Antigenem proximo ante Calliam anno imperaſſe teſtatur. Longe tamen illuſtrius Antigenis Archontis nomen, ac ſitus ex Oxonienſi Chronico deduci poterit [6]: Ἀφ' οὗ Εὐριπίδης βιώσας ἔτη |Δ̄|ΔΔΠΙΙ. ἐτελεύτησεν, ἔτη ΗΔΔΔΔΠ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιγένους *a quo Euripides, quum vixiſſet annos LXXVII mortuus eſt, anni CXLV. Archonte Athenis Antigene*. Quo quidem loco nihil in Marmore mutandum eſſe videretur, quum Auctor ille ſibi mire conſentiat. Etenim, quum Euripidis ortum in anno 222. collocaverit, ipſique 77. aetatis annos adſcribat, ipſius mors in annum 145. certiſſime referri debet. Quum tamen Euctemoni numerum 144. tribuendum eſſe oſten-

(1) Xenoph. Lib. I. c. 3. & Diod. loc. cit. (2) Diod. Lib. XIII. c. 72. 73. (3) Lib. XIII. c. 76. (4) Lib. III. num. 1. (5) Argum. in Ranas. (6) Epoch. 64. lin. 77.

oſtenderimus, Antigeni numerus 143. cum Lydiato adſcribendus erit, ut is Euctemonis ſucceſſor haberi poſſit. Vbi vero 77 aetatis annos Euripidi adſcribit, utrumque terminum, aut Archontem includit. Exinde vero inſignis quidam Plutarchi [1] locus corrigendus erit, in quo Dionyſius hoc anno in lucem editus memoratur: ἀποθανόντος Ἐυριπίδȣ ἡμέρᾳ, καθ' ἣν ἐγεννήθη ὁ Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων *quum mortuus ſit Euripides ea die, qua natus eſt Dionyſius ſenior Siciliae Tyrannus.*

Certe Fabricius [2] vitiatum hunc Plutarchi locum arripuit, ut oſtenderet Euripidis mortem in Dionyſii ſenioris ortum incidiſſe, quod ab hiſtoriae veritate longiſſime abhorret. Ita quoque ea de re vitiatus alter Trogi, vel Iuſtini [3] locus, in quo de captis a Lyſandro Athenis loquens ait: *Inſignis hic annus & expugnatione Athenarum, & morte Darii Regis Perſarum, & exilio Dionyſii Siciliae Tyranni fuit*; ubi Dodvellus [4] pro *exilio* reſcribendum *exortu*, vel quid ſimile, obſervavit. Ac mihi certe potius *exordio* legendum videtur; quum tyrannidis huius initium a Diodoro, Dionyſio, Xenophonte Archontis Calliae anno perſpicue, certoque adſcribatur.

Antequam Antigenes magiſtratu excederet, hoc eſt 29. Thargelionis die, dum *Plynteria* Feſta agerentur, Alcibiades Athenas revertitur; & poſt 20. Boëdromionis diem Andrum expugnat [5].

An. $\frac{2}{3}$. Callias Athenis Archon CCLXXVIII.

P. Cornelius M. F. L. N. Rutilus Coſſus	
Cn Cornelius Coſſus	Trib. Mil.
L. Valerius L. F. P. N. Potitus II.	Conſ. Pot.
N. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus	

Non Diodoro [6] ſolum, & Xenophonti, ſive ut Dodvellus [7] exiſtimat, ipſius interpolatori, ſed Dionyſio quoque, quem ſuperius exhibui, Callias hoc anno Faſtis inſcribitur.

 Quin-

(1) Sympoſ. Lib. VIII. quaeſt. 1. (2) Lib. II. c. 18. Tom. I. pag. 640. (3) Lib. V. (4) Diſſert. VIII. (5) Xenoph. Lib. I. c. 4. (6) Lib. XIII. c. 80. (7) Diſſer. VIII. ſect. 26.

Quinetiam Diodorus ipſe huius Archontis anno, tum Sophoclem, tum Euripidem quoque e vivis exceſſiſſe teſtatur; quamvis in Euſebio utriuſque mors in anno 1. huius Olympiadis collocetur. At Suidas Sophoclem *ſexennio* Euripidi ſuperſtitem fuiſſe dicit, Veterumque hac in parte diſſidium aliquod extitiſſe Diodorus ipſe iam dixerat. Videndus Fabricius Tomo I. Biblioth. Grecae pag. 620.

Sed facile controverſiam hanc dirimit Oxonienſe Marmor, in quo Sophoclis mors Calliae Archontis anno adſcribitur (1): Ἀφ' ȣ̃ Σοφοκλῆς ὁ Ποιητὴς βιώσας ἔτη ΙΔ̅ ΔΔΔΙ ἐτελεύτησε, ϗ Κῦρος ἀνέβη εἰς Περσίαν, ἔτη ΗΔΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίȣ τȣ̃ δευτέρȣ *a quo Sophocles Poëta, quum vixiſſet annos 91. mortuus eſt, & Cyrus in Perſiam aſcendit, anni CXLIII. Archonte Athenis Callia ſecundo*. Prideauxius in obliteratis annorum numeris legendum aſſerit 143.; quamvis accuratior Lydiatus videatur, qui 142. reſcribendum eſſe opinatur. Et certe conſtans illa methodus, quam a Chronici Auctore uſurpatam eſſe iam monui (2), perſpicue requirit ut annus 143. legatur, qui cum anno $\frac{2}{3}$ huius Olympiadis concurret. Accedit etiam quod in Epocha 57. Sophocles anno Marmoris 206. *viginti octo* annos natus dicitur; adeoque 91. poſtremuſque ipſius annus, aut mors in annum 143. incidiſſe debuit. Pauſanias (3) quidem Sophoclis mortem iis temporibus contigiſſe dicit, quibus Lyſander Athenas obſidebat, quod 4. huius Olympiadis anno congrueret; ſed Chronici Marmorei calculus Diodoro quoque probatus Pauſaniae teſtimonio praeferri facile poterit.

Quandoquidem vero Callias iſte, Seldeno quidem iudice, in Marmore πρότερος *primus* vocatur, Seldenus id inde factum putavit quod unus idemque Callias & anno 1. Olymp. LXXXIII. & anno 3. Olymp. XCIII. iterum Archon fuerit, adeoque *primus* dicatur ut a Callia *ſecundo* diſtinguatur, qui anno 1. Oly. XCII. Faſtis inſcribitur. At Callias ille vix hoc anno ſuperſtes eſſe, iterumque Athenis Archon eligi potuit. Itaque non προτέρȣ, ſed cum Palmerio, ac Lydiato δευτέρȣ legendum erit; & quamvis ille non *ſecundus*, ſed *tertius* habendus eſſet, *ſecundus* tamen vocatur quod ex una eademque ſuperiori familia fuerit; quippe qui Hipponici filius, ac Hipparetes frater fuerit, quam Alcibia-

(1) Epoch. 65. lin. 78. (2) Faſt. Attic. Tom. II. pag. 78. (3) Attic. c. 21.

biades duxit. Hinc ille Callias *ſecundus* vocatur ut ab avo, Caliia nimirum Hipponici patre, diſtinguatur.

Huius Archontis anno vetus Minervae Templum Athenis conflagravit, ut Xenophon [1] addito Calliae Archontis nomine memoravit.

Ranas ab Ariſtophane editas eſſe teſtatur Scholiaſtes [2]: Ε'διδάχθη ἐπὶ Καλλίȣ Α'ρχοντος τȣ̃ μεθ' Α'ντιγένην *edita eſt fabula ſub Callia Archonte, qui eo munere functus eſt poſt Antigenem*.

Hoc eodem anno *tertio* ante Pyanepſionem menſem navalis pugna inter Athenienſes, ac Lacedaemonios ad Arginuſas commiſſa fuit. Athenaeus [3]: Ε'γένετο δὲ ἡ ναυμαχία ἐπὶ Α'ρχοντος Καλλίȣ τῆς Περικλέȣς τελευτῆς ὕςερον ἔτεσιν εἴκοσι ϗ τέσσαρσιν *Archonte Callia navali eo praelio certatum eſt annis viginti quatuor poſt Periclis interitum*. At pugnam illam Ariſtophanis Scholiaſtes [4] ἐπ' Α'ντίνȣ *ſub Antino* pugnatam ſcribit, ubi perſpicue Α'ντιγένȣς *Antigene* reſcribi debet.

Denique Poſideone menſe Lyſander Lacedaemoniorum navarchus inſigni praelio Athenienſes ad Aegoſpotamos ſuperavit [5].

An. 3/4. Alexias Athenis Archon CCXXIX.

C. Iulius L. F. Vopiſc. N. Iulus II.
T. Quinctius Capitolin. Barb.
Q. Quinctius Cincinnatus Trib. Milit.
M. Aimilius Mam. F. M. N. Mamercinus Con. Pot.
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus II.
A. Manlius A. F. Cn. N. Vulſo Capitolinus

Alexiae nomen, ac locus, quem in Faſtis Atticis occupavit, oſtendit Diodorus [6], & Xenophon [7], ſive ipſius interpolator, qui Xenophontis Hiſtoriae Archontum nomina adiecit [8], ut proinde in illo legatur: Α'ρχοντος ἐν Α'θήναις Α'λεξίȣ Λύσανδρος ἀφικόμενος εἰς Ἔφεσον μετεπέμψατο Ε'τεόνικον ἐκ Χίȣ ξὺν ταῖς νηυσί *Archonte Athenis Alexia Lyſander Epheſum*

(1) Rer. Graec. Lib. I. (2) In Argum. (3) Lib V. c. 18. & Diod. c. 101. (4) Ad Ranas ver. 33. (5) Xenoph. Lib. II. c. 1. (6) Lib. XIII. c. 104. (7) Hiſtor. Graec. Lib. II. (8) Vid. Dodvell. Diſſert. VIII. ſect. 28.

ſum profectus, *Eteonicum cum navibus ex Chio accerſivit*. Alexiae quoque nomen apud Lyſiam (1) occurrit ubi civis a Lyſia defenſus ſe Promethei Feſtis huius Archontis anno praefuiſſe teſtatur.

Hoc anno cinnabaris conficiendi rationem a Callia, Athenienſi inventam eſſe tum Scaliger, tum Meurſius exiſtimarunt. Ac Plinius (2) quidem inventum hoc anno V. C. 349 adſcribit, quod Theophraſtus (3) id annis 90 ante Praxibuli Archontis annum, hoc eſt 2. Olymp. CXVI. contigiſſe dixerit.

OLYMPIAS XCIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4310. Vrb Cond. 350.
Anarchia, vel Pythodorus Athenis Archon CCLXXX.

P. Cornelius Maluginenſis
Cn. Cornelius Coſſus II.
K. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus Trib. Milit.
Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus III. Conſ. Pot.
C. Valerius L. F. Vol. N. Potit. Voluſ. III.
M'. Sergius L. F. L. N. Fidenas

Laſthenes Thebanus in Olympicis ipſis, ut certe Scaliger exiſtimavit, hac Olympiade *curſu* viciſſe dicitur a Diodoro (4), qui ſubdit Laſthenem ipſum citato curſu Coronea Thebas uſque contendiſſe: Λασθένην τε τὸν Θηβαῖον τὸν νενικηκότα ταύτην τὴν Ὀλυμπιάδα λέγεται πρὸς ἵππον ἀθλητὴν δραμόντα νικῆσαι. τὸν δὲ δρόμον ἀπὸ τῆς Κορωνείας μέχρι τῆς Θηβαίων πόλεως γένεσθαι *Laſthenem quoque Thebanum, qui hac Olympiade palmam retulit cum equo ad curſum exercitato contendiſſe, ac victorem rediſſe; curſumque a Coronea ad Thebarum uſque moenia extentum fuiſſe, perhibent*. Palmerius (5) quidem Laſthenem hunc in Olympiis ipſis *dolicho* viciſſe dicit, quod 20. ſtadiorum fuiſſe Sophoclis Scholiaſtes (6) ait.

Crocinas Theſſalus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Xe-

(1) Orat. XX. Apolog. Δωροδ. (2) Lib. XXXIII. c. 7. (3) Lib. de Lapidibus. (4) Lib. XIV. c. 11. (5) Exercit. pag. 120. (6) Ad Electr. ver. 687.

& Xenophonte [1]. Ille nimirum & Olympionicae, & Archontis Pythodori nomen expreſſit; quamvis ab aliquibus *Anarchiam* hoc anno cenſeri dixerit, quod Pythodorus ille non liberis conſuetiſque Populi ſuffragiis, ſed in Oligarchia, ſive paucorum imperio, electus eſſet: Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει, ἐν ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς, ᾗ τὸ ϛάδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλὸς, Εὐδίου ἐν Σπάρτῃ Ἐφορεύοντος, Πυθοδώρου δ᾽ ἐν Ἀθήναις Ἄρχοντος, ὃν Ἀθηναῖοι, ὅτι ἐν ὀλιγαρχίᾳ ἡρέθη, οὐκ ὀνομάζουσιν, ἀλλ᾽ ἀναρχίαν τὸν ἐνιαυτὸν καλοῦσιν *ſequentem annum, in quem incidit Olympias, qua vicit in ſtadio Crocinus Theſſalus, Eudio Spartae Ephoro, Archonte Athenis Pythodoro, Athenienſes, quia in illum Oligarchia incidit, non nominant, ſed interregnum annum illum appellant.*

Ita Plutarchus [2] Ἀναρχίαν πρὸ Εὐκλείδου *Anarchiam ante Euclidem* memoravit. Diodorus [3] Anarchiae ipſius, ac Olympionicae meminit: Ἀναρχίας οὔσης Ἀθήνησι, διὰ τὴν κατάλυσιν τῆς ἡγεμονίας, ἔτος μὲν ἦν ὀγδοηκοϛὸν πρὸς τοῖς ἑπτακοσίοις μετὰ τῆς Τρωίας ἅλωσιν. ἤχθη δὲ Ὀλυμπιὰς τετάρτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ϛάδιον Κορκίνας Λαρισσαῖος *ceſſante Athenis ordinaria Reipublicae adminiſtratione, annus a Troiae excidio octogeſimus poſt ſeptingentos currebat; agebatur vero Olympias nonageſima quarta, qua de ſtadio palmam adeptus eſt Crocinas Lariſſaeus.* Lyſias [4] tamen Pythodorum anni huius Archontem vocavit; atque ad Pythodorum ipſum Athenaei [5] locum referri poſſe putavit Meurſius, in quo Scriptor ille teſtatur quod ἐν Παλληνίδι τοῖς ἀναθήμασιν ἐπιγέγραπται τάδε. Ἄρχοντες, καὶ Παράσιτοι ἀνέθησαν οἱ ἐπὶ Πυθοδώρου Ἄρχοντος ϛεφανωθέντες χρυσῷ ϛεφάνῳ *In Pallenide haec donariis inſcripta ſunt: Archontes, & Paraſiti aurea corona donati, quum Archon eſſet Pythodorus.* Extrema fere anni 4. parte, quum Athenienſes a Lyſandro obſeſſi Theramenem ad illum miſiſſent, iſque demum *quarto* poſt menſe Athenas rediiſſet, futuraeque pacis ſpem feciſſet, Lyſander ipſe, quum Aeginetis Aeginam reſtituiſſet, Salaminam populatus eſſet, Piraeeum appellens Athenienſem Vrbem in deditionem 16. Munychionis die [6] acce-

(1) Hiſtor. Graec. Lib. II. (2) Vit. X Rhet. in Lyſia. (3) Lib. XIV. c. 3. (4) Orat. VI. de Sacra Oliva. (5) Lib. VI. c. 6. (6) Xenoph. Lib. II. c. 3. & Plutarch. in Lyſandro.

cepit. Itaque mox ineunte anno 1. Olymp. XCIV. *Triginta* Tyranni a Lyſandro conſtituti ſunt, qui ſupremum Athenis imperium exercerent. Primo Sycophantas, ſed mox Optimates etiam, atque in primis Theramenem expellunt, quum Lyſander Samios etiam in deditionem recepiſſet. Id vero ineunte iam anno 1. Olymp. XCIV. contigiſſe demonſtrat Xenophon, qui Lyſandro iam Samum profecto ſolis eclipſim obſervatam eſſe teſtatur; quae certe anno 1. Olymp. XCIV. Per. Iul. 4310 3. Septembris Romani, ſive 30. Metagitnionis Attici, die contigit. Mox Lyſander occupata Samo Spartam revertitur exeunte aeſtate eius anni, quo 28. annus, ſextuſque menſis a Peloponneſiaci belli initio abſolvebatur, adeoque Maemacterione menſe anni ſequentis. Thraſybulus tamen patriae libertatis ardore incenſus Phylam occupavit, quod Plutarcho teſte [1] in 12. Boëdromionis diem incidit, adeoque Tyranni perfugium ſibi Eleuſine praeparant. Sed, quum Thraſybulus Piraeeum quoque mox occupaſſet, Critias, atque Hippomachus occiſi, reliqui ex Tyrannis expulſi ſunt poſtquam menſibus 8. imperium occupaſſent; hoc eſt Poſideone menſe, ſi calculus a Piraeei occupatione inſtituatur, aut Antheſterione, ſi a civilis anni principio, vel Hecatombaeone ducatur. Sublatis Tyrannis, alii *decem* ex ſingulis Tribubus electi, qui Reipublicae praeeſſent, fideſque civibus data, qui decem dierum ſpatio redirent. Denique Pauſanias Spartae rex accedente conſenſu, licet Lyſandro invito, Athenienſibus pacem concedit [2].

Vbi vero Pauſanias reddita Athenienſibus pace, ac libertate diſceſſit, cives omnes, tam qui in Vrbe, tam qui in Piraeeo morabantur, una coniunctis animis convenere, ut civitas excuſſo Tyrannorum iugo antiquis ſolum legibus, veterique Imperii forma uteretur. Hinc Eponymus Archon ille tunc electus videtur, qui Hecatombaeone menſe inivit; quum populus Tyrannos ceteros Eleuſine profugos interfeciſſet, rerumque hactenus geſtarum oblivionem ſive ἀμνηστίαν ſanxiſſent, ut ſequenti anno opportunius obſervabitur.

Huius Archontis anno, quo Athenae a XXX. Tyrannorum imperio liberatae ſunt, Diogenes Oenomaeus Athe-

(1) De Glor. Ath. (2) Ibi. c. 4.

Athenienſis Tragicus Dramata edidiſſe dicitur a Suida.

An. $\frac{1}{2}$. Euclides Athenis Archon CCLXXXI.

M. Aimilius Mam. F. M. N. Mamercinus II.	
Ap. Claudius Ap F. Ap. N. Craſſin. Regillenſ.	
M. Quinctilius Varus	
M. Furius Fuſus	Trib. Mil. Conſ. Pot.
M. Furius Camillus	
M. Poſthumius Albinus	
L. Iulius Iulus	
L. Valerius L. F. Q. N. Potitus *III.*	

Archon ille non a Diodoro [1] ſolum, ſed a pluribus etiam Scriptoribus memoratur. Etenim Plutharchus [2] aſſerit Lyſiam in Athenienſium civium numerum ſuperiori anno adſcitum fuiſſe μετὰ τὴν κάθοδον ἐπὶ Ἀναρχίας τῆς πρὸ Εὐκλείδου *poſt reditum tempore Anarchiae, quae fuit ante Euclidem.* Quemadmodum Lyſias [3] ipſe in laudata ſaepius Oratione Εὐκλείδου Ἄρχοντος *Euclidis Archontis* meminit.

Ea vero de cauſſa frequens Archontis huius mentio in Scriptoribus aliis occurrit quod huius Archontis anno ſublata *Oligarchia* plurimae leges editae fuerint, civibuſque imperatum ut eiuſmodi legibus in poſterum uterentur. Ita Iſaeus [4] aſſerit ἐπ' Εὐκλείδου nothos, ac nothas ſacris arcendos eſſe. Eiuſmodi vero legem ab Ariſtophonte Rhetore latam eſſe teſtatur Athenaeus [5]: Ἀριστοφῶν ὁ ῥήτωρ ὁ τὸν νόμον εἰσενεγκὼν ἐπ' Εὐκλείδου Ἄρχοντος ὃ ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γενήται νόθον εἶναι αὐτὸς ἀπεδείχθη ὑπὸ Καλλιάδου τοῦ Κωμικοῦ ἐκ Χλωρίδος ἑταίρας παιδοποιησάμενος *Ariſtophon Rhetor, quum legem promulgaſſent Euclide Archonte, ut qui non ex muliere cive naſceretur is nothus eſſet, a Calliade Comico eſt reprehenſus quod ex Chloride ſcorto liberos ſuſtuliſſet.* Ita Andocides [6] leges exponens ait: ὅτι τοῖς νόμοις δεῖ χρῆσθαι ἐπ' Εὐκλείδου Ἄρχοντος *quod oportet uti iis legibus, quae ſub Euclide Archonte latae fuere.* Ita denique, quum legum una vetaret ne civium numero inſcriberetur, qui alterutrum parentem ci-

Part II Tom I. Ll vem

(1) Lib. XIV. c. 12. (2) In Lyſia. (3) Orat. XX. Apolog. Δορωδ. (4) Orat. de Philoctem. Haered. (5) Lib. XIII. c. 3. (6) De Myſter.

vem non haberet, Demoſthenes Eubulidem civem habendum eſſe contendit [1] quod ille *γέγονε πρὸ Εὐκλείδου natus eſt antequam Euclides Archon eſſet*.

Itaque mirari ſubit cur Meurſius, qui legem de filiis nothis huius Euclidis anno latam eſſe dixerat [2], alibi incertum putaverit an lex illa ad Euclidem hunc, an vero ad Euclidem alium ſpectaverit, qui anno 2. Olymp. LXXXVIII. Faſtis inſcribitur.

At non legibus ſolum Euclidis Archontis anno, ſed novis etiam literis Athenienſes uti coeperunt; praeſertim vero characteres, aut vocales longas H, & Ω receperunt.

Euripidis quidem Scholiaſtes [3] id obſcurius expreſſit, ubi de vocibus *σοί νιν ἔκγονοι* ſive ut nonnulli ſcripſerant *σῷ νιν ἐκ γόνῳ* loquens ait: *Γέγονε περὶ τὴν ἀρχὴν ἁμάρτημα. Ἐπ' Ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνησιν Εὐκλείδου μήπω τῶν μακρῶν εὑρημένων, τοῖς βράχεσι ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο· τῷ ε ἀντὶ τοῦ η, καὶ τῷ ο ἀντὶ τοῦ ω· ἔγραφον οὖν τῷ δήμῳ μετὰ τοῦ ι δήμοι in ipſis principiis error admiſſus eſt. Etenim ſub Archonte Euclide, quum nondum longae vocales repertae fuiſſent, brevibus longarum loco utebantur; nempe ε pro η, & ο pro ω; ſcribebant igitur τῷ δήμῳ cum ι hoc pacto δήμοι* ... Hinc Meurſius [4] ait quod *Euclidis magiſtratu nondum repertas fuiſſe longas aſſeverat Scholiaſtes*; literaſque ipſas anno demum 4 huius Olympiadis XCIV. receptas eſſe contendit. Ita Plutarchus [5], ut Epigraphem quamdam non Ariſtidi veteri, ſed alteri recentiori, poſitam eſſe demonſtret, ait: *ἐλέγχει τὰ γράμματα τῆς μετ' Εὐκλείδου ὄντα γραμματικῆς argumento ſunt literae, quae ex ea ſcribendi ratione ſunt, quae poſt Euclidem adhiberi coepit*: perinde quaſi characteres illi non Euclidis anno, ſed proximo quodam poſt ipſum inſequuto obtinuerint, ut Euſebius id anno 4. Olymp. XCIV. Cedrenus anno 1. Olymp. XCV. Chronicon Alexandrinum anno 4. Olymp. XCVI. factum dixere. Ego vero novas illas aut Ionum, aut Graecorum litteras non altero, quam Euclidis eiuſdem anno receptas eſſe putaverim. Quid enim *γράμματα τὰ μετ' Εὐκλείδην literae poſt Euclidem* dicantur, niſi quod ipſo imperante receptae fuerint, ut terminus nimirum ille exprimatur,

(1) Adv. Eubulid. (2) Libr. III. c. 4. (3) Ad Phoeniſ. ver. 688. (4) De Arch. Ath. Lib. III. c. 17. (5) In Ariſtide.

tur, quo adhiberi inceperunt? Certe, ſi ipſarum uſus anno demum 4 huius Olympiadis adſcribatur, nihil eſt cur illae poſt Euclidem potius, quam Micionem, & Exaenetum vocentur; quinetiam poſt Exaenetum potius dicendae illae fuerant, ſi ipſo Athenis Archonte coepiſſent. Quod ſi Euripidis Scholiaſtes ait Euclidis Archontis tempore longas vocales adhiberi conſueviſſe, non ita intelligi profecto debet ut quandiu Archon ille imperavit, numquam adhiberi illae coeperint; ſed quod Archontis huius initio nondum receptae illae fuerant, ipſoque tamen adhuc Archonte mox obtinuerint. Ita Plutarchus vocales illas optime *poſt Euclidem* vocavit quod poſt illum uſurpari coeperint; ſed ita tamem ut non poſt illum inventae, ſed ipſo potius Archontis munus obeunte receptae ſint. At, ne ambiguis fortaſſe obſcuriſque teſtimoniis hic immorer, literas illas Euclidis Archontis anno receptas fuiſſe nitide diſerteque Suidas [1] teſtatur: Τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔπεισε χρῆσθαι τῶν Ἰώνων γράμμασιν Ἀρχῖνους ὁ Ἀθηναίου ἐπὶ Ἄρχοντος Εὐκλείδου *ut Ionum literis uterentur perſuaſit Athenienſibus Archinus Athenaei filius Archonte Euclide*; quem locum Apoſtolius totidem fere verbis expreſſit [2]. Ita Syrianus [3] etiam veteres Cadmi literas ad Euclidem uſque duraſſe ſcribit: Ἡ γοῦν κατὰ Κάδμον Γραμματικὴ ἐπί‐τε τῶν Τρωϊκῶν ἔκειτο, καὶ μέχρι τοῦν Εὐκλείδου τοῦ μετὰ ταῦτα ἄρξαντος διέμεινε χρόνων *itaque ſcribendi ratio a Cadmo inventa, & Troianis temporibus inſtituta fuit, & ad Euclidem uſque, qui poſt haec Archon fuit, perſeveravit*. Itaque licet characteres illi Ζ. Ψ. Η. Ω. a Simonide, Plinio teſte [4], reperti fuerint, hoc eſt Olympiade LXXII. qua floruiſſe ille dicitur, Athenis tamen longe ſerius adhiberi coeperunt. Perſpicuum, ac illuſtre mutationis argumentum exhibet Marmor, quod anno 3 Oly. LXXX. Athenis poſitum eſt, atque opportunius alibi [5] prolatum a me fuit. Siquidem in illo nullibi characteres illi obſervantur; & character Η non vocalis, ſed adſpirationis ſive ſpiritus nota, cenſeri debet.

Hoc anno *amneſtia*, hoc eſt praeteritorum oblivio, Athenis conſtituta fuit, ut Xenophon [6] perſpicue teſtatur.

(1) In Σαμίων δῆμος. (2) Centur. XVII. Prov. 15. (3) Commentar. in Hermogen. (4) Lib. VII. c. 56. (5) Tom. I. pag. 159 (6) Hiſt. Graec. Lib. II. c. 4.

Meminit etiam Lucianus [1]: *καὶ λήθη τις ἔξω αὐτῶν ὥσπερ τῶν πρὸ Εὐκλείδου Ἄρχοντος ſit eorum omnium oblivio, qualem fuiſſe perhibent earum rerum, quae ſub Euclide Archonte Athenis peractae ſunt*. Itaque Thucydides [2] etiam legis huius beneficio in patriam reverſus eſt, quum viginti iam annis prope Σκαπτὴν ὕλην in Thracia exulaſſet.

Nec plurimum fortaſſe ego fallar ſi Euclidem hunc, cuius Archontis anno novae leges editae, novaeque literae Athenis receptae ſunt, non alium eſſe putaverim, quam Euclidem illum, qui veluti libris inſtructus ab Athenaeo [3], & Poëticae artis ſtudio deditus ab Ariſtotele [4] memoratur.

Democriti mors a Diodoro [5] in annum hunc incidiſſe dicitur; quemadmodum Euſebius illam in anno 4. collocavit. Vterque tamen perſpicue fallitur, ac praeſertim Diodorus, qui 90. aetatis anno illum exceſſiſſe dicit; perinde quaſi anno 3. Olymp. LXXI. in lucem editus foret. Ac de natali quidem ipſius anno Olymp. LXXI. diſputavi. Mortis vero tempus obſcurum hactenus eſſe debet, quum Hipparchus illi 109. Lucianus, & Phlegon 104. aetatis annos illi conceſſerint.

An. $\frac{2}{3}$. Micio Athenis Archon CCLXXXII.

C. Servius P. F. Q. N. Abala III
Q. Servilius Q. F. P. N. Priſcus Fidenas
L. Virginius Tricoſtus T. M. Conſ. Pot.
Q. Sulpicius Ser. F. Ser. N. Camerinus Cornutus
A. Manlius A. F. Cn. N. Vulſo Capitol. II.
M. Sergius L. F. L. N. Fidenas II.

Micionis Archontis nomen non in Diodoro [6] ſolum, ſed etiam in Oxonienſi Chronico [7] nobis occurrit, in quo tamen *Mycon* vocatur: Ἀφ' οὗ Τελέςης Σελινούντιος ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Μυκῶνος *a quo Teleſtes Selinuntius vicit Athenis, anni CXXIX., Archonte Athenis Micone*. In exprimendo annorum

(1) Hermot. (2) Lib. V. c. 26. (3) Lib. I. c. 2. (4) Poet. c. 27. (5) Lib. XIV. c. 11. (6) Lib. XIV. c. 17. (7) Epoch. 66. lin. 79.

rum numero Lydiatus, ac Prideauxius conſpirant; uterque ſcilicet annos 139 legendum aſſerit, quod annum 2. huius Olympiadis deſignarent, quamvis Miconem hunc Diodorus in anno 3. collocaverit, atque Teleſtis hic in Marmore memorati Archontis *Ithyclis* anno mentionem iniecerit. Itaque praeclare fallitur Petavius, qui 2. huius Olympiadis anno *Anarchiam*, 3. *Euclidem*, 4. *Xenaenetum* adſcripſit, adeoque *Micionem* hunc Diodoro, atque Oxonienſi Chronico memoratum ex Faſtis expunxit.

An. $\frac{3}{4}$. Exaenetus Athenis Archon CCLXXXIII.

L. Valerius L. F. P. N. Potitus IV.
M. Furius Camillus II.
Cn. Cornelius Coſſus II. T. M. Conſ. Pot.
L. Iulius L. F. Vopiſci N. Iulus
M. Aimilius Mam. F. M. N. Mamercin. III.
K. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus II.

Archon ille a Diodoro (1) quidem *Exaenetus*, ſed a Laërtio (2) *Xenaenetus* vocatur, qui Xenophontem huius Archontis anno maxime floruiſſe teſtatur: Ἤκμαζε κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς τετάρτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, καὶ ἀναβέβηκε σὺν Κύρῳ ἐπὶ Ἄρχοντος Ξεναινέτου ἑνὶ προτέρῳ τῆς Σωκράτους τελευτῆς *floruit maxime quarto anno XCIV. Olympiadis, aſcenditque cum Cyro ſub Archonte Xenaeneto, anno uno ante Socratis mortem*. Itaque, quum Socratis mors in proximum Lachetis annum inciderit, inde quoque Exaeneti, vel Xenaeneti, huius ſitus confirmatur. Quandoquidem vero Laërtius (3) ipſe mox ſubdit: εὗρον δὲ ἀλλαχότι ἀκμάσαι αὐτὸν περὶ τὴν ἐνάτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα σὺν τοῖς ἄλλοις Σωκρατικοῖς *inveni alibi claruiſſe illum circa octogeſimam & nonam Olympiadem una cum Socraticis ceteris*, facile inferri poteſt Xenophontem circa Olymp. LXXXIV. natum fuiſſe; ut proinde anno 1. Olymp. CV. quo e vivis exceſſit 80. aetatis annum egiſſe videatur. Denique hic ipſe *Exaenetus* Archon a Lyſia (4) quoque memoratur, ſed is *Xenaenetum* illum appellat.

Huius Archontis anno *Triginta* tyrannos, qui patriae li-

(1) Lib. XIV. c. 19. (2) Lib. II. ſeg. 55. (3) Seg. 59. (4) Orat. XVI.

libertatem oppreſſerant, ſublatos eſſe, civeſque *decem* ex ſingulis Tribubus electos, qui tranquille Rempublicam adminiſtrarent, Diodorus [1], ac Iuſtinus [2] prodidere; ſimulque *decem* Cives alios imperio amotos, qui a Lyſandro in Piraeeo collocati fuerant. Sed id exeunti potius anno 1. tribuendum eſſe cum Dodvello iam demonſtravimus.

OLYMPIAS XCV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4314. Vrb. Cond. 354.
Laches Athenis Archon CCLXXXIV.

P. Licinus Calvus primus e Plebe
P. Maenius
T. Titinius Trib. Mil. Conſ. Pot.
P. Maelius Sp. F. C. N. Capitolinus
L. Furius L. Sp. N. Medullinus
L. Publilius L. F. Voler. N. Philo Vulſcus

Menon Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [3], a quo tamen victor ille *Menos*, ut a Scaligero *Minos* vocatur: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Λάχης· ἐγενήθη δὲ καὶ Ὀλυμπιὰς πέμτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Μίνως Ἀθηναῖος *Athenis Archon erat Laches; celebrata autem fuit Olympias quincta & nonageſima, qua vicit ſtadio Minos Athenienſis*. Ceterum Archon ille ab Ariſtide [4] quoque memoratur, qui Socratis mortem illo imperante contigiſſe dicit: Ἐτελεύτησε Σωκράτης ἐπὶ Λάχητος Ἄρχοντος *obiit Socrates ſub Lachete Archonte*. Ac certe quidem hoc anno Socratem hauſta cicuta obiiſſe perſpicue docet Laërtius [5]: Ἐτελεύτησε τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοςῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος γεγονὼς ἐτῶν ἑβδομήκοντα *obiit anno primo nonageſimae quintae Oly annos natus ſeptuaginta*. Id vero exeunte fere Thargelione menſe contigiſſe perſpicue in *Faſtis Atticis* alibi [6] demonſtravi: & peculiari quoque Diſſertatione, qua Socratis, Platoniſque tempora ſubtilius atque accuratius expoſui. Itaque praeclare fallitur Euſebius, qui

(1) Lib. XIV. c. 20. (2) Lib. V. (3) Lib. XIV. c. 35. (4) Platon. II. (5) Lib. II. ſeg. 44. (6) Tom. II. pag. 46. & 320.

qui Socratis mortem anno 2. huius Olympiadis adſcripſit, ipſique 90. aetatis annos conceſſit.

Ceterum Archon ipſe, Socratis mors, & Graecorum reditus in Oxonienſi quoque Marmore memoratur [1]: Ἀ'φ' ȣ̄ ἐπάνελθον οἱ μετὰ Κύρȣ ἀναβάντες, κ̀ Σωκράτης ὁ Φιλόσοφος ἐλελεύτησε βιȣ̃ς ἔτη Ι͞ΔΙΔΔ., ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λάχητος *a quo rediere, qui cum Cyro aſcenderunt, & Socrates Philoſophus occubuit, quum vixiſſet annos LXX. anni CXXXVII., Archonte Athenis Lachete.* Ac certe quidem, quod ad Graecorum reditum pertinet, qui cum Cyro in Perſiam adverſus Artaxerſem aſcenderunt, Xenophon [2] perſpicue teſtatur illos in itu redituque *annum* unicum, menſeſque *tres* in ſumpſiſſe. Itaque, quum ſuperioris Archontis anno aſcenderint, ipſorum reditus optime Lachetis Archontis anno tribuitur.

An. $\frac{1}{2}$. Ariſtocrates Athenis Archon CCLXXXV.

M. Pomponius
C. Duilius
Cn Genucius Augurinus T. M. Conſ. Pot.
L Atilius K. F. N. Longus
M. Veturius Ti. F. Sp. N. Craſſ Cicurin. Patr.
Volero Publilius P. F. Voler. N. Philo

Diodorus [3] & Ariſtocratis Archontis nomen, & Fabulas tunc primum ab Aſtydamante Morſimi filio, ac Philoclis nepote Athenienſi Tragico editas memoravit [4]: Ἀςυδάμας ὁ Τραγῳδιογράφος τότε πρῶτον ἐδίδαξεν. ἔζησε δὲ ἔτη ἑξήκοντα *Aſtydamas Tragoediarum Scriptor tunc primum fabulas edidit, vixit porro annos ſexaginta.* Hoc ipſum Ariſtocratis Archontis nomen in Oxonienſi Marmore reperitur [5]: Ἀ'φ' ȣ̄ . . . . . Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΔΔΠ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριςοκράτȣς *A quo .... Athenis, anni CXXXV., Archonte Athenis Ariſtocrate.* Hic obſervandum quod Ariſtocrates iſte, ceterique Archontes omnes mox inſequuti in eoſdem prorſus Olympicos annos tum a Chronici Auctore, tum a Dio-

do-

(1) Epoch. 67. lin. 80. (2) Lib. VII. Cyropaed. (3) Lib. XIV. c. 38. (4) Ibi. c. 43. (5) Epoch. 68. lin. 81.

doro referuntur; ut nulla proinde varietas, quae pluribus in locis hactenus occurrebat, inferius obſervetur.

An. $\frac{2}{3}$. Ithycles Athenis Archon CCLXXXVI.

L. Valerius L. F. P. N. Potitus V.
M. Valerius Maximus
M. Furius Camillus II. T. M. Conſ. Pot.
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus II.
Q. Servilius Q. F. P. N. Priſcus Fidenas II.
Q. Sulpicius Ser. F. Ser. N. Cameron Cornutus II.

Archontem hunc Diodorus [1] exhibet, qui Perſicam Cteſiae Hiſtoriam in annum hunc deſinere obſervavit, quo Philoxenum Cytherium, Timotheum Mileſium, Teleſtem Selinuntium poëticae artis gloria floruiſſe dicit [2].

An. $\frac{3}{4}$. Lyſiades Athenis Archon CCLXXXVII.

L. Iulus L. F. Vopiſci N. Iulus II.
L. F. Sergius Fidenas
P. Cornelius Maluginenſis II. T. M. Conſ. Pot.
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus IV.
A. Poſthumius Albinus Regillenſis
A. Manlius A. F. Cn. N. Vulſo Capitolinus III.

Lyſiadis Archontis nomen Diodorus [3] exhibuit, qui Sophoclem celeberrimi Tragici filium tunc Fabulas Athenis edere incepiſſe adnotavit [4]. In depravato tamen Lyſiae [5] textu Archon ille Σȣνιάδης appellatur: Φήσι δὲ ὁ κατήγορος ἐπὶ Σȣνιάδȣ Α'ρχοντος σηκὸν ὑπ' ἐμȣ̃ ἐκκεκόφθαι *ait porro accuſator ſub Suniade Archonte ramum a me exciſum fuiſſe*; ubi Meurſius ἐπὶ Λυσιάδȣ *ſub Lyſiade* reſcribendum eſſe iam monuit. Ac dubitari certe non poterit quin Lyſias de Lyſiade noſtro loquatur, ſi ratio temporum habeatur, quibus Lyſias ipſe floruit.

OLYM.

(1) Lib. XIV. c. 44. (2) Ibi. c. 46. (3) Lib. XIV. c. 47. (4) Ibi c. 53. (5) Orat. de ſacra Oliva.

OLYMPIAS XCVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4318. Vrb. Con. 358.
Phormio Athenis Archon CCLXXXVIII.

P. Licinius P. F. Calvus
Cn. Genucius Augurinus II.
L. Atilius K. F. K. N. Longus II. Trib. Milit.
L. Titinius Conſ. Pot.
P. Maenius II.
P. Maelius Sp. F. C. N. Capitolinus II.

Eupolemus Eleus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Victor ipſe, ſed *Eupolis* nomine, ſimulque Eponymus Archon Phormio a Diodoro quoque nominatur (1): Ἀθήνησι μὲν ἔλαβε τὴν ἀρχὴν Φορμίων, Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη ἐνενηκοστὴ καὶ ἕκτη, ἣν ἐνίκα στάδιον Εὔπολις Ἠλεῖος *Athenis Archon creatus eſt Phormio, Olympias autem nonageſima ſexta acta fuit, qua vicit ſtadio Eupolis Eleus*; ibique Diodori textum ex Africano corrigendum eſſe demonſtrat Pauſanias (2), qui ait τῆς ἕκτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Εὐπόλεμος Ἠλεῖος ἐνίκα στάδιον *ſexta & nonageſima Olympiade, qua Eupolemus Eleus vicit ſtadio*; alibique (3) tamen victoriam ipſam Leonti Ambraciotae conceſſam eſſe teſtatur Pauſanias quod ille fortaſſe non *ſtadio*, ſed *dolicho* potius, aut *diaulo*, victor exceſſerit; ſive potius Eupolemo Hellanodicis duobus antea corruptis victoria adiudicata fuerit.

Timaeus etiam Eleus *tubicen*, & Crates & ipſe Eleus *praeco*, duplici nimirum certaminis genere tunc inſtituto, victoriam reportarunt. Africanus: Προσετέθη σαλπιγκτής, καὶ ἐνίκα Τιμαῖος Ἠλεῖος. Προσετέθη καὶ κῆρυξ, καὶ ἐνίκα Κράτης Ἠλεῖος *additus eſt tubicen, & vicit Timaeus Eleus. Additus eſt quoque praeco, & vicit Crates Eleus.*

(1) Lib. XIV. c. 54. (2) Arcad. c. 45. (3) Eliac. II. c. 3.

An. $\frac{1}{2}$. Diophantus Athenis Archon CCLXXXIX.

P. Cornelius Coſſus
M. Valerius Maximus II.
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus V. Trib. Milit.
P. Cornelius Scipio Conſ Pot.
K. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus III.
Q. Servilius Q. F. P. N. Priſcus Fidenas III.

Praeter Diodorum (1) Pauſanias etiam, atque Heſychius Archontis meminere. Etenim Pauſanias (2) de Aliae Minervae templo loquens ait: Ἐκεῖνο μὲν δὴ πῦρ ἠφάνιζεν ἐξαίφνης Διοφάντου παρ' Ἀθηναίοις Ἄρχοντος, ὑστέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἕκτης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος *nam quum prius illud ſubito igne conflagraſſet, Diophanto Athenis Archonte, anno eo, qui Olympiadem conſequutus eſt nonageſimam ſextam*. Heſychius (3) autem theoricam pecuniam, eam nimirum, quae ſpectandis Ludis viritim ex publico aerario diſtribuebatur, huius Archontis anno quatuor obolorum, vel drachmae unius, conſtitutam eſſe teſtatur: Ἐπὶ Διοφάντου τὸ θεωρικὸν ἐγένετο δραχμή *ſub Diophanto theorica pecunia fuit drachma*. Drachma autem illa, ut a Zenobio obſervatur (4), *grandinans* vocata fuit: Ἐπὶ Διοφάντου τὸ θεωρικὸν ἐγένετο δραχμή· ἐπεὶ δὲ ἔπεσε χάλαζα τότε ἀπὸ τοῦ ἀέρος, χαλαζῶσαν αὐτὴν ἐπέσκωπτον *ſub Diophanto theorica pecunia fuit drachma; quum autem nix e caelo tum cecidiſſet, eam drachmam per iocum appellabant grandinantem*. Doctiſſimus Veſslingius hic obſervavit Athenienſem urbem tunc viribus opibuſque deſtitutam fuiſſe, ut a Demoſthene (5) ἀσθενὴς, καὶ οὐδεμίαν ναῦν κεκτημένη *infirma, & nullam navem poſſidens* dicatur; adeoque putat vix ac ne vix quidem tantam pecuniae vim in Ludos inſumi decernique potuiſſe. Itaque ſuſpicatur Diophantum illum, cuius Archontis anno drachma pro *theorica* pecunia conſtituta fuit, ad antiquiora tempora referendum eſſe. Nihil ego tamen aut in veterum Scriptorum textu, aut in Archontum ſerie, ipſorumque Faſtis mutaverim. Fieri nimirum poterat ut drachma illa non

(1) Lib. XIV. c. 82. (2) Arcad. c. 45. (3) In Δραχμή. (4) Prover. Cent. III. num. 27. & Suidas Cent. V. num. 87. (5) Orat. adv. Leptin.

non omnibus omnino civibus, ſed pleriſque ſolum capite cenſis, quibus nimirum domeſticae pecuniae non ſuppeterent, conceſſa fuerit, ut ii quoque una cum ceteris ditioribus civibus ad ſpectacula admitterentur. Accedit etiam quod Scriptores illi theoricam drachmam ex aerario publico diſtributam eſſe non dicunt; adeoque facile ex privato potius cenſu diſtributa cenſeri illa poterit. Certe ego ſuſpicor pecuniam illam a Conone, qui regiae claſſi praeerat, ingenteſque victorias reportaverat, Athenienſibus donatam fuiſſe. Etenim Diodorus [1] aſſerit Cononem ubi cum regia claſſe Piraeeum appulit urbis moenia iampridem a Spartanis diruta ſe refecturum promiſiſſe: quod *magna opificum turba*, quorum *quingentos* Thebani ſubmiſerant, mox ſplendide, magnificeque praeſtavit [2]. Quid ergo prohibet quin Conon ipſe nunc Ludos Athenis indixerit, civiumque ſingulis *drachmam*, veluti theoricam pecuniam, eo ſolum anno diſtribuerit? Certe Heſychius, ceterique ita drachmam Diophanti Archontis anno conceſſam eſſe teſtantur, ut id eo ſolum anno obtinuerit.

Ab Ariſtotele quoque [3] Diophantum hunc memorari putavit Meurſius ubi Philoſophus ille decernit Artifices publicis operibus deſtinatos publici fere iuris eſſe oportere: *καθάπερ ἐν Ἐπιδάμνῳ τε, κ̀ ὡς Διόφαντός ποτε κατεσκεύαζεν Ἀθήνησι ut Dyrrachii fit, & ut aliquando Diophantus Athenis inſtituit*. Sed obſcurior hic certe locus id unum oſtendit legem, moremque illum a Diophanto quodam invectum fuiſſe, non vero Diophantum ipſum legis auctorem Archontis Eponymi munere perfunctum eſſe.

Hoc anno tertia Aetnae montis eruptio contigit, quae a Thucydide [4] memoratur; adeoque Scriptor ille ad hunc ſaltem annum pervenit, ut proinde *octogeſimum* aetatis annum ſuperaverit. Incertum vero quandiu ſuperſtes deinde fuerit. Itaque fallitur Diodorus [5], qui eruptionem illam in anno ſuperiori collocaverat.

(1) Ibi. c. 85. (2) Vid. Corn. Nep. in Conon. c. 4. (3) Polit. Lib. II. c. 7. (4) Lib. III. c. 116. (5) Lib. XIV. c. 59.

An. $\frac{2}{3}$. Eubulides Athenis Archon CCXC.

M. Furius Camillus III.
C. Aimilius Mamercinus
Sp. Poſthumius Albinus Regillenſis Trib. Milit.
L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus VI. Conſ. Pot.
L. Valerius Poplicola
P. Cornelius Scipio II.

Eubulides Archon a Diodoro (1), Ariſtide, ac Lyſia nominatur. Atque Ariſtides (2) quidem ipſius etiam ſitum, atque ordinem in Archontum ſerie deſignavit: Τῆς δὲ ἐν Κορίνθῳ μάχης, καὶ τῆς ἐν Λεχαίῳ μέσος Ἄρχων Εὐβουλίδης ἀπὸ δὲ Λάχητος εἰς Εὐβουλίδην ἕβδομος Ἄρχων ὁ Εὐβουλίδης ὁ αὐτός. ἀπὸ δὲ Εὐβουλίδου πάλιν Ἄρχων ὄγδοος Θεόδοτος, ἐφ᾽ οὗ ἡ εἰρήνη ἐγένετο *inter pugnam Corinthiacam, & eam, quae in Lechaeo commiſſa eſt, medius Archon fuit Eubulides: ſiquidem a Lachete ad Eubulidem ſeptimus Archon eſt Eubulides ipſe, ab Eubulide vero viciſſim octavus Archon fuit Theodotus, ſub quo pax facta eſt.* Denique Lyſias (3) ait quod ἐγένετο ἡ ναυμαχία ἐπ᾽ Εὐβουλίδου Ἄρχοντος *commiſſa eſt pugna navalis ſub Eubulide Archonte*: quod nimirum navale praelium, quo Conon Lacedaemonios prope Gnidum ſuperavit, huius Archontis anno contigerat; quamvis Diodorus illud in ſuperioris Archontis anno collocaverit. Certe victoria illa paullo ante ſolis eclipſim Ageſilao nunciata fuit (4). Itaque, quum eclipſis 14. Auguſti Romani, ſive 29. Hecatombaeonis, menſis die contigerit, victoria illa ineunte 3. Olympiadis anno parta fuit, adeoque facile a Diodoro ad ſuperiorem annum referri illa potuit. Diodorus (5) hoc anno Iſthmia celebrata fuiſſe teſtatur, quibus Corinthii a Lacedaemoniis adiuti praeſederunt.

An. $\frac{3}{4}$. Demoſtratus Athenis Archon CCXCI.

L. Lucretius Flavus
Ser. Sulpicius Camerinus Coſſ.

Vni-

(1) Lib. XIV. c. 85. (2) Platonica II. (3) Orat. XVIII. De Ariſtophontis bonis.
(4) Xenoph. Lib. IV. c. 3. & Plutar. in Ageſil. (5) Ibi. cap. 86.

Vnicus eſt Diodori [1] locus, qui Archontem hunc proferat: Ἀθήνησι παρέλαβε τὴν ἀρχὴν Δημόστρατος *Athenis Archon creatus fuit Demoſtratus*: quumque in latina Rhodomanni interpretatione legatur *Athenienſium Arches, quam appellitant dignitatem, accepit Demoſtratus*, Petavius Diodori locum temere leviterque inſpiciens, anni huius Archontem non *Demonſtratum*, ſed *Archen*, vocavit.

Execeſtides Phocenſis *biga adultorum equorum* Pythiade XLVIII. palmam retulit [2].

Anno *tertio* huius Olympiadis propemodum exeunte, quum Ageſilaus Spartanorum rex ad Coroneam victoriam reportaſſet, Delphos vulneribus ſaucius transferri voluit Πυθίων ἀγομένων *quum Pythia agerentur*. Quem quidem perſpicuum alioqui diſertumque Xenophontis [3] locum ita explicandum eſſe contendit Dodvellus [4] non quod poſt victoriam illam vere *Pythia* agerentur, ſed quod eodem anno celebrata iam fuerant, quum Pythia ipſa *ſecundis* Olympiadum annis peragi exiſtimaret. At in *Agoniſticis Diſſertationibus* [5] perſpicue oſtendi Pythios Ludos exeuntibus ſolum *tertiis* Olympiadum annis adſcribendos eſſe, quod ex ipſo quoque Xenophontis loco manifeſtiſſime demonſtratur.

Brevi poſt Pythicos Ludos Delphis celebratos Corinthiacum bellum erupit; antequam tamen Argivi, qui Corinthi dominabantur, Iſthmia celebrarent. Ergo, quum Pythia ineunte Munychione menſe, Iſthmia vero Munychione ipſo exeunte, vel Thargelione ineunte peragerentur, belli initium Thargelioni ipſi, vel Scirrophorioni adſcribi facile poterit; quumque illud ultimo *Eucliorum* Feſtorum die exarſerit, Euclia ipſa Corinthio menſi, qui Thargelioni, vel Scirrophorioni potius Attico reſponderit, adſcribi debent. Itaque, quum in eximio Corcyraeorum Marmore *Euclii* menſis, veluti *duodecimi*, poſtremique nomen occurrat [6], atque Corcyraei a Corinthiis oriundi non aliis, quam Corinthiorum, menſibus uſi videantur, facile *Euclius* ipſe Corinthiorum Thargelioni, ſive potius Scirrophorioni Attico, reſpondiſſe debuit; ut proinde civilis Corcyraeorum, & Corinthiorum annus ab aeſtivo ſolſtitio, Athenienſis inſtar,

(1) Lib. XIV. c. 90. (2) Pauſ. Phocic. c. 7. (3) Libr. IV. c. 3. (4) Diſſert. V. ſect. 2. (5) Pag. 42. (6) Vid. Tom. II. pag. 415.

ſtar, inciperet. Ceterum ineunte iam, aut affecto 4. anno Olympiadis Pharnabazus Cononem cum pecuniae vi Athenas remiſit, ut longum murum, ac Piraceum inſtauraret [1]: quamvis Diodorus id ad ſuperiorem annum revocaverit, ut antea obſervavimus.

Huic etiam anno ante hyemem, Athenaſque muro munitas, & Iſthmia celebrata Lyſander e vivis exceſſit [2].

OLYMPIAS XCVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4322. Vrb. Con. 362.
Philocles Athenis Archon CCXCII.

L. Valerius L. F. L. N. Potitus
M. Manlius Capitolinus Coſſ.

Terinaeus Eleus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. A Diodoro [3] tamen victor ille *Terines* vocatur ubi Diodorus ipſe & Olympionicam, & Archontem etiam expreſſit: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Φιλοκλῆς· ἤχθη δὲ καὶ Ὀλυμπιὰς κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ἑβδόμη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, ἣν ἐνίκα Τερίνης *Athenis Archon erat Philocles; acta autem fuit hoc anno Olympias ſeptima & nonageſima, qua vicit Terines.*

Phormio Halicarnaſſenſis *pugilatu* palmam obtinuit ex Pauſania [4], qui quum plures ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος *nonageſima octava Olympiade* ab Eupolo Theſſalo corruptos eſſe memoraret, inter illos enumerat καὶ Φορμίωνα Ἁλικαρνασσέα μὲν γένος, Ὀλυμπιάδι δὲ πρὸ ταύτης κρατήσαντα *Phormionem etiam Halicarnaſſenſem, qui ſuperiore Olympiade palmam adeptus fuerat*. Itaque fallitur Scaliger [5], qui Phormionem non *pugilatu*, ſed *ſtadio*, viciſſe memorat.

Archias Hyblaeus Euclei filius *praeconio* hac Olympiade, duabuſque proxime inſequutis viciſſe videtur. Etenim Pollux [6] aſſerit ipſum omnium primum ex peregrinis hoc certaminis genere palmam retuliſſe. Ergo, quum ſuperiori Olympiade, qua primum praeco admiſſus fuit, Crates *Eleus* viciſſe feratur, Olympiadis huius victoria facile Archiae concedi poterit.

Phi-

(1) Xenoph. Lib. IV. c. 8. (2) Plutar. in Lyſandr. (3) Lib. XIV. c. 94. (4) Eliac. I. c. 21. (5) In Collectan. Hiſtor. (6) Lib. IV. c. 12. ſeg. 92.

Philoclis autem Archontis nomen Plutarchus [1] etiam expreſſit : ἰδὼν Δημοσθένην μειράκιον ὄντα· γενηθῆναι γάρ φασιν ἐπὶ Φιλοκλέους Ἄρχοντος *quum vidiſſet Demoſthenem adoleſcentulum, ſiquidem eum natum tradunt ſub Philocle Archonte*. Ceterum huius Archontis anno Thraſybulus Athenienſium imperator 40. triremibus inſtructus Lesbi urbes , Methymnam, Ereſſum , Antiſſam recepit [2]; tandemque, quum Rhodum appuliſſet, ibi a barbaris interemptus eſt [3], quod Diodorus [4] in proximo Demoſtrati Archontis anno memoravit .

An. $\frac{1}{2}$. Nicoteles Athenis Archon CCXCIIII.

L. Lucretius Flavus
M. Aimilius Mamercinus
Agrippa Furius Fuſus
Ser. Sulpicius Rufus Praetextatus T. M. Con. Pot.
L. Furius L. F Sp. N Medullinus VII.
C. Aimilius Mamercinus II.
Inibant Kal. Quinctilibus

Diodorus [5] unus Archontem hunc memoravit , eiuſque anno Rhodios Lacedaemoniis contra Athenienſes adhaeſiſſe , ſimulque Samios ab Athenienſibus defeciſſe teſtatur .

Facile hoc anno Thucydides ex accurato Dodvelli [6] calculo e vivis exceſſit . Certe Thucydides ipſe eruptionem Aetnae memoravit [7] , quae anno 1. Olymp XCVI contigerat . Ipſum vero non Athenis , ſed in Thracia , ſupremum hunc diem obiiſſe contra Marcellinum ſubtiliter, ingenioſeque oſtendit Dodvellus.

An.

(1) Vit. X Rhet. in Lyſia . (2) Diodor. c. 95. (3) Corn. Nep. in Thraſyb. & Xenoph. Lib IV. (4) Ibi c. 99. (5) Lib. XIV. c. 97. (6) Appar. ad Annal. Thucyd. pag. 28. (7) Lib. III. c. 116.

An. $\frac{2}{3}$. Demoſtratus Athenis Archon CCXCIV.

Q. Fabius M. F. M. N. Ambuſtus
K. Fabius M. F. M. N. Ambuſtus
C. Fabius M. F. M. N. Ambuſtus Trib Milit.
Q. Sulpicius Longus Conſ. Pot.
Q. Servilius Q. F. P. M. Priſcus Fidenas IV.
Ser. Cornelius Maluginenſis

Demoſtrati nomen in Diodoro (1) nobis occurrit ubi Thraſybulum, inſignem illum patriae libertatis vindicem, Athenienſium claſſi Praefectum prope Aſpendum ab hoſtibus interemptum eſſe teſtatur. Audita Thraſybuli caede ipſi Agyrrius ſuffectus fuit, quem unum eumdemque fortaſſe putaverim, qui ab Ariſtophane ex mius Archon vocatur, ut opportunius alibi (2) demonſtravi.

An. $\frac{3}{4}$. Antipater Athenis Archon CCXCV.

L. Valerius Poplicola II.
P. Cornelius
L. Aimilius Mamercinus
L. Virginius Tricoſtus Trib. Milit. Con. Pot.
A. Manlius A. F. A. N. Capitolinus
F. Poſthumius Regillenſis Albinus

Praeter Diodorum (3) Ariſtophanis etiam Scholiaſtes Antipatri Archontis nomen expreſſit, ubi *Plutum* a Comico editum eſſe teſtatur (4) ἐπὶ Α῎ρχοντος Ἀντιπάτρȣ *ſub Archonte Antipatro*.

OLYM-

(1) Lib XIV. c. 99. (2) Tom. I. pag. 344. (3) Lib. XIV. c. 103. (4) Argum. in Plutum.

OLYMPIAS XCVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per Iul. 4326. Vrb. Con. 366.
Pyrrhio Athenis Archon CCXCVI.

T. Quinctius Cincinnatus
L. Iulius Iulus
L. Lucretius Tricipitinus Tri. Mil.
Q. Servilius Q. F. P. N. Priſcus Fidenas V. Con. Pot.
L. Aquilius Corvus
Ser. Sulpicius Rufus

Soſippus Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, a quo tamen is *Delphus*, non *Athenienſis*, vocatur. Diodoro (1) tamen *Athenienſis* fuiſſe ille dicitur ubi Pyrrhionis etiam Archontis nomen is expreſſit: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Πυῤῥίων, Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη ὀγδόη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα, καθ' ἣν ἐνίκα Σώσιππος Ἀθηναῖος *Athenis Archon erat Pyrrhio, Olympias vero celebrata fuit octava & nonageſima, qua vicit Soſippus Athenienſis*. Sed Archon ille a Dionyſio non *Pyrrhio*, ſed *Pyrgio*, vocatur (2): Ἡ Κελτῶν ἔφοδος, καθ' ἣν ἡ Ῥωμαίων πόλις ἑάλω, συμφονεῖται σχεδὸν ὑπὸ πάντων Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυργίωνος γένεσθαι, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης ϗ ἐνενηκοστῆς Ὀλυμπιάδος *Gallorum expeditio, qua Romanorum urbs capta eſt, fuit (ut propemodum omnes Auctores communi conſenſu fatentur) Archonte Athenis Pyrgione, circiter primum annum nonageſimae octavae Olympiadis*. Tempus ipſum clarioribus adhuc characteribus a Polybio (3) exprimitur: Ἔτος μὲν οὖν ἐνεστήκει μετὰ μὲν τὴν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίαν, ἐννεακαιδέκατον, πρὸ δὲ τῆς ἐν Λεύκτροις μάχης ἑκκαιδέκατον, ἐν ᾧ Λακεδαιμόνιοι μὲν τὴν ἐπὶ Ἀνταλκίδου γενομένην εἰρήνην πρὸς βασιλέα τῶν Περσῶν ἐκύρωσαν ϗ ὁ πρεσβύτερος Διονύσιος τῇ περὶ τὸν Ἐλλέπορον ποταμὸν μάχῃ νενικηκὼς τοὺς κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἕλληνας, ἐπολιόρκει Ῥήγιον Γαλάται δὲ κατὰ κράτος ἑλόντες αὐτὴν τὴν Ῥώμην κατεῖχον πλὴν τοῦ Καπιτωλίου *annus igitur agebatur poſt navalem quidem ad Aegos flumen pugnam decimus nonus; ante Leuctricam vero ſextus decimus, quo Lacedaemonii pa-*

(1) Lib. XIV. c. 107. (2) Lib. I. (3) Lib. I. c. 6.

cem cum Perſa fecerunt, quae opera & ſtudio Antalcidae convenit: at Dionyſius ſenior ſuperatis ad Elorum amnem Graecis Italicis, Rhegium obſidebat. Galli Romam ipſam per vim a ſe occupatam tenebant, Capitolio excepto.

Antipater Mileſius Clinopatri filius facile *puerorum pugilatu* in Olympiis ipſis palmam obtinuit. Etenim Pauſanias aſſerit Dionyſii Legatos curaſſe ut victor ille non *Mileſius*, ſed *Syracuſius*, renunciaretur. Quum ergo Diodoro (1) teſte Dionyſius Theoros, quadrigas, ac munera Ol XCVIII. ad Olympia miſerit, tunc facile Antipater victoria parta a Legatis ipſis muneribus tentatus fuit.

Archias Hyblaeus *praeconio* iterum vicit, ut in ſuperiori Olympiade eſt obſervatum. Eupolus Theſſalus *pugilatu* viciſſe dicitur a Pauſania (2). Itaque, quum eo certaminis genere inter pueros vicerit Antipater, Eupolus hic *inter viros* fortaſſe palmam obtinuit.

Ariſtodemus Thraſydis filius Eleus *lucta* palmam reportavit. Africanus: Ἀριςόδημος Ἠλεῖος πάλην· ὃν μέσον οὐδεὶς ἔλαβεν. *Ariſtodemus Eleus lucta, quem nemo medium occupavit*. Ariſtodemi victoris Pauſanias (3) quoque meminit. Ariſtodemum ipſum a Simonide Epigrammate laudatum eſſe Scaliger (4) exiſtimavit. Sed certe vir ille mirae doctrinae ac eruditionis hic fallitur, ut in *Agoniſticis* (5) demonſtravi. Etenim Simonides Olymp. LXXVIII. e vivis exceſſit; atque Ariſtodemus ille non *Eleus*, ſed *Alaeus*, eſſe debuit.

Lyſias Orator in Olympicis ipſis Oratione Graecos laudavit quod iunctis viribus Dionyſium Siciliae tyrannum ſuperaſſent (6).

An. $\frac{1}{2}$. Theodotus Athenis Archon CCXCVII.

L. Papirius Curſor
L. Aimilius Mamercinus II.
L. Valerius Poplicola III. T. M. Conſ. Pot.
C. Sergius Fidenas
L. Menenius Lanatus
C. Cornelius

Non

(1) Libr. XIV. c. 100. (2) Eliac. I. c. 21. (3) Eliac. II. c. 3. (4) Animad. in Euſ. pag. 266. (5) Pag. 124. (6) Diod. Lib. XIV. c. 109.

Non Diodoro [1] ſolum, ſed Ariſtidi quoque Theodotus ille memoratur, qui ipſius anno pacem inter Graecos, ac Perſas initam eſſe teſtatur: Ἀπὸ Εὐβουλίδου· πάλιν Ἄρχων ὄγδοος Θεόδοτος, ἐφ᾽ οὗ ἡ εἰρήνη ἐγένετο *ab Eubulide viciſſim octavus Archon eſt Theodotus, ſub quo pax facta fuit*. Eiuſmodi vero pax eſt celebris illa, quae *Antalcidae* vocatur. Quamvis enim Chabrias ab Athenienſibus in Cyprum miſſus plurimas Vrbes Evagorae ſubieciſſet, & Iphicrates variis in locis feliciter contra Lacedaemonios dimicaſſet, quum tamen Antalcidas ipſe ingenti navium numero inſtructus 8. Athenienſium naves Thraſybulo Colyttenſi duce ad Iphicratem miſſas intercepiſſet, additis etiam Perſarum viribus longe Athenienſibus excelleret, Athenienſes ipſi pacem a Lacedaemonis oblatam recipere ſunt coacti. Eiuſmodi vero pacem ineunte anno 3. Olympiadis XCVIII. firmatam fuiſſe pluribus Scriptorum teſtimoniis contendit Dodvellus [2], idque perſpicue exinde inferri putavit quod pacis ineundae tempus in *Nemea aeſtiva*, ſimulque mox in *Iſthmia hiberna* inciderit; adeoque, quum *tertiis* Olympiadum annis aeſtiva Nemea Hecatombaeone, hiberna Iſthmia Gamelione agerentur, pax illa non alteri, quam *tertio*, Olympiadis huius anno adſcribi debeat. Sed inſignem Virum in definiendo Nemeadum, ac Iſthmiadum tempore una cum doctiſſimis etiam Viris aliis aberraſſe in *Agoniſticis* [3] demonſtravi ubi Nemeades aeſtivas ineuntibus 4. hibernas Iſthmiadas exeuntibus 3. Olympiadum annis celebratas eſſe oſtendi. Itaque celebris illa pax, qua Corinthiorum quoque bellum exacto *octennii* tempore diremptum fuit, non ineunti 3. Olympiadis huius anno, ſed 2. potius cum Diodoro adſcribi debet.

Cetera vero Scriptorum teſtimonia, temporumque characteres, qui a Dodvello mox proferuntur, cum anno 2. huius Olympiadis facile componi poſſunt. Ait Polybius [4], & Strabo [5] annum hunc, quo pax Antalcidae conſtituta fuit, fuiſſe *undeviceſimum* a victoria, quam Lyſander ad Aegoſpotamos reportavit. Victoria illa Dodvello ipſo teſte in Poſideonem menſem anni 4. Olymp. XCIII. incide-

 rat,

(1) Lib. XIV. c. 110. (2) Annal. Xenoph. pag. 262. (3) Pag. 56. & 68. (4) Lib. I. (5) Lib. VI.

rat, ergo Poſideone menſe anni 2 huius Olympiadis 18. anni abſoluti iam fuerant, adeoque pax exeunte hoc anno conſtituta ad 19. annum ſpectaverit. Polybius ipſe teſtatur pacem hanc 16. annis pugnam Leuctricam praeceſſiſſe. Clades illa anno 2. Olymp. CII. contigit, ergo rectiſſime pax in anno 2. Olymp XCVIII. collocatur. Diodorus aſſerit Calliſthenem ab Antalcidae pace ad annum uſque, quo Philomelus Templum Delphicum expilavit, 30. annorum ſpatio hiſtoriam ſuam duxiſſe. Contigit id anno 4. Olymp. CV. ergo pacis initae tempus in anno 2. huius Olympiadis conſtitui debet. Quinetiam perſpicuum argumentum aliud ex vero hoc pacis tempore deduci poterit, quo Nemea in 4. atque Iſthmia in 3. Olympiadum annos incidiſſe demonſtretur.

An. $\frac{2}{3}$. Myſtichides Athenis Archon CCXCVIII.

M. Furius Camillus IV.
P. Servilius Q. F. P. N. Priſcus Fidenas VI.
L. Horatius Pulvillus T. M. Conſ. Pot.
Ser. Cornelius Maluginenſis II.
L. Quinctius Cincinnatus
P. Valerius L. F. L. N. Poplicola Potitus

Solo Diodori (1) teſtimonio Archontis huius nomen, ac ſitus demonſtratur, qui Lacedaemonios icti nuper foederis pertaeſos Mantineam obſediſſe memorat; quumque Athenienſes iis ſuppetias denegaſſent, ne pacem ſolvere viderentur, acriter conſtanterque obſidionem tolerarunt.

An. $\frac{3}{4}$. Dexitheus Athenis Archon CCXCIX.

A. Manlius A. F. A. N. Capitolinus II.
P. Cornelius
L. Papirius Curſor II. T. M. Conſ. Pot.
T. Quinctius Capitolinus
L. Quinctius Capitolinus
C. Sergius Fidenas II.

De-

(1) Lib. XIV. c. 2.

Dexithei Archontis, praeter Diodorum [1], Plutarchus [2] etiam meminit, qui ab illius Archontis anno ad Callimachum uſque, hoc eſt annum 4. Olymp. CVIII. *triginta ſeptem* annos enumerat, ubi de Demoſthenis aetate loquens ait: Ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς λογιζομένοις ἀπὸ Δεξιθέυ εἰς Καλλίμαχον *annos natus triginta ſeptem, ſi a Dexitheo ad Callimachum uſque ſupputemus.*

Itaque Plutarchus Archontis huius anno Demoſthenem in lucem editum eſſe pronunciat; quum tamen Dionyſius [3] ortum ipſum ad annum 4. Olymp. IC. revocaverit, adeoque Demoſthenem *tribus* annis Ariſtotele iuniorem fuiſſe dixerit. Ego vero perſpicuis alibi [4], certiſque temporum characteribus demonſtravi quod Demoſthenis ortus ineunti *quarto*, ſive potius exeunti *tertio*, huius Olympiadis anno adſcribi debet; ut proinde Dionyſii ſententia, quamvis ab illo ſaepius conſtanterque propoſita fuerit, manifeſtiſſime refelli debeat.

Hoc eodem anno aeſtatis tempore Lacedaemonii Mantineae obſidionem acriter urgebant; quumque ingruente hieme fluvium, qui Mantineam praeterlabitur, in urbem ipſam avertiſſent, cives infortunio perculſos ad deditionem impulerunt [5].

OLYMPIAS XCIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4330. Vrb. Con. 370.
Diotrephes Athenis Archon CCC.

Ser. Cornelius Maluginenſis III.
M. Furius Camillus V.
C. Papirius Craſſus Trib. Milit.
P. Valerius L. F. L. N. Potitus Poplicola II. Con. Pot.
Ser. Sulpicius Rufus II.
T. Quinctius Cincinnatus II.

Dicon Syracuſanus Callibroti filius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Victor ille, ſimulque Eponymus Athenis Ar-

(1) Lib. XIV. c. 8. (2) Vit. X. Rhet. in Demoſth. (3) Epiſt ad Ammae. (4) Tom. II. pag. 139. (5) Diod. XV. c. 12. Pauſan. Arcad. c. 8. & Xenoph. Lib. V.

Archon a Diodoro (1) nominatur: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Διοτρεφὴς, παρὰ δ' Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἐνενηκοςὴ ἐνάτη, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Δίκων Συρακούσιος *Athenis Archon erat Diotrephes, apud Eleos vero Olympias celebrata fuit nonageſima nona, qua vicit ſtadio Dicon Syracuſanus*. Victorem hunc Pauſanias (2) etiam memoravit aſſerens illum iampridem inter pueros, eodem fortaſſe *ſtadii* certamine, victorem fuiſſe, duaſque inter viros victorias retuliſſe. At in Epigrammate, quod veluti ineditum Veſslingius exhibuit, aliae quoque Diconis victoriae recenſentur.

Εἰμὶ Δίκων υἱὸς Καλλιμβρότου· αὐταρ ἐνίκων
Τετράκις ἐν Νεμέᾳ, δὶς Ὀλύμπια, πεντάκι Πυθοῖ,
Τρὶς δ' Ἰσθμῷ, δ' ἄςυ Συρακοσίων
Sum Dicon filius Callimbroti; vici autem
Quater in Nemea, bis Olympia, quinquies Pythia,
Ter in Iſthmo, corono autem urbem Syracuſanorum.

Itaque, ut Epigrammatis Auctor cum Pauſania conſpiret, hic τρὶς Ὀλύμπια reſcribendum eſſe putavit Veſslingius. Denique ex Pauſania obſervandum Diconem hunc *Cauloniatam* quidem fuiſſe, ſed praemii ſpe ſeſe *Syracuſanum* renunciari maluiſſe.

Sybariades vero Lacon *pullorum equorum curſu* tum primum recepto palmam obtinuit (3): Ἐνάτῃ δὲ ἤρεσεν Ὀλυμπιάδι καὶ ἐνενηκοςῇ καὶ ἅρμασιν ἀγωνίζεσθαι. Λακεδαιμόνιος δὲ Συβαριάδης τὸν ςέφανον τῶν πώλων ἔσχε τοῦ ἅρματος *undecenteſima vero Olympiade iunctis ad currum pullis certatum eſt: coronam coepit Sybariades Lacedaemonius* Africanus tamen victorem hunc *Eurybatem* appellavit: Προσετέθη τέθριππον πωλικὸν, καὶ ἐνίκα Εὐρυβάτας Λάκων *addita fuit pullorum quadriga, & palmam retulit Eurybates Laco*.

Sotades Cretenſis *dolicho* victor fuit. Pauſanias (4): Σωτάδης ἐπὶ δολιχοῦ νίκαις Ὀλυμπιάδι μὲν ἐννατῇ καὶ ἐνενηκοςῇ Κρὴς καθάπερ γε ἦν ἀνεῤῥήθη. τῇ ἐπὶ ταυτῇ δὲ λαβὼν χρήματα παρὰ τοῦ Ἐφεσίων κοινοῦ Ἐφέσιον ἑαυτὸν ἐποίησεν αὐτὸν *Sotades longioris curriculi victor Olympiade XCIX., Cretenſis, uti fuit, renunciatus eſt; ea vero, quae conſequuta eſt Olympiade, accepta publice ab Epheſiis pecunia, Epheſium ſe prodi maluit.*

ab

(1) Lib. XV. c. 14. (2) Eliac. II. c. 3. (3) Eliac. I. c. 8. (4) Eliac. II. c. 18.

Archias Hyblaeus tertia poſtremaque vice *praeconio* vicit, ut ad Oly. XCVII. obſervatum fuit.

Ariſtoteles Nicomachi filius Stagirae in lucem editus eſt. Perſpicue Dionyſius (1) id aſſerit: *Ἐγεννήθη κατὰ τὴν ἐνενηκοστὴν καὶ ἐννάτην Ὀλυμπιάδα Διοτρεφοῦς Ἀθήνησι Ἄρχοντος natus eſt nonageſima nona Olympiade, Diotrephe Athenis Archonte* Ita Laërtius (2) ex Apollodoro docet *γεννηθῆναι αὐτὸν τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοστῆς καὶ ἐνάτης Ὀλυμπιάδος natum illum anno primo nonageſimae nonae Olympiadis*: quemadmodum Suidas, ſed obſcurius, ait ipſum *ἐν τῇ ἐνενηκοστῇ ἐννάτῃ Ὀλυμπιάδι nonageſima, nona Olympiade* natum fuiſſe.

An. $\frac{1}{\alpha}$. Phanoſtratus Athenis Archon CCCI.

L. Valerius Poplicola IV.
A. Manlius A. F. A. N. Capitolinus III.
Ser. Sulpicius Rufus III.
L. Lucretius Tricipitinus II.
L. Aimilius Mamercinus III.
M. Trebonius Flavus
T. M. Conſ. Pot.

Archontis nomen Diodoro (3), ſimulque Ptolemaeo (4) memoratum, qui geminam Lunae eclipſim huius Archontis anno contigiſſe ſcribit: *Γεγονέναι δὲ τὴν πρώτην ἔκλειψιν Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φανοστράτου μηνὸς Ποσειδεῶνος .... πάλιν τὴν ἑξῆς ἔκλειψίν φησι γεγονέναι Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φανοστράτου Σκιῤῥοφοριῶνος μηνὸς contigiſſe primam eclipſim Archonte Athenis Phanoſtrato menſe Poſideone .... eclipſim vero, quae poſt illam contigit, factam fuiſſe ait Archonte Athenis Phanoſtrato Scirrophorione menſe.* Ac certe quidem lunarem eclipſim 23. Decembris Romani die obſervatam eſſe ex Aſtronomicis Tabulis erudimur, quod Poſideoni menſi mire conveniet; quemadmodum eclipſis alia ſequenti anno Iuliano in 18. Iunii diem incidit, qui Romanus menſis a Ptolemaeo optime cum Scirrophorione Attico committitur.

An.

(1) Epiſt. ad Ammae. (2) Libr. V. ſeg. 9. (3) Libr. XV. c. 15. (4) Almag. Lib. IV.

An. $\frac{2}{3}$. Evander Athenis Archon CCCII.

Sp. Papirius Craſſus
L. Papirius Craſſus
Ser. Cornelius M. F. Maluginenſis IV. T. M. Con. P.
Q. Servilius Q. F. Q. N. Priſcus Fidenas
C. Sulpicius M. F. Q. N. Pettius
L. Aimilius Mamercinus IV.

Archon ille a Diodoro (1) quidem *Menander*, ſed a Ptolemaeo (2) *Evander*, vocatur, qui ipſius Archontis anno lunae eclipſim obſervatam eſſe memoravit: Τὴν δὲ τρίτην ἔκλειψίν φησι γεγονέναι Α'ρχοντος Α'θήνησι Ε'υάνδρȣ μηνὸς Ποσειδεῶνος *tertiam eclipſim ait contigiſſe Archonte Athenis Evandro menſe Poſideone*. Eclipſis illa 12. Romani Decembris die obſervata fuit; ut proinde hoc etiam ex loco Poſideon Atticus cum Romano Decembri committendus optime videatur.

Demoſthenes etiam, Ptolemaei inſtar, Archontem hunc *Evandrum* vocavit, ubi Eudemum *Cydathenaeum* ἐπ' Ε'υάνδρȣ Α'ρχοντος *ſub Evandro Archonte* occiſum eſſe teſtatur, quod noxiam legem rogaſſet (3).

An. $\frac{3}{4}$. Demophilus Athenis Archon CCCIII.

M. Furius Camillus VI.
A. Poſthumius Albinus Regillenſis
L. Lucretius Tricipitinus III. Trib. Milit.
L. Furius Sp. F. L. N. Medullinus Conſ. Pot.
L. Poſthumus Albinus Regillenſis
M. Fabius K. F. M. N. Ambuſtus

Demophilum hunc Diodorus (4) hoc anno Faſtis adſcribit, quo Lacedaemonios Ageſipolide rege copias ducente Olynthiis bellum intuliſſe teſtatur.

OLYM-

(1) Libr. XV. c. 20. (2) Almag. Libr. IV. (3) Orat. adv. Timocrat. (4) Libr. XVI. c. 22.

OLYMPIAS C.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4334. Vrb. Con. 374.
Pytheas Athenis Archon CCCIV.

L. Valerius Poplicola V.
P. Valerius Potitus Poplicola III.
C. Sergius Fidenas III.
L. Menenius Lanatus II. Trib. Mili. Conſ. Pot.
Sp. Papirius L. F. Curſor
Ser. Cornelius M. F. Maluginenſis V.

Dionyſodorus Tarentinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (1): Α'θήνησι μὲν ἦν Α'ρχων Πυθέας. παρὰ δὲ Η'λείοις Ο'λυμπιὰς ἤχθη ἑκατοςὴ, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Διονυσόδωρος Ταραντῖνος *Athenis quidem Archon erat Pytheas, apud Eleos vero Olympias celebrata fuit centeſima, qua vicit ſtadio Dionyſodorus Tarentinus*.

Sotades vero Cretenſis *dolicho* iterum vicit, ſeque *Epheſium* vocari voluit, ut ex Pauſania in ſuperiori Olympiade iam obſervatum.

Carcinus Athenienſis Tragicus hac Olympiade floruiſſe dicitur a Suida: Ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑκατοςὴν Ο'λυμπίαδα πρὸ τῆς Φιλίππυ βασιλείας τῦ Μακέδονος *floruit Olympiade centeſima ante regnum Philippi Macedonis*.

Mus Tarentinus hac ipſa Olympiade *pugilatu* fortaſſe inter *viros* palmam obtinuit. Victoriam illam aegre admodum, immenſoque labore ipſi obtigiſſe Zenobius (2) teſtatur. Id vero Olympiade C. contigiſſe tradit Suidas.

Pytheas ipſe huius anni Archon in Oxonienſi Chronico memoratur (3): Α'φ' ὖ Φιλόξενος ὁ Διθυραμβοποιὸς τελευτᾷ βιὖς ἔτη ΙΔΙΔ., ἔτη ΗΔΠΙ., Α'ρχοντος Α'θήνησι Πυθέυ *a quo Philoxenus Dithyramborum Scriptor occubuit, quum vixiſſet annos LX. anni CXVI. Archonte Athenis Pythea*: Philoxenum hunc Pauſanias (4) memoravit.

Ceterum huius Archontis anno Ageſipolidem Sparta-

(1) Lib. XV. c. 23. (2) Prover. Cent. V. num. 46. (3) Epoch. 70. lin. 82.
(4) Attic. init.

norum regem obiiſſe, ipſique Cleombrotum fratrem ſucceſſiſſe narrat Diodorus [1], eumque Olynthiorum urbem iampridem obſeſſam occupaſſe.

An. $\frac{1}{2}$. Nicon Athenis Archon CCCV.

P. Manlius A. F. A. N. Capitolinus	
C. Manlius Capitolinus	
L. Iulius Iulus	Trib. Milit. Con. Pot.
C. Sextilius	
M. Albinus	
L. Antiſtius	

Nicon ille a Diodoro [2], atque Dionyſio [3] memoratur, qui de Lyſiae morte differens ait: Εἰ γὰρ ὀγδοήκοντα ἔτη γενόμενον θήσει τὶς τελευτῆσαι Λυσίαν, ἐπὶ Νίκωνος, ἢ ἐπὶ Ναυσινίκου Ἄρχοντος, ἑπτὰ ἔτεσιν ὅλοις ἂν εἴη προτεροῦσα τῆς γραφῆς τοῦ ψηφίσματος ἡ τελευτὴ τοῦ ῥήτορος· μετὰ γὰρ Ἀλκισθένην Ἄρχοντα Ἰφικράτης ἰδιώτης γίνεται. *ſi enim octoginta annos natum ponat quis obiiſſe Lyſiam, ſub Nicone, vel ſub Nauſinico Archonte, integris ſeptem annis antequam decretum hoc ſcriberetur rhetoris mors contigiſſet; etenim poſt Alciſthenem Archontem Iphicrates privatus fit*. Itaque vides Nauſinicum *ſeptem* annis Alciſthenem praeceſſiſſe.

Mauſolus etiam Cariae rex Olympiadis C. *anno ſecundo* obiiſſe dicitur a Plinio [4]. Itaque praeclare fallitur Laërtius [5], qui Mauſoli ſepulcrum ab Anaxagora conſpectum, atque contemptum eſſe teſtatur.

An. $\frac{2}{3}$. Nauſinicus Cephalenſis Athenis Archon CCCVI.

Sp. Furius Sp. F. L. N. Medullinus	
Q. Servilius Q. F. Q. N. Priſcus Fidenas II.	
C. Licinius Calvus	Trib. Milit. Conſ. Pot.
P. Cloelius Siculus	
M. Horatius Pulvillus	
L. Geganius Macerinus	

Ar-

(1) Ibi c. 23. (2) Libr. XV. c. 24. (3) In Lyſia num. 12. (4) Libr XXXVI. c. 5. & 6. (5) Lib. II. ſeg. 10.

Archontem hunc a Dionyſio ſtatim poſt Niconem collocari vidimus, quemadmodum Diodorus (1) ipſe hoc anno Nauſinicum Faſtis inſcripſit. Demoſthenes quoque, diſſimulato tamen anno, Archontem hunc nominavit, ubi Ναυσίφιλον τὸν Ναυσινίκου τοῦ ἄρξαντος υἱὸν (2) *Nauſiphilum filium Nauſinici, qui fuit Archon*, & εἰσφορὰς τὰς ἀπὸ Ναυσινίκου (3) *collationes, quae a Nauſinici anno conferuntur*, hoc eſt, ut Vlpianus interpretatur, εἰσφορὰς τὰς γενομένας ἐπὶ Ναυσινίκου Ἄρχοντος *collationes ſub Nauſinico Archonte inſtitutas*, memoravit; quumque Demoſthenes ipſe mox Nauſiphilum hunc *Cephalenſem* appellet, Nauſinicus etiam Athenis Archon ad Populum illum ſpectaverit.

Huius Archontis anno Thebarum cives, qui ex patria a Lacedaemoniis occupata aufugerant, Athenienſium praeſidio freti patriam noctu invadunt, Cadmaeam arcem occupant, noviſque Athenienſium copiis adiuti Thebas Lacedaemoniorum imperio eripiunt (4).

An. $\frac{3}{4}$. Calleas Athenis Archon CCCVII.

L. Aimilius Mamercinus V.
P. Valerius L. F. L. N. Potitus Poplicola IV.
C. Veturius Craſſus Cicurinus Trib. Milit.
Ser. Sulpicius Rufus Praetextatus II. Conſ. Pot.
L. Quinctius Cincinnatus II.
C. Quinctius Cincinnatus

Vnicus foret Diodori (5) locus, qui Calleam hunc memoraſſet, niſi ipſius mentio in Oxonienſi etiam Chronico nobis occurreret (6): Ἀφ' οὗ Ἀναξανδρίδης ὁ κωμῳδοποιὸς ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ἔτη ΗΔΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου *a quo Anaxandrides Comicus vicit Athenis, anni CXIII. Archonte Athenis Callia*. Quin etiam perſpicua Archontis huius mentio in praeſtantiſſimo Athenienſi Marmore nuper nobis affulſit, quod in Appendice ad *Notas Graecorum* (7) exhibui, ac illuſtravi. Etenim in illo Archontes quatuor

 Καλ-

(1) Lib. XV. c. 25. (2) Orat. adv. Neaeram. (3) Orat. adv. Androtion. (4) Diod. Lib. XV c. 25. & 26. Xenoph. Lib. V. Corn. Nep. & Plut. in Pelopida. (5) Lib. XV. c. 28. (6) Epoch. 71. lin. 82. (7) Pag. C.

Καλλέας, Καρίσανδρος, Ἱπποδάμας, Σωκρατίδης *Calleas*, *Cariſander*, *Hippodamas*, *Socratides* memorantur. Marmoris eius initium ſubieciſſe nunc libet, ubi quatuor illa Athenienſium Archontum nomina nobis occurrunt, quod exinde plura notatu digniſſima deduci poſſint, quae opportunius alibi expoſui.

E. Θ.

ΤΑΔΕ ΕΠΡΑΞΑΝ ΑΜΦΙΚΤΥΟΝΕΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ
ΑΠΟ ΚΑΛΛΕΟ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΜΕΧΡΙ ΤΟ ΘΑΡΓΗΛΙΩ
ΝΟΣ ΜΗΝΟΣ ΤΟ ΕΠΙ ΙΠΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΑΘΗΝΗΣΙ ΕΝ ΔΗΛΩ ΔΕ ΕΠΙΓΕΝΟΣ ΑΡΧΟΝ
ΤΟΣ ΜΕΧΡΙ ΤΟ ΘΑΡΓΗΛΙΩΝΟΣ ΜΗΝΟΣ ΤΟ ΕΠΙ
ΙΠΠΙΟ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΧΡΟΝΟΝ ΟΣΟΝ ΕΚΑΣΤΟΣ ΑΥΤΩΝ
ΗΡΧΕΝ ΟΙΣ ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΔΩΡΟ ΣΚΑΜ
ΒΩΝΙΔΗΣ ΕΓΡΑΜΜΑΤΕΥΕΝ ΑΠΟ ΧΑΡΙΣΑΝΔΡΟ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΙΔΙΩΤΗΣ ΘΕΟΓΕΝΟΣ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΜΕ
ΧΡΙ ΤΟ ΕΚΑΤΟΜΒΑΙΩΝΟΣ ΜΗΝΟΣ ΤΟ ΕΠΙ ΙΠ
ΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΣΩΣΙΓΕΝΗΣ ΣΩΣΙΑΔΟ
ΞΥΠΕΤΑΙΩΝ ΕΝΙΑΥΤΟΝ ΕΠΙ ΚΑΛΛΕΟ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΕΠΙΓΕΝΗΣ ΜΕΤΑΓΕΝΟΣ ΕΚ ΚΟΙΛΗΣ ΑΝΤΙΜΑΧΟΣ
ΕΥΤΥΝΟΜΟ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΕΠΕΡΑΣΤΟΣ ΜΕΝΕ
ΣΤΡΑΤΟ ΠΑΛΛΗΝΕΥΣ

Haec exegerunt Amphictyones Athenienſium
ab ineunte *Calliae Archontis anno uſque ad Thargelionem menſem, qui fuit ſub Hippodamante Archonte Athenis; in Delo autem ab* ineunte *Epigenis Archontis anno uſque ad Thargelionem menſem, qui fuit ſub Hippia Archonte, quo tempore quilibet ipſorum* Amphictyonis *munus obivit; quibus Diodorus Olympiodori* filius *Scambonides ſcribam geſſit. A Chariſandri vero Archontis* initio *Idiota Theogenis* filius *Acharnenſis uſque ad Hecatombaeonem menſem, qui fuit ſub Hippodamante Archonte*, Scriba fuit. *Soſigenes Soſiadis* filius *Xypetaeon annum ſub Callia Archonte* Scribam geſſit. Amphictyones *Epigenes Metagenis* filius *ex Coele*, *Antimachus Eutynomi* filius *Marathonius*, *Eperaſtus Meneſtrati* filius *Pallenenſis*.

Ite.

Iterum Archontes ipſi verſu 84. eodem prorſus ordine memorantur.

... ΕΠΙ ΤΗΣ ΗΜΕΤΕΡΑΣ ΑΡΧΗΣ ΤΕΤΤΑΡΩΝ
ΕΤΩΝ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΩΝ ΑΘΗΝΗΣΙ ΚΑΛΛΕΟ ΧΑ
ΡΙΣΑΝΔΡΟ ΙΠΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ ΣΩΚΡΑΤΙΔΟ
Magiſtratus noſtri tempore quatuor
annis ſub Archontibus Athenis Callia, Cha-
riſandro, Hippodamante, Socratide.

Itaque, licet Archon ille a Sigonio *Chabrias*, a Diodoro ac Meurſio *Callias* vocetur, atque Palmerius *Calleae* nomen in Seldenianis Oxonienſis Marmoris Schedis *ex errante forte Typographo* profluxiſſe putaverit, perſpicue tamen apparet Archontem illum non *Calliam*, ſed *Calleam* vocandum eſſe; quum praeſertim Marmoris Auctor cognomines Archontes diſtinguere conſueverit, atque ſuperius Calliam anni 3. Ol. XCIII. Calliam *primum* vocaverit. Ergo, quum Archonti noſtro neque *ſecundi*, neque *tertii* notam adiecerit, aperte ſatis oſtendit ipſum *Calliae* nomine minime decoratum fuiſſe.

Huius Archontis anno Chabrias Athenienſis claſſis Praefectus cum Pollide Lacedaemoniorum Navarcho acerrime prope Naxum dimicavit, victoriaque inſigni potitus Athenas revertitur, ubi praeclaris honoribus publico civium decreto decoratur [1]. Dodvellus [2] quidem victoriam illam in anno proximo collocandam eſſe putavit; at Euſebio quoque celebris illa Athenienſium victoria anno 4. Ol. C contigiſſe dicitur, qua Athenienſes ipſi maris imperium adepti, adeoque, ut Euſebius ait, *principes Graeciae facti* ſunt. Ceterum inſignem hanc Lacedaemoniorum cladem in 16. Boëdromionis Attici diem incidiſſe teſtatur Plutarchus [3]: Ἀθηναῖοι τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, ἧς Καβρίας ἐστρατήγει, τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον *apud Naxum navali victoria circa plenilunium menſe Boedromione Athenienſes ſunt duce Chabria potiti*.

Quamvis autem Chabrias Athenienſium Navarchus pro-

xi-

(1) Diod. Lib XV. c. 34. 35. Corn. Nep. in Chabria (2) Annal. Xenoph. pag. 271
(3) In Camillo.

ximo poſt acerrimam hanc pugnam anno obiiſſe dicatur a Diodoro, perſpicue tamen ex Scriptoribus aliis apparet ipſum diu pugnae victoriaeque ſuperſtitem fuiſſe, ut Diodorus ipſe fatetur, qui Chabriae mortem in anno 3. Olymp. CV. collocavit. Ita quoque Pollidem Lacedaemoniorum ducem acceptae cladi *quadriennii* tempore ſuperſtitem fuiſſe ipſe omnium primus oſtendam, ſimulque inſignem Laërtii locum mire ab Interpretibus vexatum explicabo. Dixerat Laërtius Platonem a Dionyſio Siciliae tyranno Pollidi Lacedaemoniorum Legato traditum fuiſſe ut ab illo in itinere occideretur; ſed a Pollide in Aegina expoſitum atque ab Annicaride Philoſopho viginti minis redemptum Athenaſque remiſſum fuiſſe: tum ſubdit (1) τὸν μέντοι Πόλιδα λόγος ὑπότε Χαβρίου ἡττηθῆναι, καὶ μετὰ ταῦτα ἐν Ἑλίκῃ καταποντωθῆναι, τοῦ δαιμονίου μηνίσαντος αὐτῷ διὰ τὸν Φιλόσοφον *Polidem vero a Chabria ſuperatum, & poſtea in Helice fuiſſe ſubmerſum fama eſt, Daemonio illum vindicta perſequente Philoſophi cauſſa.* Aldobrandinus Laërtii Interpres legiſſe videtur ἐν ἕλικι, quippe qui latine reddiderit *in vortice*; ſed Ambroſius, ac Menagius etiam hic *Helicem* Peloponneſi urbem intelligendam eſſe putarunt. Itaque Menagius ad locum hunc obſervavit quod *ibi demerſus eſt Polis in mare ab hoſtibus captus, & eo ſupplicio damnatus*. Sed elegans ille doctiſſimuſque Laërtii Interpres Scriptorem aliquem laudare debuerat, qui Polidem aut ab hoſtibus captum, aut interemptum fuiſſe dixerit; quum praeſertim Diodorus aſſerat Chabriam victoria parta ab inſequendis hoſtibus abſtinuiſſe, adeoque Spartanorum naves, ac milites aufugiſſe. Accedit etiam quod acer ille navium conflictus prope Naxum contigerat; adeoque Polis, quamvis etiam ab Athenienſibus captus fuiſſet, in Athenienſi litore, non autem in Helice, hoc eſt in Corinthiaco ſinu, vel litore, ſubmerſus fuiſſet. Denique urbs illa non ad mare poſita, ſed 12. ſtadiis ab illo diſſita fuerat, ut Strabone vade mox oſtendetur; ergo Polis non *in Helice*, ſed *prope Helicem* ſubmerſus a Laërtio diceretur. Itaque, cum Laërtius nitide diſerteque dixerit Polidem ἐν Ἑλίκῃ καταποντωθῆναι *in Helice ſubmerſum fuiſſe*, alia prorſus infortunii cauſſa, aliudque mortis tempus inquiri debet. Niſi ve-

(1) Lib. III. ſeg. 20.

vero ſplendide hic ego fallar, verum eiuſmodi infortunii mortiſque tempus, adeoque verum Laërtii ſenſum ex Strabone, ceteriſque Scriptoribus deprehendiſſe videor, qui Helices urbis excidium memorarunt. Etenim Strabo (1) perſpicue teſtatur *Helicem duobus ante res Leuctricas annis deſtructam eſſe. Heraclides autem narrat aetate ſua calamitatem illam noctu incidiſſe; urbemque ipſam, quae ſtadiis* 18. *diſtabat a mari, toto cum loco fuiſſe obrutam ... nam, quum terraemotus in ſublime pelagus extuliſſet, & ipſam diluvii inſtar abſorpſit.*

Excidium ipſum ab Ariſtotele, Ovidio, Seneca, Diodoro, Plinio, Pauſania, Aeliano, Euſtathio, aliiſqe pluribus memoratur, accurateque deſcribitur. Quum ergo Leuctrica pugna anno $\frac{1}{2}$. Ol. CII. contigerit, Helices Vrbis excidium ad annum $\frac{3}{4}$. Olymp. CI. referri debet; adeoque, ſi rite conieccrim Polidem fortuito tunc in Helice morantem una cum univerſis Helices incolis interiiſſe, ipſius mors Naxia clade *quadriennii* tempore poſterior erit. Certe in hac hypotheſi perſpicue conſtabit quod ille μετὰ ταῦτα, nimirum poſt cladem in Naxo acceptam occubuit; quod & ἐν Ἑλίκῃ *in Helice*, & ab ipſo mari ſubmerſus fuit; quod denique inſperato quodam, ac inopinato caſu, adeoque Daemonis ultoris conſilio interiit, cum Lacedaemonius homo ſubito Corinthiae urbis excidio comprehenſus, inſuetoque ac admirabili naufragii genere extinctus videretur. Atque iſta quidem hic obiter opportuneque obſervata ſint non modo ut obſcurus ille Laërtii locus explicetur, verum etiam ut celeberrima Athenienſium victoria ad Naxum Chabria duce contra Polidem parta accuratius exponatur.

(1) Libr. VIII. pag. 761.

FINIS.

FASTI ATTICI
IN PARTES DVAS
ET
QVATVOR VOLVMINA
DISTRIBVTI.

FASTI ATTICI
IN QVIBVS
ARCHONTVM
ATHENIENSIVM SERIES
PHILOSOPHORVM ALIORVMQVE ILLVSTRIVM
VIRORVM AETAS
ATQVE PRAECIPVA ATTICAE HISTORIAE CAPITA
PER OLYMPICOS ANNOS DISPOSITA DESCRIBVNTVR
NOVISQVE OBSERVATIONIBVS ILLVSTRANTVR

AVCTORE
EDVARDO CORSINO
CLER. REGVL. SCHOLARVM PIARVM
IN PISANA ACADEMIA
HVMANIORVM LITTERARVM PROFESSORE

TOMVS QVARTVS.



FLORENTIAE ANNO CIƆIƆCCLVI.
Ex Imperiali Typographio
PRAESIDVM ADPROBATIONE.

PRAEFATIO.

VBI *Tertium* FASTORVM ATTICORVM *Volumen vertente iam anno* MDCCLI. *in lucem prodiiſſet, facile etiam Quartum, ac poſtremum Operis huius Volumen brevi proditurum ſperaveram. Plurimae tamen cauſſae ſubinde interceſſerunt ne quarta Faſtorum pars, quae a tertia divelli vix poterat, ideoque merito a pluribus optabatur, emitti poſſet. Siquidem primum eximia prorſus humanitas, qua Vir Cl. Scipio Maffeius trecentarum fere Graecarum Inſcriptionum exemplar mihi Veronae conceſſit, ut eas latine redderem, atque illuſtrarem, id a me iure quodam ſuo poſtulare, atque exigere videbatur, ut ego Verona Florentiam redux nonnullas ex Inſcriptionibus illis, eas nimirum, quae ad Athenienſem Vrbem ſpectabant, veluti ſincerum memoris, gratique animi pignus, exiguum maioris Operis ſpecimen, & quamdam fere Faſtorum meorum coronidem ſtatim vulgarem, eiuſdemque doctiſſimi Viri nomini conſecrarem.*

Itaque iam inceptam quarti Voluminis editionem libens abrupi, eaſque INSCRIPTIONES ATTICAS *illuſtravi, & ſequenti anno* MDCCLII. *ſeorſim edidi, quae nunc in ipſo Voluminis huius limine conſpiciuntur. Quum vero paucos poſt menſes eodem ipſo anno Politus noſter acerbo, ac inopinato caſu multis ille quidem flebilis, ſed nulli certe, quam mihi flebilior obiiſſet; maximo, atque immortali* IMPERATORIS CAESARIS *beneficio a Philoſophiae tradendae munere ad Humaniores Litteras in Academia Piſana defuncti Politi loco docendas translatus, id optimo, maximoque iure mihi curandum putavi, ut novam hanc ſpartam pro viribus ornarem; proximoque anno de Minniſari Armeniae Regis Nummo explicando, novaque Arſacidarum Epocha conſtituenda cogitavi, ut ex Diſſertatione primis anni* MDCCLIV. *menſibus edita apparet. Nihil eſt tamen, quod Faſtis Atticis, aut ceteris lucubrationibus, quibus perficiendis iucunde immorabar, magis adverſum, atque importunum acciderit, quam illorum conſilium, qui in ſuperioribus Ordinis mei Comitiis longe de me honorificentius, quam certe par fuerat, cogitarunt. Itaque in tanta rerum, ac ſtudiorum varietate multo remiſſius de abſolvendo Faſtorum Atticorum opere cogitandum fuit; quum praeſertim interea ſaepius mihi cum adverſa valetudine conflictandum, & Cl. Froëlichii Dubiis adverſus Arſacidarum Epocham a me conſtitutam propoſitis reſpondendum fuerit, & nonnulla quoque Hiſtoriae capita ad Anconitanam Vrbem, & Eccleſiam ſpectantia opportune illuſtranda contigerint. Ne tamen hanc ultimam Faſtorum partem diutius exſpectari ſinerem, ſubceſivis horis illam abſolvi, &, quod maxime optari videram, varios, & accuratos Indices adieci. Ac initio quidem Archontum Eponymorum Seriem iuxta temporum, aut Olympiadum ordinem contextam exhibui, quae Scriptorum teſtimoniis, & argumentis aliis in ipſo Operis contextu propoſitis accuratiſſime reſponderet. Ex hac ipſa deinde Eponymorum Archontum ſerie alphabetico tamen ordine diſpoſita Indicem* I. *contexui; ut, ſi fortaſſe Archontis alicuius nomen in ſcriptoribus, aut monimentis aliis occurreret, repente deprehendi poſſet, quonam tempore Athenis eo magiſtratu, vel Archontis munere perfunctus eſſet. Quumque interdum in Scriptoribus*

ipſis

ipſis Archontum nomina depravata, vel perperam expreſſa ſint; ne varietas illa fraudi lectoribus eſſe poſſet, in II. *Indice haec ipſa Archontum nomina, prout in Scriptorum quorumdam textu vitiata occurrunt, expreſſi. Tertius Index Archontes illos complectitur, quos* Pseudeponymos *eſſe iam videram; ideoque in Volumine* I. *Diſſert.* VIII. *ex Eponymorum Faſtis expungendos demonſtraveram. Quandoquidem vero in eiuſmodi Faſtis rite contexendis, ac praeſertim in* XIV. *Diſſertationibus concinnandis, quae in duo Volumina diſtributae Primam Operis Partem conficiunt, ſaepiſſime tum veterum, tum recentiorum Scriptorum loca, & ſententiae excutiendae, refellendae, illuſtrandae fuerunt, Indice* IV. *Scriptores illos alphabetica ſerie indicavi, qui frequentius in Faſtis ipſis emendantur, aut illuſtrantur; ceteros tamen omnes diſſimulans, qui obſcuriores, ac veluti minorum gentium Scriptores cenſeri poſſunt. Quintus demum, ac poſtremus Index nonnulla, ac praecipua ſolum rerum capita complectitur, quae in univerſo Faſtorum Opere continentur. Ac poſtremus quidem hic rerum notabilium Index longe plenior, ac uberior contexi facile potuiſſet, niſi res ipſae in ſingulis fere Diſſertationibus, quae duobus primis Voluminibus continentur, ad ſua veluti capita revocatae iam forent, ideoque facile ipſarum ſedes, aut locus in ipſa Diſſertationum ſerie, vel titulo deprehendi poſſet. Ita quidquid exempli cauſſa ad Populos Atticae ſpectare poterat, in* V.; *quidquid ad Nummos, in* XII.; *quidquid ad Feſta, in* XIII. *Diſſertatione facile inquiri, ac inveniri poteſt; quemadmodum Olympionicarum, aliorumque in ſacris Graeciae Ludis Victorum nomina in* II. *Operis Parte, ſive Attica Hiſtoria per Olympicos annos, aut Olympiadum ſeriem diſpoſita deprehendi poterunt; niſi fortaſſe cui libeat* Agonisticas Dissertationes *ſeorſim a me iampridem editas conſulere, & Victorum ipſorum nomina alphabetica ſerie ibi diſpoſita invenire. Illud unum ſupereſſet ut errores etiam, qui in univerſo Faſtorum Opere vel auctoris, vel exſcriptoris, vel typographi vitio exciderunt, accurate recenſerentur, aut certe plura, quae ſubinde corrigi, mutari, vel addi poſſent, opportune indicarentur. Sed moleſtum hoc ſtudii genus ipſa temporis, ac loci opportunitas pati vix poteſt: idque*

mihi

mihi facile ab aequis, boneſtiſque lectoribus concedi poſſe putavi, ut errores quidem ipſorum humanitati, ac diligentiae corrigendos relinquerem; quum praeſertim omnes fere ex ipſo orationis contextu deprehendi poſſint; cetera vero ſeorſim una cum variis obſervationibus ad argumentum ipſum ſpectantibus opportunius edenda reſervarem.

Romae Kalendis Quinctilibus Anno 1756.

OLYMPIAS CI.

An. $\frac{4}{1}$. Periodi Iulianae 4338. Vrbis Conditae 378.
Chariſander Athenis Archon CCCVIII.

L. Papyrius
L. Menenius Lanatus III. Trib. Milit. Conſ. Pot.
Ser. Cornelius
Ser. Sulpitius Praetextatus

Damon Thurius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (1), qui tum Archontis, tum Olympionicae nomen exhibuit: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χαριάνδρυ Ἠλεῖοι ἤγαγον Ὀλυμπιάδα πρώτην πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Δάμων Θύριος *Archonte Athenis Chariandro Elei Olympiadem primam ſupra centeſimam celebrarunt, qua vicit ſtadio Damon Thurius*. Archon ipſe, ſtadiique victor a Pauſania (2) memorantur, qui mox in anno 4. proferetur.

Archontis autem Chariandri nomen apud Diodorum unum habebatur. At in Athenienſi Marmore, quod in anno ſuperiori laudavi, Archon ille *Chariſander* vocatur, atque inter *Calleam*, & *Hippodamantem* optime collocatur. Itaque nullus dubito, quin eximii Marmoris huius praeſidio verum Archontis nomen Diodoro, Faſtiſque ceteris reſtitui debeat.

Huic 1. Olympiadis anno celebrem victoriam ad Naxum a Chabria partam adſcribit Dodvellus (3); quamvis illam Diodorus in anno ſuperiori collocaverit. Obſervat enim quod cum Ageſilaus morbo premeretur, a Lacedaemoniis contra Thebanos Cleombrotus miſſus fuit, eodemque anno, quo Cleombrotus exercitui praeerat, ait Xenophon (4) Chabriam cum Pollide Lacedaemoniorum navarcho dimicaſſe, magnamque victoriam retuliſſe, quod 16. Boëdromionis die contigiſſe docet Plutarchus (5). Itaque Chabriae mors, quamvis a Diodoro in hoc anno 1. huius Olympia-

(1) Lib. XV. c. 36. (2) Achaic. c. 25. & Arcad. c. 27. (3) Annal. Xenoph. pag. 271. (4) Lib. V. c. 4. (5) De Glor. Ath.

dis collocetur, alibi tamen a Diodoro ipſo ad annum 3. Olymp. CV. revocatur, quod Nepotis[1], ac Xenophontis etiam hiſtoriae conſentit, qui Chabriam ipſum Sociali, & Chio bello interiiſſe teſtantur.

Huic Olympiadi Eubulus Athenienſis Euphranoris filius ex Cettis Atticae Populo a Suida tribuitur: Εὔβουλος Κήττιος Ἀθηναῖος, υἱὸς Εὐφράνορος Κωμικός. ἐδίδαξε δράματα κδ'. ἦν δὲ κατὰ ἑκατοστὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα. *Eubulus Cettius Athenienſis, Euphranoris filius, Comicus. Docuit Dramata 24. Floruit autem circa Olympiadem centeſimam primam.*

Anaxandrides autem Anaxandri filius Rhodius ex Camiro fuiſſe dicitur a Suida ἐν τοῖς ἀγῶσι Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος Ὀλυμπιάδι ἑκατοστῇ πρώτῃ *in Certaminibus Philippi Macedonis Olympiade CI.* Qui certe Ludi non alii videntur, quam *Olympia* ipſa, quae apud Dium Macedoniae urbem agebantur, ut opportunius alibi[2] obſervavi.

An. 1/2. Hippodamas Athenis Archon CCCIX.

C. Licinius C. F. P. N. Calvus Trib. Pleb.
L. Sextius Sex. F. Sextinus Lateranus Trib. Pleb.
Anarchiae annus I.

Unicus foret Diodorus[3], qui Archontem hunc nominaverit, niſi illud in Athenienſi Marmore nuper affulſiſſet, in quo tamen non *Hippodamus*, ut a Diodoro, ſed ſuo, veroque nomine *Hippodamas* apppellatur.

Timotheus Chabriae, qui cum exercitu Abderitis opem laturus diſceſſerat, ſuffectus Corcyram ineunte vere occupavit, ac Lacedaemonios ad Leucadem ſuperavit[4]; quamvis victoriam illam Diodorus in ſuperiorem annum revocaverit.

An. 2/3. Socratides Athenis Archon CCCX.
Anarchiae annus II.

Socratidis nomen in Diodoro[5], atque Athenienſi Mar-

(1) In Chabria. (2) Diſs. Agon. pag. 21. (3) Lib. XV. c. 38. (4) Xenoph. Lib. 5. c. 4. (5) Lib. XV. c. 41.

Marmore occurrit; ut proinde de ipſius nomine, ac ſitu, quem in Faſtis Atticis occupaverit, dubitare non liceat.

Quinetiam Socratides ipſe ſemel iterumque a Demoſthene in Oratione *adverſus Timotheum* memoratur; eiuſque mentionem in Suida quoque reperiri putavit Scaliger (1), ac Meurſius, ubi Suidas (2) ipſe teſtatur Philochorum Cycni filium Athenienſem peculiari Opere Archontum ſeriem a *Socratide* ad *Apollodorum* uſque texuiſſe. De alio tamen Socratide facilius id intelligendum eſſe opportunius alibi (3) conieci.

Cum Artaxerxes Memnon Perſarum rex Legatos in Graeciam miſiſſet, qui Graecorum animos firmo pacis foedere conciliarent, iis ſequeſtribus ita pax ſancita fuit, ut Athenienſes maris, Spartani terrae imperium obtinerent (4). Eiuſmodi vero pacis conſilia partim 2. exeunti Olympiadis anno partim 3. ineunti adſcribi debent, quum Diodorus Legatorum adventum anno 2. res a Timotheo geſtas ante firmatam pacem anno 3. adſcripſerit.

Certe Demoſthenes (5) ſemel iterumque teſtatur ἐπὶ Σωκρατίδου Ἄρχοντος Μουνυχιῶνος *Socratidis Archontis anno Munychione* menſe Timotheum *ſecundam* navigationem ſuſcepiſſe.

Huius Archontis anno, ſed exeunte, Chabrias Aexonenſis Pythia *tethrippo* vicit, ut nitide diſerteque tradit Demoſthenes (6): *Καὶ ὡς ἄλλους τε πολλοὺς ἐπὶ κῶμον ἔχων ἦλθεν αὐτὴν, καὶ ὡς Χαβρίαν τὸν Αἰξωνέα, ὅτε ἐνίκα ἐπὶ Σωκρατίδου Ἄρχοντος τὰ Πύθια τῷ τεθρίππῳ ad alios complures illam* Neaeram *comeſſatum ducebat, ac inter illos ad Chabriam Aexonenſem, quando Pythia tethrippo vicit Socratide Archonte*. Ex quo pulcherrimo diſertoque Demoſthenis teſtimonio in *Agoniſticis Diſſertationibus* inferendum eſſe demonſtravi quod Pythia non *ſecundis*, ſed *tertiis* ſolum, Olympiadum annis agebantur. Pythias autem illa, quae in Olympiadem hanc incidit, LIII. numerari debet.

Orphondas Thebanus Pauſania (7) teſte *curru pullorum equorum* in Pythicis Ludis ipſis victoriam obtinuit.

Tertio huius Olympiadis anno Evagoras Cypri rex

(1) Collect. Hiſtor. pag. 328. (2) In Φιλόχορος. (3) Tom. II. pag. (4) Xenoph. Libr. VI. c. 2. (5) Adv. Timoth. (6) Adv. Neaeram. (7) Phocic. c. 7.

non a Nicocle filio, ut Diodorus [1] exiſtimat, ſed a Thraſydaeo Eunucho, interemptus fuit. Funebrem ipſius Orationem habuit Iſocrates.

An. $\frac{3}{4}$. Aſteius Athenis Archon CCCXI.
Anarchiae annus III.

Archontis huius Diodorus [2], Demoſthenes, Pauſanias, Ariſtoteles etiam ita meminere, ut ipſius quoque ſitum in Faſtis Atticis deſignaverint. Vt enim Diodorum praeteream, Pauſanias [3] ait: Ἐγένετο τῆς Ἑλίκης ἀπώλεια Ἀςείȣ μὲν Ἀθήνησιν ἔτι Ἄρχοντος, τετάρτῳ δὲ ἔτει τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν, ἣν Δάμων Θȣ́ριος ἐνίκα τὸ πρῶτον *contigit Helices* urbis *excidium Aſteio quidem adhuc Athenis Archonte, quarto autem anno Olympiadis centeſimae primae, qua Damon Thurius primo victoriam obtinuit*. Hunc ipſum Aſteii Archontis ſitum, ſimulque Plataeae cladem is alibi quoque demonſtravit: Ἐγένετο δὲ ἡ ἅλωσις Πλαταιᾶς ἡ δευτέρα, μάχης μὲν τρίτῳ τῆς ἐν Λεύκτροις ἔτει πρότερον, Ἀςείȣ δ᾽ Ἀθήνησιν Ἄρχοντος *contigit autem ſecunda Plataeae clades tertio quidem anno ante pugnam Leuctricam, Archonte vero Athenis Aſteio*. Itaque, cum Leuctrica pugna in annum 2 Olympiadis CII. certiſſime inciderit, Aſteius Archon huic Olympiadis huius anno adſcribi debet. Ita Demoſthenes [4] cum *Aſteii* Archontis nomen memoraſſet, mox ipſum proximo ante Alciſthenem anno imperaſſe dicit: Διατρίψασα δ᾽ ἐν τοῖς Μεγαροις δύο ἔτη τόν τε ἐπ᾽ Ἀςείȣ Ἄρχοντος, καὶ Ἀλκισθένȣς ἐνιαυτὸν *commorata igitur Megaris eſt biennium & Aſteii, & Alciſthenis Archontis annum*. Iterumque in locis aliis [5], quae opportunius alibi protuli, Aſteium ipſum ſaepius memoravit.

Ineunte vere, tertioque Olympiadis anno exeunte rurſus utrimque, a Lacedaemoniis nimirum, atque Athenienſibus, bellici apparatus fiunt, ac Mnaſippus a Lacedaemoniis adverſus Corcyraeos mittitur, qui cum Corcyram ipſam terra marique diu obſediſſet, antequam 3 annus Olympicus ex-

(1) Libr. XV. c. 7. (2) Lib. XV. c. 48. (3) Achaic. c. 25. (4) Adver. Neaeram pag. 322. (5) Adv. Timoth.

exiret, interemptus eſt. Hinc Iphicrates Athenienſium dux variis in locis feliciter dimicavit [1].

Quod vero ad Ariſtotelem [2] attinet, is perſpicue docet quod Ὁ μέγας ἀςὴρ ἐφάνη μὲν χειμῶνος ἐν πάγοις, ϗ αἰθρίαις ἀφ' ἑσπέρας, ἐπὶ Ἀρις αίȣ Ἄρχοντος *magna ſtella apparuit quidem hyeme in gelu, & ſerenitate a veſpera, Ariſtaeo Archonte*. Meurſius [3] quidem ſubdubitat *an is ipſe Aſteius ſit, an priorum temporum aliquis, quem nos ignorare cogimur ob defectum hic Hiſtoriae*. Sed obſervare facile is potuit quod Ariſtoteles ſtellam illam ſibi conſpectam eſſe iam dixerat; adeoque Ariſtaeus ille, quo Archonte ipſa fulſerat, ad antiquiora tempora referri non poterat. Quid vero quod Diodorus [4] ipſe proximo, hoc eſt *Alciſthenis* Archontis, anno facem, aut trabem illam, veluti futurae Lacedaemoniorum cladis nunciam, fulſiſſe dixit? Λακεδαιμονίων ἔτη σχεδὸν πεντηκόσια τῆς Ἑλλάδος ἐχόντων τὴν ἡγεμονίαν, τὸ θεῖον προεσήμαινεν αὐτοῖς τῆς ἀρχῆς τὴν ἀναβολήν. ὤφθη μὲν γὰρ κατὰ τὸν ȣ̓ρανὸν ἐπὶ πολλὰς νύκτας λαμπὰς μεγάλη καιομένη ἀπὸ τȣ͂ σχήματος ὀνομασθεῖσα πυρίνη δοκὶς *cum Lacedaemonii quingentis fere annis Graeciae principatu potiti fuiſſent, ipſis divinum Numen eius principatus iacturam praeſignificavit. Etenim fax ingens in caelo multis noctibus ardens apparuit, quae propter figuram ignea trabs appellata fuit*. Itaque exinde quoque Meurſius facile inferre poterat *Ariſtaeum*, ſive Aſteium illum, qui ab Ariſtotele memoratur, ad haec ipſa tempora revocandum eſſe; quamvis Diodorus ea ſolum de cauſa trabis deſcribendae tempus diſtulerit ut Leuctricam cladem, ſimulque ipſius praenunciam trabem uno eodemque anno memoraret. Sed controverſiam omnem hanc dirimit, ſimulque Aſteii Archontis ſitum egregie confirmat Oxonienſe Marmor, in quo legitur [5]: Ἀφ' ȣ̄ Ἀςυδάμας Ἀθήνησιν ἐνίκησεν, ἔτη ΗΠΙΙΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀςείȣ. Κατεκάη δὲ τότε ϗ ἐν ȣ̓ρανῷ μέγας κομήτης *A quo Aſtydamas Athenis vicit, anni CIX. Archonte Athenis Aſteio. Arſit vero tunc in Caelo magnus Cometa*. Quamvis autem hic ab Auctore *Cometa*, a Diodoro *ignea trabs*, ab Ariſtotele *ſtella magna* vocetur, perſpicuum eſt tamen Scri-

pto-

(1) Xenoph. Lib. VI. c. 2. (2) Meteor. Libr. I. c. 6. (3) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 2. (4) Lib. XV. c. 50. (5) Epoch. 72. lin. 83.

ptores omnes de uno eodemque phaenomeno Leuctricae cladis praenuncio loquutos eſſe.

OLYMPIAS CII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4342. Vrb Cond. 382.
Alciſthenes Athenis Archon CCCXII.
Anarchiae annus IV.

Damon Thurius iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [1]. Ita Pauſanias victorem illum tribus in locis [2] perſpicue memoravit.

Dinolochus Eleus Alcinoi filius *puerorum ſtadio* palmam obtinuit ex Pauſania [3].

Pyrrhus Eleus *equorum curſu* in Olympiis iisdem victor fuit, ut Pauſanias [4] ipſe teſtatur.

Troilus Alcinoi filius *adultorum equorum biga*, ſimulque *pullorum curru* victoriam obtinuit ex Pauſania [5].

Alciſthenis autem Archontis nomen, ſimulque ſitus, quem ille proximo poſt Aſteium anno obtinuit, ſuperiori Demoſthenis teſtimonio confirmatur; quemadmodum alibi [6] ſaepius *Alciſthenis* Archontis ille mentionem inicit.

Huius autem Archontis anno pacem inter Athenienſes, Lacedaemonios, & Artaxerxem Perſarum regem ſancitam eſſe teſtatur Dionyſius [7]: Μετὰ γὰρ Ἀλκιθένην Ἄρχοντα, ἐφ' οὗ τὴν εἰρήνην Ἀθηναῖοιτε καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ Βασιλεὺς ὤμοσαν, ἀποδοὺς τὰ στρατεύματα Ἰφικράτης ἰδιώτης γίνεται *nam poſt Alciſthenem Archontem, ſub quo pacem Athenienſes, Lacedaemonii, & Rex ſanxerunt, copias reddens Iphicrates inter privatos eſſe coepit*. Pax tamen illa a Demoſthene ſequentis Archontis anno facta dicitur, fortaſſe quod exeunte ſolum Alciſthenis anno firmata illa fuerit.

Huius Archontis anno cum Plataeenſes Athenienſium partibus faverent, iiſque urbem tradere decreviſſent, a Thebanis praeventi ipſorum plurimi e patria tunc a Thebanis di-

(1) Libr. XV. c. 50. (2) Meſſen. c. . . . Achaic. c. 25. Arcadio. c. 27. (3) Eliac. II. c. 2. (4) Eliac. II. c. 1. (5) Eliac. II. c. 1. (6) Adv. Timoth. (7) In Lyſia.

dirutа cum liberis, atque uxoribus Athenas ſe receperunt, ibique a Populo veterum beneficiorum memore civitatis iure donati ſunt [1]. Hoc quidem Plataicae urbis excidium Diodorus in ſuperioris Atchontis anno collocavit; ſed Pauſanias hac in parte accuratior id Aſteio Archonte contigiſſe dicit.

An. $\frac{1}{2}$. Phraſiclides Athenis Archon CCCXIII.
Anarchiae annus V.

Phraſiclides Archon a Diodoro [2], & Pauſania [3] quoque memoratur ubi Megalopolim Arcadiae urbem ipſius Archontis anno conditam eſſe teſtatur: Συνῳκίϑη ἡ Μεγάλη πόλις ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ κ̀ μησίτε ὀλίγοις ἢ τὸ πταῖσμα ἐγ'νετο Λακεδαιμονίων τὸ ἐν Λεύκτροις, Φρασικλείδȣ μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος καὶ δευτέρας *deducta autem Megalopolis eſt eodem anno, paucis poſt menſibus, quam Lacedaemonii Leuctricam cladem acceperunt, Archonte Athenis Phraſiclide, Olympiadis centeſimae ſecundae anno altero.* Quod nimirum urbis aedificatio poſt annum ac menſes aliquot a Leuctrica pugna contigerit, quae Phraſiclidis Archontis anno pugnata fuerat. Ac certe quidem hoc anno 5. Hecatombaeonis Attici die Leuctrica pugna commiſſa fuit. Id perſpicue diſerteque Diodorus, & Pauſanias [4] teſtantur; idemque prorſus ex Marmoreo Chronico confirmatur [5]: Ἀφ' ȣ̃ ἐν Λευκτροῖς μάχη ἐγένετο Θηβαίων, κ̀ Λακεδαιμονίων, ἣν ἐνίκων Θηβαῖοι, ἔτη ΗΠΙΙ., Ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρασικλείδȣ, κ̀ ἐτελεύτησε Κλεόμβροτος Λακεδαιμονίων βασιλεὺς *A quo in Leuctris pugna commiſſa fuit inter Thebanos, & Lacedaemonios, in qua vicere Thebani, anni CVII. Archonte Athenis Phraſiclide, & occubuit Cleombrotus Lacedaemoniorum rex.*

Ita nimirum Prideauxius, & Lydiatus hiulcum Marmoris locum ſupplendum eſſe coniecit, cum certe Cleombrotus Laconum rex in pugna illa interierit. Cum tamen in Marmore non ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ſed ΒΑΣΙΛΕΥΕΙ, legatur, Palmerius ita ſupplendum exiſtimat Ἀφ' ȣ̃ Ἀλέξανδρος Μακεδόνων βα-

(1) Diod. Lib XV. c. 46. & Iſocrat. in Plataic. (2) Lib. XV. c. 51. (3) Arcad. c. 27. (4) Eliac. II. c. . . (5) Epoch. 73. lin. 84.

βασιλέυει A quo Alexander Macedonibus imperavit . Siquidem hoc anno 3. Olymp. CII. Amyntae defuncto ſucceſſit Alexander, ut Diodorus teſtatur. Dodvellus autem ita locum ipſum ſupplendum eſſe arbitratur: *Καὶ Α᾽λεξάνδρυ δολοφονηθέντος Πτολεμαῖος τῶν Μακεδόνων βασιλέυει & Alexandro fraude interempto Ptolemaeus Macedonibus imperat* : quod nimirum Alexandro e vivis ſublato Ptolemaeus Alorites regnum occupaverit. Facile tamen in hac periodo duplex Epocha, ac hiſtoria reperitur. Itaque potius periochem illam ita refingendam arbitror *καθ᾽ ὂν Α᾽λεξανδρος Μακεδόνων βασιλέυει quo tempore Alexander Macedonibus imperat*.

Mire quoque conſentit Eratoſthenes apud Clementem [1], qui ab initio Peloponneſiaci belli ad Leuctricam pugnam annos 61. & ab Athenienſium clade prope Aegoſpotamos ad victoriam ipſorum Leuctricam 34 annos enumerat, quorum utrumque verum eſt, ſi de inchoatis ſolum annis, non abſolutis, intelligatur. Etenim Peloponneſiacum Bellum exeunte anno 1. Oly. LXXXVII. exarſit, atque Athenienſes ad Aegoſpotamos ſuperati ſunt anno 4. Oly. XCIII.

Perſpicue & Leuctricam pugnam, & Phraſiclidem, & pacem tunc initam Demoſthenes [2] memoravit: *Γίγνεται ἡ ἐιρηνη ἡ ἐπὶ Φρασικλεΐδȣ Α᾽ρχοντος, ϗ ἡ μάχη ἡ ἐν Λεύκτροις Θηβαίων, ϗ Λακεδαιμονίων pax Phraſiclide Archonte ſancitur, ac praelium inter Thebanos ac Lacedaemonios committitur.*

Scotuſſaeos etiam ab Alexandro Pheraeorum tyranno hoc anno ſuperatos eſſe teſtatur Pauſanias [3]: *Α᾽υτὴ Σκοτȣσσαίοις ἡ συμφορὰ Φρασικλεΐδȣ μὲν ἐγένετο Α᾽θήνησιν Α᾽ρχοντος, δευτέρᾳ δὲ Ο᾽λυμπιάδι ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν ἔτει δευτέρῳ oppreſſit exitium hoc Scotuſſaeos Phraſiclide Athenis Archonte, alterius & centeſimae Olympiadis anno ſecundo.*

An. $\frac{2}{3}$. Dyſcinetus Athenis Archon CCCXIV.

L. Furius Sp. F. L. N. Medulinus II.	
A. Manlius A. F. A. N. Capitolinus	Trib.
C. Valerius Potitus	Milit.
P. Valerius L. F. L. N. Potitus Poplicola V.	Conſ.
Ser. Sulpitius Praetextatus III.	Pot.
Ser. Cornelius Maluginenſis VI.	

Dy-

(1) Strom. Libr. I. (2) Adv. Neaer. pag. 522. (3) Eliac. II. c. 5.

Dyſcinetus Archon a Diodoro [1], ſimulque Pauſania [2] memoratur: Καθῆλθον δὲ εἰς Πελοπόννησον οἱ Μεσσήνιοι ϗ ἀνεσώσαντο τὴν αὐτῶν ἑπτὰ ϗ ὀγδοήκοντα ϗ διακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον μετὰ Εἴρας ἅλωσιν, Δυσκινήτου μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, τρίτῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας ϗ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος *rediere in Peloponneſum Meſſenii, reſque ſuas poſtliminio recepere ducentis & octoginta ſeptem annis poſt Irae expugnationem, Dyſcineto Athenis Archonte, Olympiadis centeſimae ſecundae anno tertio.*

Quo certe loci Meurſius ἐνενήκοντα reſcribendum eſſe obſervavit, ut Pauſanias ipſe ſibi conſpiret, qui Irae excidium Authoſtenis Archontis anno, hoc eſt 1 Olymp. XXVIII. contigiſſe iam dixerat; quemadmodum Pauſanias ipſe mox ſubdit Meſſenios Peloponneſo *tercentis* fere annis extorres fuiſſe. Demoſthenes [3] etiam Archontis huius meminit: Ὁ δὲ πατὴρ ἐτελεύτησεν ἐπὶ Δυσνικήτου Ἄρχοντος *pater autem obiit Dyſniceto Archonte*: ubi Meurſius ipſe Δυσκινήτου legendum eſſe coniecerat, ut in Pauſania reperitur. Hoc ipſum Archontis nomen in Marmoreo Chronico reſtitui debet [4] Ἀφ' οὗ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος ὁ δεύτερος ἐνίκησεν Ἀθήνησιν, ϗ ᾠκίσθη Μεγάλη πόλις ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἔτη ΗΠΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δυσκινήτου *A quo Steſichorus ſecundus Himeraeus vicit Athenis, & condita Megalopolis in Arcadia anni CVI Archonte Athenis Dyſcineto.*

Itaque, licet in Marmore Archontis nomen exciderit, ac Megalopolis urbis aedificatio Phraſiclidis Archontis anno a Pauſania tribui videatur, commodius tamen huic anno, diſtinctoque Archonti adſcribi illa poterit; quemadmodum Nauſigenis Archontis anno, hoc eſt ineunte 1. Oly. CIII. anno, Diodoro [5] teſte, perfecta fuit.

An. 3/4. Lyſiſtratus Athenis Archon CCCXV.

Q. Servilius Q. F. Q. N. Priſcus Fidenas II.
C. Veturius Craſſus Cicurinus II.
A. Cornelius Coſſus Trib. Mil.
M. Cornelius Maluginenſis Conſ. Pot.
Q. Quinctius Cincinnatus
M. Fabius K. F. M. N. Ambuſtus II.

(1) Meſſen. c. 27. (2) Lib. XV. c. 57. (3) Orat. adv. Steph. II. (4) Epoch. 74. lin. 85. (5) Lib. XV. c. 72.

Archon ille non a Diodoro [1] ſolum, ſed a Plutarcho [2] quoque memoratur ubi de Aphareo Hippiae filio, ac adoptivo Iſocratis filio Tragico loquens ait: Ἀρξάμενος δὲ ἀπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους ἐν ἔτεσιν εἰκοσιοκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἕξ *incipiens vero a Lyſiſtrato* Archonte *uſque ad Soſigenem viginti ſex Fabulas annis octo ac viginti docuit*. Itaque corrigendus Fabricius [3], qui cum haec ipſa de Aphareo iam memoraſſet, Tragoedias illas ab Iſocrate ſcriptas atque editas eſſe mox dicit.

Cum Lacedaemonii a Thebanis Pelopida, ac Epaminonda Ducibus acri praelio premerentur, Athenienſium opem implorant, qui Iphicratem ſuppetias ipſis laturum miſerunt; quemadmodum Chabrias variis in locis contra Boeotos feliciter dimicavit.

Huic 3. Olympiadis anno exeunti Iaſonis Phaerei caedem adſcribit Diodorus [4].

Dodvellus [5] autem caedem illam ad ſuperiorem annum 2. fere exeuntem revocandam eſſe putavit: quod nimirum Pythia non in *tertios*, ſed in *ſecundos*, Olympiadum annos inciderent. Sed ex vero Pythiorum tempore a me conſtituto perſpicue apparet Iaſonis mortem huic anno tribuendam eſſe.

OLYMPIAS CIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4346. Vrb Cond. 386.
Nauſigenes Athenis Archon CCCXVI.

T. Quinctius Capitolinus
Ser. Cornelius M. F Maluginenſis VII
Ser. Sulpicius M. F. Praetextatus IV. Trib Milit.
Sp. Servilius C. F C. N Structus Conſ. Pot.
L. Papirius Sp. F. C. N. Craſſus
L. Veturius L. F. Sp. N. Craſſus Cicurinus

Pythoſtratus Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Diodoro

(1) Libr. XV. c. 61. (2) Vita X. Rhet. in Iſocr. (3) Tomo I. pag. 682. (4) Diod. XV. c. 64. & Xenoph. Lib. VI. (5) Annal. Xenoph. pag. 278.

to [1]: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Ναυσιγένυς Ὀλυμπιὰς ἤχθη τρίτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Πυθόςρατος Ἀθηναῖος *Archonte Athenis Nauſigene Olympias tertia ſupra centeſimam celebrata fuit, qua vicit ſtadio Pythoſtratus Athenienſis*.

Sed victor ille ab Africano *Epheſius* appellatur, quod utrique nimirum civitati fortaſſe adſcriptus foret.

Damiſcus Meſſenius *puerorum ſtadio* in Ludis ipſis victoriam obtinuit ex Pauſania [2].

Archon ipſe in Oxonienſi quoque Marmore memoratur [3]: Ἀφ' ὗ Διονύσιος ὁ Σικελιώτης ἐτελεύτησεν, ὁ δὲ ὑιὸς Διονύσιος ἐτυραννεύσεν, καὶ Ἀλέξανδρος ἐν Φεραῖς βασιλεύει, ἔτη HIIII. Ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Ναυσιγένυς *A quo Dionyſius Siculus obiit, filius autem eius Dionyſius tyrannidem occupavit, & Alexander Pheris regnat, anni CIV. Archonte Athenis Nauſigene*.

Poſtrema tamen periodi verba ita Palmerius [4] expreſſit: καὶ Ἀλεξάνδρυ τελευτήσαντος Πτολεμαῖος βασιλεύει *& Alexandro moriente Ptolemaeus regnat*. Etenim Diodoro [5] teſte Ptolemaeus Alorites Amyntae hoc anno regnum ſuſcepit.

Hac Olympiade Eudoxus Gnidius a Laertio [6] floruiſſe dicitur: Ὁ δ' αὐτὸς Ἀπολλόδωρος φησὶ τὸν Κνίδιον Εὔδοξον ἀκμάσαι κατὰ τὴν τρίτην καὶ ἑκατοςὴν Ὀλυμπιάδα *idem vero Apollodorus ait Eudoxum Gnidium circa centeſimam tertiam Olympiadem floruiſſe*.

An. $\frac{I}{a}$. Polyzelus Athenis Archon CCCXVII.

A. Cornelius Coſſus II.
M. Cornelius Maluginenſis II.
M. Geganius Macerinus Trib. Milit.
L. Veturius L. F. Sp. N. Craſſus Cicur. II Conſ. Pot.
P. Valerius L. F. L. N. Potitus Poplicola VI.
P. Manlius A. F. A. N. Capitolinus II.

Archontem hunc memorat Diodorus [7], ac Dionyſius [8], qui hoc anno Ariſtotelem poſt Nicomachi patris mortem A-

(1) Libr. XV. c. 71. (2) Eliac. II. c. 2. (3) Epoch. 75. lin. 86 (4) Exercit. pag. ... (5) Libr. XV. c. 72. (6) Libr. VIII. ſegm. 90. (7) Libr. XV. c. 75. (8) Epiſt. ad Amm.

thenas conceſſiſſe dicit [1] : Ἐπὶ δὲ Πολυζήλου Ἄρχοντος τελευτήσαντος τοῦ πατρὸς ὀκτωκαιδέκατον ἔτος ἔχων εἰς Ἀθήνας ἦλθε, καὶ συςαθεὶς Πλάτωνι, χρόνου εἰκοσαετῆ διέτριψε σὺν αὐτῷ *ſub Polyzelo Archonte, patre iam defuncto, duodeviceſimum annum agens Athenas conceſſit, Platonique adhaerens viginti annorum tempore cum illo verſatus eſt*. Archon ipſe a Demoſthene [2] nominatur ubi is de ſororis ſuae nuptiis diſſerens ait: Δύο μὲν γὰρ ἦν ἔτη, καὶ μεταξὺ τοῦ συνοικῆσαί τε τὴν γυναῖκα, καὶ φῆσαι τούτους πεποιῆσθαι τὴν ἀπόλειψιν. ἐγήματο μὲν γὰρ ἐπὶ Πολυζήλου Ἄρχοντος Σκιροφοριῶνος μηνὸς, ἡ δ' ἀπόλειψις ἐγράφη Ποσειδεῶνος μηνὸς ἐπὶ Τιμοκράτους *biennium enim interceſſit interim dum & mulier mater familias fuit, & iſti eam diſceſſiſſe dixerunt. Nam, cum Polyzelo Archonte Sciropborione menſe nupſiſſet, divortium ſcriptum eſt Poſideone menſe ſub Timocrate*. Meurſius [3] ibi reſcribendum aſſerit τρία μὲν γὰρ ἔτη *tres enim anni*: quod inter Polyzelum, & Timocratem duo Archontes alii interceſſerint, atque a Scirophorione menſe ſub Polyzelo ad Poſideonem ſub Timocrate *anni tres & menſes ſex interceſſerint*. Sed certe ille fallitur, cum *duo* ſolum anni menſesque *ſex* intercedant, adeoque nihil in Demoſthenis textu mutandum erit.

Exeunte I. huius Olympiadis anno antequam Polyzelus magiſtratum ſuſciperet, Dionyſius ſenior Syracuſarum tyrannus e vivis exceſſit; quum 38. in imperio, ſive tyrannide annos exegiſſet, ut Cicero [4] quoque perſpicue teſtatur. Ipſi Dionyſius filius annis 12. ſucceſſit [5]. Dionyſii vero ſenioris mortem, adoque iunioris initium Elaphebolione menſe contigiſſe exinde collegit Dodvellus [6] quod Dionyſius ipſe in Lenaeis Athenienſium Feſtis, quae 12. Anthesterionis die agebantur, tragoedia vicerit, eiuſque victoriae nuncium Syracuſis ante mortem acceperit. Hinc optime Euſebius ipſe Dionyſii mortem anno I. huius Olympiadis adſcripſit.

Ceterum hoc anno ita inter Athenienſes ac Lacedaemonios ſocietas inſtituta fuit, ut Athenienſes ipſi Thebanos in Theſſalia, Spartani vero bellum in Laconica urgerent [7].

An.

(1) Epiſt. ad Ammae. num. 5. (2) Adv. Onetor. I. (3) De Arch. Ath. Libr. IV. c. 4. (4) Diodor. Libr. XV. c. 73. (5) De Nat. Deor. Libr. II. c. 33. (6) Annal. Xenoph. pag. 282. (7) Xenoph. Lib. VII. c. 1.

An. $\frac{2}{3}$. Cephiſodorus Athenis Archon CCCXVIII.

L. Aimilius L. F. Mamercinus
L. Sextius Sex. F. Sextinus Lateranus. Coſſ.
Primus e Plebe

Diodorus [1] Archontem hunc exhibet, ſimulque Demoſthenes [2], qui ipſum Polyzelo ſucceſſiſſe aſſerit: Μετὰ τοίνυν τοῦτον τὸν Ἄρχοντα (Πολύζηλον) Κηφισόδωρος, καὶ Χίων *itaque poſt Archontem hunc (Polyzelum) Cephiſodorus, & Chion* imperarunt. Meminit etiam Iſaeus apud Dionyſium [3]: Τριηραρχοῦντος μοῦ ἐπὶ Κηφισοδώρου Ἄρχοντος *cum ego Cephiſodoro Archonte Trierarchi munus obirem*.

Quo tamen loco obſervandum eſt Archontem ipſum iterum a Dionyſio mox memorari; ſed *Cephiſodotum* tamen vocari; quemadmodum in Archontum ſerie *Cephiſodotus* Archon ante *Cephiſodorum* recenſetur. Itaque ſuſpicor verum Archontis huius nomen *Cephiſodotum* eſſe oportere; cum praeſertim *Cephiſodori* nomen in Oxonienſi Marmore Archonti anni 3. Oly. CV. tribuatur.

Mirari vero quis poterit quod Meurſius [4], ac Dodvellus [5] etiam *Cephiſodorum* hunc a Pauſania [6] memoratum eſſe putaverit ubi de Sciro loquens is ait: Πλησίον δὲ Σκίρου πεποίηται Κηφισοδώρου μνῆμα δήμου προστάντος, καὶ Φιλίππῳ τῷ Δημητρίου Μακεδόσι βασιλεύοντι ἐς τὰ μάλιστα ἐναντιωθέντος *prope Scirum Cephiſodori illius monumentum excitatum eſt, qui Populo praefuit, ac Philippo Demetrii filio, ac Macedonum regi maxime adverſatus eſt*. Etenim Philippus ille Demetrii anno Oly. regnum ſuſcepit, adeoque Cephiſodorus ille, qui illi obſtiterat, Oly. CIII Archon eſſe non poterat. Id vero commodius quod Cephiſodorum huius anni Archontem ab Athenaeo memoratum eſſe putavit Meurſius, ubi Scriptor ille de *Praeguſtatoribus* loquens: ait Εὑρίσκω δὲ καὶ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου Ἄρχοντος Ἀθήνησι γενόμενον, ἐν ᾧ ὥσπερ τι σύστημα οἱ Προθένται εἰσὶ, καθάπερ καὶ οἱ Παράσιτοι ὀνομαζόμενοι, ἔχων οὕτως: Φῶκος εἶπεν *invenio quoque Decretum ſub Cephiſodoro Archonte Athenis editum, in quo Praeguſtatores cuiusdam Caetus inſtar*

(1) Lib. XV. c. 76. (2) Adv. Onet. I. (3) In Iſaeo num. 5. & 7. (4) De Arch. Athen. Lib. IV. c. 4. (5) In Catal. Archont. (6) Attic. c. . . .

ſtar habentur, ut ii, qui Paraſiti vocantur, atque ita concipitur: Phocus dixit.

Huius Archontis anno refert Diodorus *Themeſionem*, ſive potius, ut a Demoſthene [1], aliiſque [2] vocatur, *Themiſonem* Eretriae tyrannum Oropum urbem Athenienſium imperio ſubditam occupaſſe; ſed eam iterum ab Athenienſibus recuperatum eſſe.

Arcades cum Athenienſibus foedera pepigerunt, Corinthii quoque, Phliaſii, ac Argivi cum Thebanis; ut proinde *Laconicum*, & *Boeoticum* bellum, quod univerſam fere Graeciam implicuerat, diremptum fuerit: Ὅτε Λακωνικὸς, κ᾽ Βοιωτικὸς κληθεὶς πόλεμος κατελύθη, πλείω μείνας ἐτῶν πέντε, τὴν ἀρχὴν λαβὼν ἀπὸ τῶν Λευκτρικῶν *quando bellum, quod Laconicum, & Boeoticum appellatur, diremptum fuit, quod ultra quinquennium, a Leuctricis initium ducens, duraverat.* Leuctrica pugna ineunte anno 2. Olymp. CII. commiſſa fuit, adeoque pax anno 3. huius Olympiadis firmata fuit.

An. $\frac{3}{4}$. Chion Athenis Archon CCCXVIIII.

L. Genucius M. F. Cn. N. Aventinenſis	Coſſ.
Q. Servilius Q. F. Q. N. Ahala	

Chionis Diodorus [3], ac Demoſthenes antea laudatus meminit.

Pacis conſilia ſuperiori anno tacito fere Gentium conſenſu inita, hoc anno 4. violari caeperunt, quum Arcades contra Eleos de Laſione urbe certaverint, adeoque Athenienſes Arcadibus, Lacedaemonii Eleis ſociis faverent [4].

OLYMPIAS CIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4350. Vrb. Cond. 390.
Timocrates Athenis Archon CCCXX.

C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus	Coſſ.
C. Licinius C. F. P. N. Calvus	

Pho-

(1) Orat. de Coron. (2) Aeſchin. de falſa Legat. et adv. Cteſiph. (3) Lib. XV. c. 77. (4) Diod. ibi Xenoph. Libr. VII.

Phocides Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Diodoro [1]: Ἐπ' Ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Τιμοκράτους Ὀλυμπιὰς ὑπὸ Πισάτων, ϗ Ἀρκάδων ἤχθη τετάρτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Φωκίδης Ἀθηναῖος. *Archonte Athenis Timocrate Olympias quarta ſupra centeſimam a Piſatis, & Arcadibus celebrata fuit, qua Phocides Athenienſis ſtadio victoriam obtinuit.* Africanus tamen Phocidem hunc non *ſtadio*, ſed πάλῃ *lucta*, viciſſe dicit. Ac certe quidem Pauſanias [2] hac Olympiade *Eubotam* Cyrenaeum *curſu*, fortaſſe etiam *curru*, victoriam obtinuiſſe memorat: Εὐβώτας ὁ Κυρηναῖος, ἅτε τὴν ἐσομένην οἱ δρόμȣ νίκην ἐν Ὀλυμπίᾳ παρὰ τȣ̃ μαντείȣ τȣ̃ ἐν Λιβύῃ προτετυσμένος τήν τε εἰκόνα ἐπεποίητο πρότερον, ϗ ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς ἀνηγορεύθη τε νικήσας, ϗ ἀνέθηκε τὴν εἰκόνα. λέγεται δὲ ϗ ὡς κρατήσειε ϗ ἅρματι ἐπὶ Ὀλυμπιάδος ταύτης, ἣ λόγῳ τῷ Ἠλείων ἐςὶ κι βδηλος, τῶν ἀγωνοθετησάντων Ἀρκάδων ἕνεκα. *Eubotas Cyrenaeus, cum ei oraculum, quod eſt in Libya, victoriam in Olympia ex curſu praedixiſſet, ſtatuam ante ſibi faciendam curavit, eamque quo die victoriam eſt adeptus, dedicavit. Viciſſe eundem etiam curru ea ipſa Olympiade memorant, quam tamen Elei ratam non habent quod Arcades Ludis praefuerint.* At fieri fortaſſe potuit, ut Eubotas ille vel *diaulo*, vel *dolicho* palmam reportaverit; adeoque *ſtadii* victoria *Phocidi* adſcribi debeat.

Opportune vero obſervandum Olympiadem hanc ab Eleis *Anolympiadem* appellatam eſſe, quod illi non Elei, ſed Piſatae Arcadum ſocii praeſederint, ut hic Africanus adnotavit, atque de hac ipſa, & de Olympiade VIII. ex Pauſania [3] opportune iam obſervavi [4].

Soſtratus vero Sicyonius cognomento *Acrochersites* vocatus *pancratio* in Ludis ipſis victoriam obtinuit, ut a Pauſania [5] erudimur, qui Soſtratum ipſum *duabus* aliis, ſed adhuc ignotis, Olympiadibus palmam retuliſſe dicit.

Ceterum Archon ipſe Timocrates ſemel iterumque a Demoſthene [6] memoratur, qui huius Archontis anno ſumpta virili toga Tutores ſuos Onetorem, atque Aphobum ac-

(1) Libr. XV. c. 78. (2) Eliac. II. c. 8. (3) Ibi c. 4. vide & Xenoph. Libr. VII. c. 4. (4) Ad Olymp. VIII. Tom. III. (5) Eliac. II. c. 4. (6) Adv. Onetor. I.

accuſavit. Dionyſius [1] Ἄρχοντος δὲ Τιμοκράτους εἰς ἔτος ἦν ἐμβεβηκὼς ἑπτὰ καὶ δέκατον *Archonte vero Timocrate iam decimum ſeptimum aetatis annum attigerat*; atque Plutarchus [2] Τελειωθεὶς δὲ ἐλάττω παρὰ τῶν ἐπιτρόπων παραλαβὼν, ἔκρινεν αὐτοὺς ἐπιτροπῆς ἐπὶ Τιμοκράτους Ἄρχοντος *virilem togam adeptus tutores ſuos, quod ab iis minus aequo accepiſſet, male adminiſtratae tutelae accuſavit, Timocrate Archonte.*

An. $\frac{1}{2}$. Chariclides Athenis Archon CCCXXI.

L. Aimilius L. F. Mamercinus II.
Cn. Genucius M. F. M. N. Aventinenſis Coſſ.

Non Diodoro [3] ſolum, ſed Demoſtheni [4] quoque Archon ille memoratur: Ἦν δὲ ἔτος ὁ τοῦ βελτίστου πατὴρ Χαρικλείδου τοῦ ἄρξαντος *erat autem hic optimi illius Chariclidis pater, qui Archontis munere perfunctus fuit.*

Huius Archontis anno, quum Epaminondas Thebanorum imperator Peloponneſum invadere meditaretur, iunctis conſiliis, viribuſque Arcades, Elei, Achaei, Lacedaemonii, atque Athenienſes exercitum parant, ut Epaminondae, Thebaniſque adverſarentur, quod exeunti anno 1, atque 2. ineunti adſcribi debet [5].

An. $\frac{2}{3}$. Molon Athenis Archon CCCXXII.

Q. Servilius Q. F. Q. N. Ahala II.
L. Genucius M. F. Cn. N. Aventinenſis II. Coſſ.

Archon ille a Diodoro [6], & Dionyſio [7] memoratur: ἐπὶ Μόλωνος Ἄρχοντος γεγενημένου τοῦ ἀδικήματος ποιεῖται τὸν λόγον *cum iniuria ſub Molone Archonte illata foret, Orationem habet.*

Secundo Olympiadis anno iam exeunte, hoc eſt 12. Scirophorionis Attici die [8], pugna ad Mantineam commiſſa

ſa

(1) Epiſt. ad Ammae. num. 4. (2) Vita X. Reth. in Demoſth. (3) Lib. XV. c. 81. (4) Adv. Midiam pag. . . . (5) Xenoph. Libr. VII. c. 4. (6) Libr. XV. c. 90. (7) In Dinarcho, num. 13. (8) Plutarch. de Glor. Ath.

ſa fuit, atque Epaminondas Peloponneſum ingreſſus erat, ut Xenophon [1] teſtatur, qui hiſtoriam ab anno 2. Olymp. XCII ad haec uſque tempora deduxit, adeoque 49. belli annos deſcripſit. Diodorus quidem 48. ſolum enumerat, quod annos illos in Faſtis recenſuerit; cum tamen ineunte vere anni 2. Olymp. CIV. 48. annus abſolutus eſſet, Mantinea victoria ad 49. annum ſpectavit.

Inde 24. Metagitnionis menſis die Trierarchis imperatum ut naves reducerent. Perſpicue id Demoſthenes [2] addito Archontis nomine memoravit: Ἑβδόμῃ γὰρ φθίνοντος Μεταγειτνιῶνος μηνὸς ἐπὶ Μόλωνος Ἄρχοντος, ἐκκλησίας γενομένης, καὶ εἰσαγγελθέντων ὑμῖν πολλῶν καὶ μεγάλων πραγμάτων ἐψηφίσασθε τὰς ναῦς καθέλκειν τοὺς Τριεράρχους *etenim viceſima quarta Metagitnionis menſis die, Molone Archonte, cum concio haberetur, & multa, magnaque negotia vobis nunciarentur, decreviſtis ut naves a Trierarchis reducerentur.*

Ceterum Gryllus Xenophontis filius in Mantineenſi clade interemptus fuit, ut Aelianus [3] teſtatur.

An. $\frac{3}{4}$. Nicophemus Athenis Archon CCCXXIII.

C. Licinius C. F P. N. Calvus II.
C. Sulpitius M. F. Q. N. Peticus II. Coſſ.

Nicophemus hic a Diodoro [4], atque Aeſchine [5] memoratur ubi de Timarcho loquens is ait: Οὗτος βουλευτὴς ἐγένετο ἐπὶ Ἄρχοντος Νικοφήμου *hic Nicophemo Archonte ſenator fuit*. Inſignem vero Dodvelli errorem, qui Aeſchinem ibi de *Nicodemo* Archonte loquutum ait, qui anno $\frac{2}{3}$. Oly LXXIV Faſtis inſcribitur, opportunius ibi demonſtravi. Ceterum Archon ipſe *ter* a Dionyſio *in Dinarcho* [6] nominatur, eiuſque ſitus in Archontum Faſtis indicatur, ubi dicit ἕκτος δὲ καὶ εἰκοστὸς ἐστιν ἀπὸ Νικοφήμου Πυθόδημος *ſextus autem, ac viceſimus Archon a Nicophemo Pythodemus fuit*, ut alibi [7] iam demonſtravi. Denique Archon ipſe in Demoſthenis loco occurrit [8]. Ὁ δὲ πατὴρ ἐτελεύτησεν ἐπὶ Δυσνικήτου Ἄρχοντος, ὁ δὲ Φορμίων Ἀ-

(1) Libr. VII. c. 5. (2) Adv Polyclem. (3) Var. Hiſt. Lib. III. c. 3. (4) Lib. XV. c. 95. (5) Adv. Timarch. (6) Num. 49. & 13. (7) Tom. III. pag. 161. (8) Adv. Steph. II.

θηναῖος ἐγένετο ἐπὶ Νικοδήμȣ Α῎ρχοντος δεκάτῳ ἔτει ὕϛερον ἢ ὁ πατὴρ ἡμῶν ἀπέθανε *pater autem obiit Dyſniceto Archonte, Phormio vero Athenienſis factus eſt Archonte Nicodemo decimo poſt anno quam pater noſter obiit*. Quo certe loco Meurſius optime reſcribendum eſſe iam viderat Νικοφήμȣ *Nicophemo*. Itaque, ſi Nicophemus hic a Dyſniceto *decimus* eſſe dicitur, perſpicue apparet ipſius nomen hoc anno Faſtis Atticis inſcribendum eſſe.

Huius Archontis anno Dinarchum Athenienſem Rhetorem natum eſſe coniecit Dionyſius (1), adeoque ſeriem a *Nicophemo* incipiens LXX. Archontes mox inſequutos enumerat (2); licet in eiuſmodi ſerie duo Archontum nomina exciderint, ut opportunius alibi demonſtravi.

In altero tamen Demoſthenis (3) loco Archon ipſe *Nicophemus* vocatur: Μαρτυρȣ̃σι παρεῖναι πρὸς τῷ Διαιτητῇ ἐπὶ Νικοφήμȣ Α῎ρχοντος *teſtantur ſe adfuiſſe apud Arbitrum, Nicophemo Archonte*.

Hoc anno Philippus Macedonum rex imperare coepit. Siquidem Laertius (4) de Platonis morte diſſerens ait: Ε᾿τελευτᾷ μὲν Φιλίππȣ βασιλεύοντος ἔτος τρισκαιδεκάτον *obiit cum Philippus tertiodecimo iam anno imperaret*. Ergo, cum Platonis mors ineunte anno 1. Olymp. CVIII. contigerit, Philippi initium ad annum hunc ſpectaſſe debuit.

OLYMPIAS CV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4354. Vrb. Cond. 394.
Callimedes Athenis Archon CCCXXIV.

M. Fabius . . F. M. N. Ambuſtus
C. Poetelius C. F. Q. N. Libo Viſolus Coſſ.

Porus Cyrenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, qui tamen hunc *Paurum* appellavit, & Diodoro (5): Ε᾿π᾿ Α῎ρχοντος Α᾿θήνησι Καλλιμήδȣς Ο᾿λυμπιὰς ἤχθη πέμπτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ᾿ ἣν ἐνίκα ϛάδιον Πῶρος Κυρηναῖος *Archonte Athenis Callimede centeſima quinta Olympias celebrata fuit, qua ſtadio vicit* Po-

(1) In Dinar. Num. 4. (2) Num. 9. (3) Adv. Macartatum (4) Libr. III. ſeg. 40. (5) Lib. XVI. c. 2.

Porus Cyrenaeus; idemque prorſus victoris nomen apud Pauſaniam [1] occurrit, ubi is de Delphico Templo a Phocenſibus expilato loquens ait τετάρτῳ δὲ ἔτει πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν, ἣν Πῶρος ἐνίκα Κυρηναῖος ςάδιον *quintae & centeſimae Olympiadis, in qua ſtadii palmam Porus Cyrenaeus obtinuit, anno quarto*. A Dionyſio [2] quoque Archon ipſe *Callimedes* vocatur; ſed Laertius [3] tamen *Callidemidem* ipſum appellat ubi de Xenophontis morte diſſerens ait: Κατέςρεψε δὲ ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης κ̧ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Ἄρχοντος Καλλιδημίδȣ *obiit autem anno primo quintae, ac centeſimae Olympiadis, Archonte Athenis Callidemide*.

Fortaſſe Archon ipſe ab inedito Aeſchinis Scholiaſte memoratur, cuius inſigne teſtimonium in Olymp. LXXVII. anno $\frac{3}{4}$. iam protuli. Quamvis enim ibi *Calamio* quidam Archon memoretur, perſpicui tamen temporum characteres oſtendunt quod *Calamio* iſte poſt annum 1. Olymp. CIV. imperavit, ut Timotheo duce Athenienſes in Thracia prope Amphipolim infeliciter dimicaverint, adeoque *nona*, ac poſtrema Athenienſium clades poſt *octavam* recenſeri potuerit, quae Timocratis Archontis anno, hoc eſt 1. Olymp. CIV. contigiſſe dicitur. Accedit etiam, quod Athenienſes anno 1. Olymp. CV. quo certe *Callimedes*, vel *Callidemides Archon* fuit, Amphipolim recuperare ſunt conati, ut Diodorus [4] teſtatur; adeoque facile hoc anno apud Amphipolim ipſam infeliciter dimicarunt, quod Aeſchinis Scholiaſtes *Calamione* Archonte contigiſſe memorat.

An. $\frac{1}{2}$. Euchariſtus Athenis Archon CCCXXV.

M. Popilius M. F. C. N Laenas
Cn. Manlius L. F. A N. Capitolinus Imperioſus Coſſ.

Euchariſti meminit Diodorus [5], & Dionyſius [6]. Huius Archontis anno teſtatur Diodorus Philippum Macedonum regem Legatos Athenas miſiſſe, qui ad foedera, pacemque ſecum ineundam hortarentur, nihilque ſibi in Amphipolim Thraciae urbem ſe vindicare faterentur.

C 3 An.

(1) Phocic. c. 2. (2) In Dinarcho num. 9. (3) Libr. III. ſeg. 56. (4) Lib. XVI. c. 8. (5) Libr. XVI. c. 4. (6) In Dinarcho num. 9.

An. $\frac{2}{3}$. Cephiſodotus Athenis Archon CCCXXVI.

C. Fabius Ambuſtus
C. Plautius P. F. P. N. Proculus Coſſ.

Archontis huius nomen non in Diodoro (1) ſolum, & Dionyſio (2), ſed in Oxonienſi quoque Chronico nobis occurrit (3): Αφ' ὗ Φωκεῖς τὸ ἐν Δέλφοις ἱερὸν ἐσύλευσαν ἔτη ΙΔΙΔΔΔΔΙΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κηφισοδώρȣ. *A quo Phocenſes Templum Delphicum expilarunt, anni XCIV. Archonte Athenis Cephiſodoro.* Quamvis enim ibi annorum characteres exciderint, atque Archon ipſe *Cephiſodorus* vocetur, hiſtoria tamen, quae huius Archontis anno contigiſſe dicitur, perſpicue certoque oſtendit numerum XCIV. ſimulque *Cephiſodoti* nomen legendum eſſe; ut immerito proinde Seldenus Epocham hanc ad annum $\frac{2}{3}$. Olymp. CIII. atque *Cephiſodorum* Archontem revocaverit. Ita Palmerius hic minus feliciter accurateque legendum aſſerit ἔτη H. *anni C.* Etenim, ſi Palmerii emendatio admitteretur, hiſtoria haec in anno 1. Olymp. CIV. collocanda foret; in quo tamen nec *Cephiſodotus*, neque *Cephiſodorus*, ſed *Timocrates*, imperavit.

Hoc anno *Sociale* Bellum incepit, quo Athenienſes Chios, Rhodios, Coos, Byzantios rebellantes recipere conati Charetem, & Chabriam imperatores eligunt; quorum poſtremus glorioſa morte dimicans occubuit (4). Quum vero Philippus Macedonum rex armorum gloria florere, regnique fines extendere caepiſſet, ex Potidaea urbe Athenienſium praeſidium deduxit, ipſumque comiter Athenienſium potentiam veritus in patriam dimiſit.

An. $\frac{3}{4}$. Agathocles Athenis Archon CCCXXVII.

C. Marcius L. F. C. N. Rutilus
Cn. Manlius L. F. A. N. Capitolinus Imperioſus Coſſ.

Agathocles ille a Diododoro (5), Dionyſio (6), Pauſa-

(1) Lib. XVI. c. 6. (2) In Dinarcho num. 9. (3) Epoch. 76. Lin. 87. (4) Diod. Libr. XVI. c. 7. (5) Lib. XVI. c. 9. (6) In Dinarcho num. 9. & in Lyſia num. 13.

ſania & Oxonienſi quoque Marmore nominatur. Ac inſignis quidem Dionyſii locus in Olymp. VII. proferetur. Pauſanias vero Agathoclis Archontis anno Templum Delphicum a Phocenſibus expilatum eſſe teſtatur (1): Τὴν δὲ τῶν Δελφῶν κατάληψιν ἐποιήσαντο οἱ Φωκεῖς Ἡρακλείδου μὲν Πρυτανεύοντος ἐν Δελφοῖς, καὶ Ἀγαθοκλέους Ἀθήνησιν Ἄρχοντος τετάρτῳ δὲ ἔτει πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν *Delphicum Templum diripere aggreſſi ſunt Phocenſes Heraclide quidem Delphis Prytane, & Agathocle Athenis Archonte, quarto autem anno quintae, ac centeſimae Olympiadis.*

At in Oxonienſi Marmore poſtquam eiuſmodi Phocenſium facinus ſuperioris Archontis anno adſcriptum fuerat, repente ſubiicitur (2) Ἀφ' οὗ Τιμόθεος βιώσας ἔτη ΓΔΙΔΔΔΔ. ἐτελεύτησεν ἐν Ἀθήνησι, καὶ Φίλιππος τὴν πόλιν ἔκτισεν ὁ Φίλιππος Μακεδόνων βασιλεὺς, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Φεραῖος ἐτελεύτησεν, καὶ τοὺς Διονυσίου ςρατεγοὺς ὁ Δίων ἐνίκησεν, ἔτη ΓΔΙΔΔΔΔΙΙΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀγαθοκλέους *A quo Timotheus annos natus 90 diem obiit Athenis, & Philippos urbem condidit Philippus Macedonum rex, & Alexander Pheraeus occubuit, & Dionyſii praefectos Dion ſuperavit, anni XCIII. Archonte Athenis Agathocle.* Ita nimirum laceras Marmoris voces ad hiſtoriae fidem ſupplendas eſſe Prideauxius oſtendit, cum Diodoro (3) teſte Philippus Macedonum rex Philippos urbem condiderit, Alexander Pheraeus a coniuge iugulatus obierit, ac Dion Dionyſii Siculorum tyranni exercitum ſuperaverit.

Agathoclis eiusdem nomen in Demoſthene quoque obſervavi (4) ὑμῶν δέομαι ὅσοι ἐβούλευον, ἐπ' Ἀγαθοκλέους Ἄρχοντος *Vos rogo, qui Agathocle Archonte in ſenatum itaſtis.*

Dyillus Athenienſis Hiſtoriam ſuam, quae XXVIII. Libros complectebatur, a Delphici Templi expilatione, quam huic anno adſcribedam eſſe iam vidimus, auſpicabatur.

OLYM-

(1) In Phocic. c. 2. (2) Epoch. 78. lin. 91. (3) Libr. XVI. c. 14. (4) Adv. Evergum.

OLYMPIAS CVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4358. Vrb. Cond. 398.
Elpines Athenis Archon CCCXXVIII.

M. Fabius . . F. M. N. Ambuſtus II. Coſſ.
M. Popilius M. F. C. N. Laenas II.

Porus Cyrenaeus iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Pauſania (1); quamvis Diodorus (2) Porum hunc *Malienſem* vocaverit, adeoque Meurſius hunc ab altero diſtinguendum eſſe putaverit.

Philippus etiam Macedonum rex in Olympiis ipſis *celete* palmam obtinuit. Etenim Plutarchus (3) aſſerit ipſum uno eodemque tempore nuncium tum de victoria in Olympiis *celete* parta, tum de Paeonibus a Parmenione ſuperatis, tum de Alexandri filii nativitate accepiſſe. Itaque, cum Alexandri nativitas ipſo fere Olympiorum tempore contigerit, Philippi victoria huic anno adſcribi debet.

Hinc fallitur Euſebius, & Oxonienſis Chronici Scriptor, qui Alexandri ortum in anno 2. huius Olympiadis memoravit.

Elpines autem Archon non a Diodoro ſolum, ſed etiam a Dionyſio (4) nominatur, licet ipſum in Lyſia *Elpinicem* vocaverit ubi de bello ſociali loquens Iphicrate duce geſto ſic ait (5) Οὗτος ὁ πόλεμος πίπτει κατὰ Ἀγαθοκλέα, ϰ̀ Ἐλπινίκην Ἄρχοντας *hoc bellum incidit in Agathoclem, & Elpinicem Archontas*. Meurſius *Elpinicem* ipſum a Demoſthene (6) memoratum eſſe putavit ubi ait: Αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπὶ Νικίȣ Ἑκατομβαιῶνος τρίτη ἱςαμένȣ *haec teſtimonia tertia Hecatombaeonis* menſis *die reddita ſunt ſub* Archonte *Nicia*. Sed obſcurum hunc locum opportunius alibi (7) expoſui, ipſumque de *Nicia* Pſeudeponymo potius Archonte intelligendum eſſe demonſtravi. Itaque Dodvellus etiam hic corrigendus, qui in Archontum Catalogo *Niciam* a Demoſthene nominatum unum eundemque cum *El-*

(1) Phocic. c. 2. (2) Lib. XVI. c. 15. (3) In Alexan. (4) In Dinarch. num. 9. (5) In Lyſia num. 13. (6) Orat. de Corona. (7) Tom. I. pag. 355.

Elpinice putavit, ipſumque Olymp. CVI. anno 1. adſcripſit.

Huius Archontis anno, medioque fere Hecatombaeone menſe, ſive Olympiorum tempore Alexander Macedo Philippi regis filius in lucem editus fuit. Certe Iuſtinus [1] aſſerit ipſum Olympiorum tempore natum fuiſſe; idque facile ex ipſius aetate conſtitui poterit, quae anno 1. Oly. CXIV. demonſtrabitur.

Hoc anno *Sociale* bellum Charete, Iphicrate, & Timotheo ducibus ab Athenienſibus continuatum fuit; atque Iphicrates ipſe, ac Timotheus veluti praelii periculum detrectantes imperio privati ſunt [2]. Ac Timotheus quidem centum talentis multatus fuit [3]; Iphicrates vero, quamvis a Diodoro capite damnatus dicatur, abſolutus fuit, ut a Poliaeno [4], & Nepote erudimur.

An $\frac{1}{2}$. Calliſtratus Athenis Archon CCCXXIX.

C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus III. Coſſ.
M. Valerius Poplicola

Superior Archon, eiuſque ſitus a Diodoro [5], ac Dionyſio demonſtratur. Hic nimirum in *Dinarcho* [6] dicit quod Τιμόθεος τὰς εὐθύνας ὑπέσχησεν ἐπὶ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον *Timotheus rationes ſub Diotimo* Archonte *reddidit, qui poſt Calliſtratum* imperavit; atque alibi [7] de publicis Demoſthenis Orationibus differens ait: Δημοσίους λόγους ἤρξατο γράφειν ἐπὶ Καλλιστράτου Ἄρχοντος . . ἐπὶ δὲ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον ἐν Ἀθηναίοις πρώτην εἶπε δημηγορίαν *publicas Orationes ſcribere caepit ſub Calliſtrato Archonte . . . at ſub Diotimo Calliſtrati ſucceſſore primam Orationem publicam apud Athenienſes habuit*. Denique locus ipſe ab Oxonienſi Marmore confirmatur [8]: Ἀφ' οὗ Ἀλέξανδρος Μακεδόνων βασιλεὺς ἐγένετο ἔτη ΙΔΙΔΔΔΙ. Ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιστράτου, καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Φιλόσοφος κατὰ τοῦτον *A quo Alexander Macedonum rex naſcebatur, anni XCI. Archonte Athenis Calliſtrato: quo tempore*

(1) Libr. XII. (2) Diodor. ibi c. 21. (3) Corn. Nep. in Iphicr. c. 3. (4) Stratagem. Lib. III. c. 9. 29. (5) Lib. XVI. c. 23. (6) Num. 13. (7) In Epiſt. ad Ammae. num. 4. (8) Epoch. 78. Lin. 91.

pore floruit Ariſtoteles Philoſophus. Quod tamen ad Alexandri Macedonis ortum attinet, ille ſuperiori anno certiſſime adſcribi debet; quamvis fortaſſe a quibusdam Veteribus integro ſerius anno memoraretur, quod etiam a Gellio (1), & Solino (2), & Euſebio factum conſpicimus.

Huius Archontis anno Phocenſe, ſacrumque bellum exarſiſſe ſcribit Diodorus, quod Scriptor ille hic quidem *novem*, alibi vero (3) *decem* annis viguiſſe memorat: quod *decennii* ſpatium a Pauſania (4) quoque, Athenaeo (5), & Aeſchine (6) diſerte traditur, licet Pauſanias belli Phocenſis initium in annum 4. Olymp. CV. incidiſſe dixerit.

An. $\frac{2}{3}$. Diotimus Athenis Archon CCCXXX.

M. Fabius . . F. M. N. Ambuſtus III.
T. Quinctius Barbatus Capitolinus Criſpinus Coſſ.
Annales alii ex Livio habent
M. Popilius

Diotimi Archontis Diodorus (7), ac Dionyſius in *Dinarcho* (8) ſuperius laudatus, atque in *Epiſtola ad Ammaeam* (9), itemque Chronicum Marmor meminit, in cuius poſtrema Epocha legitur (10): Ἀφ' ȣ̄ Κάλιππος Δίωνα ἀποκτείνας Συρακȣσων ἐτυράννευσεν ἔτη Ι͞ΔΙΔΔΔΔ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διοτίμȣ *A quo Calippus, cum Dionem interfeciſſet, tyrannidem Syracuſis occupavit, anni XC. Archonte Athenis Diotimo*. Quandoquidem tamen tum in Seldeni apographo, tum in ipſo Marmore poſt characterem Κ character Λ reperitur, Prideauxius hic obſervavit facile quoque ſuppleri poſſe: Ἀφ' ȣ̄ Κλέαρχος Ἡρακλεώτης Τύραννος ἐφονήθη ἔτη Ι͞ΔΙΔΔΔΠΙΙΙΙ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Εὐδήμȣ *A quo Clearchus Heracleae Tyrannus interemptus eſt, anni LXXXIX. Archonte Athenis Eudemo*; cum Clearchus ille, Diodoro (11) teſte, Eudemi Archontis anno ſit interemptus. Facilius tamen & Calippi, & Diotimi Archontis nomen inſerendum videtur, cum Chronici Scriptor ſingulos Syracuſanorum tyrannos, ipſorumque initia me-

(1) Libr. XVII. c. 21. (2) Cap. 43. (3) Cap. 60. (4) Libr. X. c. 2. (5) Libr. XIII. c.... (6) Adver. Cteſiph. (7) Lib. XVI. c. 26. (8) Num. 9. (9) Num. 9. (10) Epoch. 79. Lin. 92. (11) Ibi c. 31.

memoraverit. Ita Dionis caedes ab Euſebio quoque in anno 3. huius Olympiadis collocatur.

Hoc eodem anno Leuconem Boſphori regem poſt 40. imperii annos obiiſſe, regnumque Spartaco filio reliquiſſe teſtatur Diodorus [1]. Certe Demoſthenes [2] etiam in Oratione ſuperiori, hoc eſt Calliſtrati Archontis, anno habita Leuconem adhuc ſuperſtitem fuiſſe dicit.

An. $\frac{3}{4}$. Eudemus Athenis Archon CCCXXXI.

C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus IV.
M. Valerius Poplicola II. Coſſ.

Eudemus ille a Diodoro [3], ac Dionyſio in *Dinarcho* [4] recenſetur; iterumque apud Dionyſium [5] ipſum Eudemi mentio reperitur; quamvis ibi Θεόδημος *Theodemus* vocetur: Ἐπὶ δὲ Θεοδήμυ τῦ μετὰ Διότιμον ἄρξαντος τὸν κατὰ Τιμοκράτυς λόγον ἔγραψε . . . . . . μετὰ δὲ Εὔδημον ἦν Ἀριςόδημος Ἄρχων, ἐφ᾽ ὗ τῶν κατὰ Φιλίππυ δημηγοριῶν ἤρξατο *ſub Theodemo, qui poſt Diotimum Archon fuit, Orationem adverſus Timocratem ſcripſit . . . poſt Eudemum vero Ariſtodemus Archon fuit, ſub quo Conciones adverſus Philippum habere caepit.*

Hinc facile Scaligero occaſio arrepta ut Archontem hunc *Euthydemum* vocaret; quamvis alibi [6] ex Diodoro *Theodemum* ipſum vocaverit; eiuſque anno Syracuſarum tyrannidem ab Hipparino Dionyſii ſenioris filio, iunioriſque fratre occupatam ex Diodoro, ſimulque Euſebio memoraverit.

Eudemi Archontis anno Chares Athenienſium dux claſſe Helleſpontum ingreditur, Seſtum oppugnat; quumque Cerſobleptes Cotyis filius, & Thraciae dominus Philippo Macedoni infenſus univerſam fere, Cardia urbe excepta, ditionem Athenienſi Populo conceſſiſſet, cives illuc in colonias miſſi fuere [7].

Mauſolum Cariae Dynaſtam hoc anno e vivis exceſſiſſe, ipſique Artemiſiam ſororem & coniugem biennii tempore in imperio ſucceſſiſſe ſcribit Diodorus [8]. Certe Demoſthe-

(1) Cap. 31. (2) Orat. adv. Lept. (3) Lib. XVI. c. 32. (4) Num. 13. (5) Epiſt. ad Ammac. num. 4. (6) Ad. Chr. Euſ. pag. 116. (6) Diodor. c. 34. (8) Cap. 46.

nes [1] in Oratione Theſſali Archontis anno, hoc eſt $\frac{2}{2}$. Olymp. CVII. habita tunc regem, hoc eſt *Idrieum*, Cariae imperaſſe demonſtrat.

OLYMPIAS CVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul 4362. Vrb. Cond. 402.
Ariſtodemus Athenis Archon CCCXXXII.

P. Valerius Poplicola
C. Marcus L. F. C. N. Rutilus II. Coſſ.

Smicrinas Tarentinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [2], qui non Archontis modo, ſed Olympionicae quoque nomen expreſſit: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀριςοδήμυ Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἑβδόμη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Σμικρίνας Ταραντῖνος *Archonte Athenis Ariſtodemo Olympias centeſima ſeptima celebrata fuit, qua ſtadio vicit Smicrinas Tarentinus*. Ab Africano tamen victor ille Μικρίνας appellatur. Quod vero ad Archontem attinet, is perſpicue a Dionyſio nominatur, eiuſque ſitus in Archontum Faſtis oſtenditur. Quemadmodum enim *Ariſtodemi* Archontis *in Dinarcho* [3] ſemel iterumque meminit, ita in *Epiſtola ad Ammaeam* [4] ait: Μετὰ Θεόδημον ἦν Ἀριςόδημος Ἄρχων, ἐφ' ὗ τῶν κατὰ Φιλίππυ δημογοριῶν ἦρξε . . Ἐπὶ δὲ Θεέλλυ, τῦ μετ' Ἀριςόδημον τὴν περὶ τῶν Ῥωδίων ἀπήγγειλε δημογορίαν *poſt Theodemum Archon erat Ariſtodemus, ſub quo Orationes contra Philippum habere caepit . . ſub Theello autem Ariſtodemi ſucceſſore Concionem de Rhodiis habuit*.

Huius Archontis anno Diodorus [5] aſſerit Athenienſes ſuppetias Phayllo Phocenſium imperatori, Nauſicle duce, miſiſſe, qui contra Boeotos dimicabat, a quibus variis in locis Phocenſes ſuperati ſunt.

Huius etiam Ariſtodemi Archontis anno colonos in Samum ab Athenienſibus miſſos eſſe ſcribit Dionyſius (6); idque perſpicuo quoque Laërtii teſtimonio confirmatur, qui Neoclem Epicuri patrem illuc cum colonis aliis conceſſiſſe dicit,

(1) De Rhodior. libert (2) Libr. XVI. c. 37. (3) Num. 9. & 13. (4) Num. 4. (5) Cap. 37. (6) In Dinar. num. 9. & 13.

cit, ibique Epicurum ad octavum uſque decimumque aetatis annum vixiſſe, donec nimirum Atheniensibus a Perdicca expulſis Inſula Samiis reſtituta fuit. Itaque, cum 18. Epicuri annus in 1. Olymp. CXIV. inciderit, atque Perdiccas Samios in inſulam anno 2. Diodoro teſte revocaverit, colonia Samum miſſa ad Ariſtodemi Archontis annum ſpectavit. Hinc ineditus Aeſchinis Scholiaſtes fallitur, qui ait *εἰς Σάμον ἔπεμψαν κληρέχους Ἀθηναῖοι ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Νικοφήμε colonos Samum miſere Athenienſes Archonte Athenienſis Nicophemo*; niſi fortaſſe in vitiato ipſius textu pro Νικοφήμε reſcribatur Ἀριςοδήμε, cum Nicophemus ille anno 4. Olymp. CIV. imperaverit. Ita quoque numerorum notae in Diodori textu vitiatae ſunt ubi is dicit quod Perdiccas Samios *κατήγαγεν εἰς τὴν πατρίδα πεφευγότας ἔτη τρισὶ πλείω τῶν τεσσαράκοντα tres ultra quadraginta annos extorres in patriam reduxit*. Siquidem ab anno 1. Olymp. CVII. quo expulſi, ad annum uſque 2. Olymp. CXIV. quo ſunt reſtituti, nonniſi 30 anni interceſſere, adeoque in Diodori textu non *τεσσαράκοντα*, ſed *τριάκοντα*, reſcribi debet.

An. $\frac{2}{a}$. Theſſalus Athenis Archon CCCXXXIII.

C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus V. Coſſ.
T. Quinctius Pennus Cincinnatus

Theſſalus Archon a Diodoro (1), ſimulque Dionyſio (2) nominatur: Ὁ *μὲν γὰρ Δημοσθένες περὶ τῦ ὀνόματος, ὃν δεδηλώκαμεν, λόγος, ἐν ᾧ τέτων μέμνηται, κατὰ Θεσσαλὸν, ἢ Ἀπολλόδωρον Ἄρχοντα τετέλεςαι etenim Demoſthenis Oratio de Nomine quam indicavimus, & in qua horum mentio habetur, Theſſali, vel Apollodori Archontis anno abſoluta fuit*. Alibi (3) tamen a Dionyſio ipſo *Theellus*, ac *Thellus* vocatur, ut ſuperius eſt obſervatum; iterumque nomen ipſum occurrit: Ἐπὶ *δὲ Καλλιμάχε τῦ τρίτε μετὰ Θέηλλον Ἄρχοντος τρεῖς διέθετο δημηγορικὲς ſub Callimacho, qui poſt Theellum Archontem tertius fuit, tres publicas Orationes habuit*. Quinetiam alibi *Thellum* ipſum appellat: Ἔ*ιρηται γὰρ ἐπὶ Θεοφίλε, ἢ Θεμιςοκλέες Ἄρχοντος μετὰ Θέλλον ἀνίοντα ἐνιαυτῷ τρίτῳ etenim* haec

(1) Libr. XVI. c. 40. (2) In Dinarcho num. 9. (3) Epiſt. ad Ammaeam. num. 4.

Oratio *ſub Theophilo, vel Themiſtocle recitata fuit, qui tertio poſt Thellum anno imperavit.*

An. $\frac{2}{3}$. Apollodorus Athenis Archon CCCXXXIV.

M. Popilius M. F. C. N. Laenas III. *L. Cornelius Scipio*	Coſſ.

Archontis Diodorus [1], & Dionyſius [2] meminit; eiuſque Archontis anno Salaminam Cypri urbem ab Evagora, & Phocione Athenienſium duce obſeſſam fuiſſe narrat Diodorus.

An. $\frac{3}{4}$. Callimachus Pergaſenſis Athenis Archon CCCXXXV.

L. Furius M. F. Camillus *Ap. Claudius P. F. Ap. N. Craſſinus Regillenſis*	Coſſ.

Callimachus Archon a Diodoro [3], ſimulque Dionyſio memoratur, qui in *Epiſtola ad Ammaeam* [4] ipſius nomen, ac ſitum ſaepius expreſſit. Sic Athenaeus [5] ubi de Platonis morte loquitur, ait: Δύο γὰρ καὶ ὀγδοήκοντα βιώσας ἔτη μετάλλαξεν, ἐπὶ Θεοφίλου τοῦ μετὰ Καλλίμαχον *cum duo & octoginta annos vixiſſet, obiit ſub Theophilo, qui poſt Callimachum* Archon *fuit*. Sed illuſtrius etiam Plutarchus [6] Archontis nomen, ſimulque ſitum expreſſit: Ἑπτὰ δὲ καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονώς, λογιζομένοις ἀπὸ Δεξιθέου εἰς Καλλίμαχον, ἐφ᾽ οὗ παρ᾽ Ὀλυνθίων ἧκε πρεσβεία περὶ τῆς βοηθείας, ἐπεὶ ἐπιέζοντο ὑπὸ Φιλίππου τῷ πολέμῳ, ἔπεισε ἐκπέμψαι τὴν βοήθειαν *triginta annos natus, ſi a Dexitheo ad Callimachum* Archontem *numeres, ſub quo Olynthii, cum a Philippo bello premerentur, Legatos auxilia petitum miſerunt, opem ferendam eſſe perſuaſit.*

Itaque vides Callimachum hunc a Dexitheo, qui anno 4. Olymp. XCIII. Archon fuit, *triceſimum ſeptimum* recenſeri; adeoque Callimachum ipſum ad annum hunc 3. Olymp. CVII. referri. Callimachum ipſum addito quoque Populi Attici nomine memoravit Dionyſius [7] Philochori verba

(1) Lib. XVI. c. 46. (2) In Dinarcho num. 9. (3) Lib. XVI. c. 52. (4) Num. 4. & 9. (5) Lib. V. (6) Vita X. Rhet. in Demoſth. (7) In Ep. ad Ammaе. n. 9.

ba tranſcribens: Καλλίμαχος Περγασῆθεν *Callimachus Pergaſenſis*.

OLYMPIAS CVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4366. Vrb. Cond. 406.
Theophilus Athenis Archon CCCXXXVI.

M. Popilius M. F. C. N. Laenas IV. Coſſ.
M. Valerius M. F. M. N. Corvus

Polycles Cyrenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Diodorus (1) etiam victoris huius, itemque Archontis nomen exhibuit: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Θεόφιλος, Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη ὀγδόη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Πολυκλῆς Κυρηναῖος *Athenis quidem Archon erat Theophilus, Olympias vero octava ſupra centeſimam celebrata fuit, qua ſtadio vicit Polycles Cyrenaeus*. Vtrumque Pauſanias (2) etiam expreſſit, qui hoc anno Phocicum, Sacrumve bellum diremptum eſſe teſtatur: Δεκάτῳ δὲ ὕςερον ἔτει μετὰ τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν ἐπέθηκεν ὁ Φίλιππος πέρας τῷ πολέμῳ Φωκικῷ τε, καὶ ἱερῷ κληθέντι αὐτῷ, Θεοφίλου μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, ὀγδόης δὲ Ὀλυμπιάδος καὶ ἑκατοςῆς ἔτει πρώτῳ, ἣν Πολυκλῆς ἐνίκα ςάδιον Κυρηναῖος *decimo poſt anno quam Templum exſpoliatum eſt, bello huic, quod idem Phocicum, & Sacrum appellarunt, finem Philippus impoſuit, Theophilo quidem Athenis Archonte, anno vero primo Olympiadis octavae, & centeſimae, qua Polycles Cyrenaeus ſtadio vicit*. Nec alio certe, quam *Theophili* nomine Archon ipſe a Dionyſio (3), Demoſthene (4), Athenaeo (5), Laërtio (6), & Plutarcho (7), deſignatur; ut nullus propemodum Archon alius afferri poſſit, cuius nomen, ac ſitus pluribus atque illuſtrioribus Veterum teſtimoniis aſſeratur, ut in Diſſertatione *de Platonis aetate* iam demonſtravi. Itaque neceſſario corrigendus Dionyſii locus, in quo Archon ipſe *Theomnetus*, alibique *Thumedus* vocatur. Etenim, ut Dionyſius oſtendat Orationem adverſus Boeotum Demoſthenis eſſe, non Di-

(1) Libr. XVI. c. 53. (2) Phocic. c. 5. (3) In Dinarchc num. 13 & Epiſt. ad Ammae. numer. 5. 10. (4) Adver. Pantaenet. (5) Libr. V. (6) Libr. III. & Lib. V. (7) Vit. X. Rhet. in Demoſth.

Dinarchi ait: Μέμνηται γὰρ ὡς νεωςὶ τῆς εἰς Πύλας ἐξόδου γεγενημένης. Ἡ δ᾽ εἰς Ἀθηναίων ἔξοδος ἐπὶ Θουμήδου Ἄρχοντος ἐγένετο τρισκαιδέκατον ἔτος Δεινάρχου ἔχοντος *meminit enim Athenienſium incurſus in Pylas tanquam recens facti, incurſus autem ille Athenienſium in . . . Thumede Archonte contigit, cum Dinarchus tertium decimum aetatis annum ageret*: quem Dionyſii locum hactenus depravatum reſtitui poſſe videtur ſi legatur ἡ δὲ εἰς Πύλας Ἀθηναίων ἔξοδος *Athenienſium incurſus in Pylas*. Siquidem Dionyſius ipſe antea *Pylas*, atque Athenienſes illic militantes memoraverat. Sed Demoſthenes (1) perſpicue docet quod tunc εἰς Ταμύνας *Tamynas* Athenienſes milites profecti fuerant, paucisque interiectis ſubdit milites ipſos ex Euboea reverſos eſſe; ergo utrobique in Dionyſii textu εἰς Ταμύνας *Tamynas* reſcribi debet. Thumedum autem hunc non alium eſſe poſſe, quam Theophilum, perſpicue apparet quod Dinarchus anno 4. Olymp. CIV. in lucem editus tunc *tertium decimumque* aetatis annum egiſſe dicitur.

Hoc autem anno Platonem e vivis exceſſiſſe nitide diſerteque teſtatur Athenaeus: Πλάτων δὲ γεννᾶται ἐπὶ Ἀπολλοδώρου τοῦ μετ᾽ Εὐθύδημον ἄρξαντος. δύο δὲ καὶ ὀγδοήκοντα βιώσας ἔτη μετήλλαξεν ἐπὶ Θεοφίλου τοῦ μετὰ Καλλίμαχον, ὅς ἐςιν ὀγδοηκοςὸς καὶ δεύτερος *Plato autem naſcitur ſub Apollodoro, qui poſt Euthydemum Archon fuit; quum vero duos & octoginta annos vixiſſet obiit ſub Theophilo Callimachi ſucceſſore*, *qui* ab Apollodoro *ſecundus & octogeſimus Archon fuit*. Id vero non natali ipſius die, hoc 7. Thargelionis Attici, ut Seneca auctore clariſſimis Viris hactenus creditum, ſed ante Gamelionis initium, contigiſſe, perſpicuis, opinor, certiſque rationibus demonſtravi; ut nullus proinde de Platonis obitu, ac aetate ambigendi locus ſuperſit.

Platoni vero Speuſippus in Schola vel Academia ſucceſſit. Laërtius (2): Διεδέξατο δ᾽ αὐτὸν Σπεύσιππος Εὐρυμέδοντος Ἀθηναῖος τὸν δὲ δῆμον Μυῤῥινούσιος ἦν . . . καὶ ἐσχολάρχησεν ἔτη ὀκτὼ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος *ſucceſſit autem ei Speuſippus Eurymedontis filius Athenienſis pago Myrrhinuſius . . octo autem annos Scholae praefuit a centeſima octava Olympiade initium ſumens*.

An.

(1) Adv. Boeot. de nomine. (2) Libr. IV. ſeg. 2.

An. $\frac{1}{2}$. Themiſtocles Athenis Archon CCCXXXVII.

C. Plautius Venno
T. Manlius L. F. A. N. Imperioſus Torquatus Coſſ.

Themiſtoclis huius Diodorus [1], ac Dionyſius [2] meminit, diſerteque ipſum Theophili ſucceſſorem is facit [3]: Μετὰ γὰρ Ἄρχοντα Καλλίμαχον Θεόφιλός ἐςιν Ἄρχων, ἔπειτα Θεμιςοκλῆς *etenim poſt Archontem Callimachum Theophilus Archon eſt, deinde Themiſtocles.*

Huius Archontis anno, poſtquam Olynthiorum urbs a Philippo capta, atque direpta fuerat, pax & foedera ab Athenienſibus cum Philippo rege conſtituta ſunt, ut praeter Diodorum Dionyſius ipſe teſtatur [4]: Μετὰ τὴν Ὀλυνθίων ἅλωσιν, Ἄρχοντος Θεμιςοκλέυς, συνθῆκαι Φιλίππῳ πρὸς Ἀθηναίυς ἐγένοντο περὶ τῆς συμμαχίας *poſt Olynthiorum cladem Themiſtocle Athenis Archonte de belli ſocietate pacta cum Philippo, atque Athenienſibus ſancita ſunt.* Eademque prorſus hiſtoria, temporumque ratio ab Aeſchine [5] quoque, addito *Themiſtoclis* Archontis nomine, memoratur, ut ex ipſius verbis apparet, quae opportunius alibi [6] iam protuli.

Huius Archontis anno Orationem illam a Dinarcho recitatam eſſe teſtatur Dionyſius [7], qua Ninus ſacerdos Meneclis uxor damnata fuit.

Denique ad ineuntem ipſum 2. Olympiadis annum Mneſiphilum Archontem referendum eſſe iam monui [8], cuius Archontis nomen Decretis 30. Hecatombaeonis, & 21. Maemacterionis die editis praefixum conſpicitur. Quamvis enim Meurſius Mneſiphilum hunc Eponymis aliis adſcripſerit; perſpicue tamen oſtendi ipſum Pſeudeponymum eſſe oportere, atque anno 2. Olymp. CVIII. adſcribendum fuiſſe.

An. $\frac{2}{3}$. Archias Athenis Archon CCCXXXVIII.

M. Valerius M. F. M. N. Corvus II.
C. Poetelius C. F. C. N. Libo Viſolus Coſſ.

In

(1) Lib. XVI. c. 56. (2) In Dinarch. (3) Epiſt. ad Ammae. n. 11. (4) Ibi. (5) Adverſ. Creſiph. (6) Tom. I. pag. 137. (7) In Dinarcho (8) Tom. I. pag. 350.

In Diodoro [1], itemque Dionyſio [2] Archontis huius nomen occurrit: Μετὰ δὲ Θεμιστοκλέα Ἀρχίας. μετὰ δὲ Ἀρχίαν ἐστὶν Εὔβουλος *poſt Themiſtoclem* Archon invenitur *Archias*, *poſt Archiam Eubulus*; alibique [3]: Ὁ μὲν λόγος γέγονεν ἐπ' Ἀρχίου τοῦ μετὰ Θεμιστοκλέα *haec quidem Oratio habita fuit ſub Archia*, *qui poſt Themiſtoclem* Archon *fuit*. Itaque corrigendus Dionyſii locus ubi in Archontum Catalogo [4] Ἀρχίδας *Archidas* vocatur.

Huius Archontis anno ſacrum, vel Phocenſe bellum Phocenſium ipſorum clade diremptum eſſe teſtatur Diodorus. Sed quum idem ipſe iam dixerit bellum illud Agathoclis Archontis anno incepiſſe, ipſius exitus cum Pauſania [5] ad Theophili Archontis annum hoc eſt 1. huius Olymp. referri debet. Quum tamen Aeſchines [6] ſemel iterumque dicat Phocenſe bellum *decem* continuos annos duraſſe, ac Diodorus [7] ipſi *undecim* annos adſcribat, ipſius exitus in Archiae Archontis annum, adeoque 2. huius Olympiadis exeuntem conferri comode poterit. Quod vero Phocenſis excidii tempus ex vero Pythiorum Ludorum tempore deduxit Palmerius, Petavius, Veslingius, id unum oſtendit quod clades illa ante Munychionem menſem anni 3. certiſſime contigit, quo Pythia edebantur, ut opportunius alibi demonſtravi; quamuis Petavius, aliique plurimi Ludos illos ſecundis Olympiadum adſcripſerint. Verum an clades illa paucis ſolum menſibus, aut integri anni ſpatio Ludos praeceſſerit, incertum eſt; longeque veriſimilius exiſtimo Phocenſes Scirophorione menſe, adeoque exeunte anno 3. ſuperatos fuiſſe, paucisque interiectis menſibus Pythia celebrata fuiſſe; ut opprtunius alibi [8] demonſtravi.

An. 3/4. Eubulus Athenis Archon CCCXXXIX.

M. Fabius Dorſo
Ser. Sulpicius Camerinus Coſſ.

Non Diodoro [9] ſolum, ſed Laërtio [10] quoque, ac Dio-

(1) Libr. XVI. c: 59. (2) Epiſt. ad Am. num. 11. (3) In Dinarcho n. 11. (4) Ibi num. 9. (5) Phoc. c. 3. (6) Orat de falſa Leg & adv. Cleſiph. (7) Cap. 14. (8) Tom. I. pag. 136. (9) Libr. XVI. c. 66. (10) Lib. V. ſeg. 108.

Dionyſio (1) Eubulus ille memoratur. Etenim, quum Laërtius de Ariſtotele loquens dixiſſet: Εἰς Μιτυλήνην ἦλθη ἐπὶ Ἄρχοντος Εὐβούλου τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος *Mitylenem conceſſit Archonte* Athenis *Eubulo quarto anno octavae & centeſimae Olympiadis*, Dionyſius (2) ipſe dicit καὶ τριετῆ χρόνον παρ' αὐτῷ τρίψας ἐπ' Εὐβούλου Ἄρχοντος εἰς Μιτυλήνην ἐχωρίσθη *triumque annorum ſpatium apud ipſum moratus, ſub Archonte Eubulo Mitylenem ſeceſſit*. Alibi Dionyſius ipſe *Nicomachi*, ſimulque *Eubuli* ſitum expreſſit: Ἐπὶ Νικομάχου Ἄρχοντος εἴρηται ὁ λέγων ἐπ' Εὐβούλου μὲν μισθώσασθαι τὸ μέταλλον. τρία δὲ ἔτη ἐργασάμενος ἐκβαλλόμενος ὑπὸ τοῦ πλησίον ἔχοντος μέταλλα, λαχεῖν αὐτῷ τὴν δίκην κατὰ Νικόμαχον Ἄρχοντα *haec Oratio ſub Nicomacho Archonte habita eſt. Etenim ait ſe Eubuli quidem Archontis anno metalli fodinam mercede duxiſſe: cum vero tribus annis in illa operatus eſſet, ab eo, qui prope fodinam habebat, eiectum litem ipſi intentaſſe Archonte Nicomacho*.

Itaque, cum conſtanter adeo Archon ille *Eubulus* vocetur, corrigendus erit Dionyſii locus (3), ubi in Archontum Catalogo *Eudorus* appellatur.

OLYMPIAS CIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4370. Vrb. Cond. 410.
Lyciſcus Athenis Archon CCCXL.

C. Marcius L. F. C. N. Rutilus III.
T. Manlius L. F. A. N. Imperioſus Torquatus II. Coſſ.

Ariſtolochus Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (4): Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυκίσκου Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἑκατοστὴ καὶ ἐνάτη, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἀριστόλοχος Ἀθηναῖος *Archonte Athenis Lyciſco Olympias celebrata fuit nona ac centeſima, qua ſtadio vicit Ariſtolochus Athenienſis*. Archon ipſe a Dionyſio (5) memoratur: Οὗτος ὁ ἀγὼν εἴρηται ἐπ' Ἄρχοντος Εὐβούλου, ἢ Λυκίσκου τοῦ μετ' Εὔβουλον *haec controverſia agitata fuit ſub Archonte Eubulo, vel Lyciſco Eubuli ſucceſſo-*

Part. II. Tom. II. E *re*

(1) In Dinarcho num. 11. (2) Epiſt. ad Ammae. num. 5. & 11. (3) In. Dinar. n. 9. (4) Lib. XVI. c. 69. (5) In Dinarcho num. 9. & 11.

re, alibique (1): Μετὰ Ἀρχίαν ἐςὶν Εὔβουλος, εἶτα Λυκίσκος . . μετὰ Λυκίσκόν ἐςὶν Ἄρχων Πυθόδοτος *poſt Archiam Archon eſt Eubulus, deinde Lyciſcus . . poſt Lyciſcum Archon eſt Pythodotus*. Denique Demoſtheni (2) quoque Lyciſcus ille memoratur: Πάντες γὰρ ἴςε τοὺς ἐπὶ Λυκίσκου Ἄρχοντος Θεσμοθέτας ἀποχειροτονηθέντας ἐν τῷ δήμῳ διὰ τοῦτον *ſcitis enim omnes Theſmothetas, qui Lyciſco Archonte fuerunt, propter ipſum fuiſſe improbatos*.

An. $\frac{2}{a}$. Pythodotus Athenis Archon CCCXLI.

M. Valerius M. F. M. N. Corvus III.
A. Cornelius P. F. A. N. Coſſus Arvina Coſſ.

Praeter Diodorum (3), perſpicue Pythodoti meminit Laërtius (4) ubi de Ariſtotele diſſerens ait: Ἐπὶ Πυθοδότου δ᾽ ἐλθεῖν πρὸς Φίλιππον τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς ἐννάτης καὶ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος *ſub Pythodoto autem veniſſe* Ariſtotelem *ad Philippum anno ſecundo nonae ac centeſimae Olympiadis*; quod totidem fere verbis, addito *Pythodoti* Archontis nomine, Dionyſius (5) expreſſit; alibique citato Philochori Opere: Ἔςι δὲ ὁ χρόνος κατὰ Πυθόδοτον Ἄρχοντα, ὡς δηλοῖ Φιλόχορος σὺν τοῖς ἄλλοις ἐπὶ τούτου τοῦ Ἄρχοντος *tempus autem* iſtud *incurrit in Pythodoti Archontis annum, ut oſtendit Philochorus una cum aliis ubi de hoc Archonte*.

Archon ipſe, ſed depravato tamen nomine, a Demoſthene (6) memoratur: ψηφισαμένων δὲ ταῦτα τῶν δικαςῶν, διέγραψεν ὁ Ἄρχων Πυθόδωρος κατὰ τὸν νόμον τὴν τουτοῒ τοῦ Ὀλυμπιοδώρου ἀμφισβήτησιν *quod cum Iudices decreviſſent, Archon Pythodorus ipſius Olympiodori poſtulationem ex lege abolevit*. Meurſius ibi *Pythodorum* anni 2. Olymp. CXI. Archontem memorari putavit. Perſpicuis tamen temporum characteribus obſervavi, ibi *Pythodotum* legendum eſſe. Subdit enim Demoſthenes Olympiodorum illum *Pythodori* Archontis eius anno in Acarnania una cum Athenienſibus aliis dimicaſſe. Sed expeditio illa in Acarnaniam non anno 1. Oly. CXI.

(1) Epiſt. ad Ammae. n. 1. (2) Adv. Theocrin. pag. 511. (3) Libr. XVI. c. 70. (4) Libr. V. ſeg. 109. (5) In Dinar. num. 9. & 13. Epiſt. ad Ammae. num. 5. & 11. (6) Adv. Olympiod.

CXI. ſed 2. Olymp. CIX. ſuſcepta fuit; ergo in Demoſthenis textu *Pythodoti* nomen reſtitui debet.

An. $\frac{2}{3}$. Soſigenes Athenis Archon CCCXLII.

Q. Servilius Q. F. Q. N. Ahala
C. Marcius L. F. C. N. Rutilus IV. Coſſ.

In aſſerendo Soſigenis loco tum Diodorus [1], tum Dionyſius [2] conveniunt, qui pluribus in locis Soſigenem hunc veluti Pythodoti ſucceſſorem exhibet. Ita Plutarchus [3] de Aphareo Iſocratis filio loquens ait: *Ἀρξάμενος δὲ ἀπὸ Λυσιστράτου ἄχρι Σωσιγένους ἐν ἔτεσι εἰκοσιοκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἕξ orſus a Lyſiſtrato* Archonte *uſque ad Soſigenem docere, octo ac viginti annorum ſpatio urbanas Fabulas edidit ſex & viginti*.

Huius Archontis anno 20. Gamelionis Attici die Epicurus Neoclis filius ex Gargetto Atticae Populo in lucem editus eſt. Laërtius [4]: *Ἐγεννήθη κατὰ φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς, κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἐννάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ Σωσιγένους Ἄρχοντος μηνὸς Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ, ἔτεσιν ὕστερον τῆς Πλάτωνος τελευτῆς ἑπτὰ naſcitur, ut ait Apollodorus in Chronicis, centeſimae nonae Olympiadis anno tertio, Soſigene Archonte menſis Gamelionis die ſeptimo, ſeptem annis poſt Platonis obitum*.

Annus ipſe Menandro Diopithis filio natalis fuit, ut ex Marmore Romae poſito perſpicue erudimur [5], quod in anno 3. Olymp. CXXII. proferetur, ubi de Menandri ipſius aetate, ac morte agendum erit.

Hoc eodem anno Iſocrates *Panathenaicam* Orationem edidit. Etenim Cicero [6] teſtatur Orationem illam ab Iſocrate *quarto*, & *nonageſimo* anno ſcriptam fuiſſe, ipſumque *quinquennium* poſtea vixiſſe. Itaque, cum Iſocratis mors in annum 3. Olymp. CX. inciderit, Oratio ineunte anno 3. huius Olympiadis edita fuit, qua maiora *Panathenaea* celebrata ſunt.

(1) Lib XVI. c. 73. (2) In Dinar. num. 9. Epiſt. ad Ammae. num. 11. (3) Vita X. Rhet. in Iſocr. (4) Libr. X. ſeg. 9. (5) Gruter. pag. 918. n. 12. (6) In Catone.

Denique obſervandum huic anno 3. Polyclis Archontis nomen Faſtis Atticis inſcribi oportere, quum illud Decreto ſextadecima Boëdromionis menſis die edito praefigatur, idque non alteri, quam huic anno convenire poſſe videatur, ut opportunius alibi (1) demonſtravi.

An. $\frac{3}{4}$. Nicomachus Athenis Archon CCCXLIII.

L. Aimilius L. F. L. N. Mamercinus Privenas
C. Plautius Venno II. Coſſ.

Laidas Thebanus *pancratio puerorum* Pythiade LXI. quae in hunc ipſum Olympiadis annum 3. incidiſſe debuit, palmam obtinuit (2).

Diodorus (3), & Dionyſius (4) etiam Nicomachum Archontem veluti Soſigenis ſucceſſorem exhibent. Ab Ariſtotele (5) quoque Archon ipſe memoratur, ubi Cometen ipſo imperante fulſiſſe dicit: Ἔτι δὲ ἐπ' Ἄρχοντος ἐγένετο Νικομάχυ Ἀθήνησι ὀλίγας ἡμέρας Κομήτης *inſuper etiam Nicomachi* Archontis *Athenienſis* anno *paucis diebus Cometa fuit*. Cometa ipſe a Plinio (6) quoque memoratur: *Semel adhuc iubae effigies mutata in haſtam eſt Olympiade CVIII. Vrbis anno CCCXCVIII.* Vbi Meurſius reſcribendum aſſerit *Olympiade CVIIII. Vrbis anno CCCCXIII.*

Hoc ipſo Nicomachi Archontis anno *Neocles*, & *Nicocles*, veluti Pſeudeponymi Archontes imperarunt, ipſorumque nomina Decretis iis praefiguntur, quibus Athenis ultima Boëdromionis menſis die Legatos eligendos eſſe ſancitur, qui naves a Philipppo Selymbrianos obſidente interceptas repeterent, ac Legatos ipſos re infecta Athenas rediiſſe dicitur, quae fuſius alibi (7) iam expoſui.

OLYM.

(1) Tom. I. pag. 351. (2) Pauſan. Phoc. c. 7. (3) Lib. XVI. c. 74. (4) In Dinar. num. 9. 11. 13. & Epiſt. ad Ammae. num. 11. (5) Meteorol. Lib. 1. c. 7. (6) Lib. II. c. 25. (7) Tom. 1. pag. 353.

OLYMPIAS CX.

An. $\frac{4}{1}$. Per Iul. 4374. Vrb. Cond. 414.
Theophraſtus Aleenſis Athenis Archon CCCXLIV.

T. Manlius L. F. A. N. Imperioſus Torquatus III.
P. Decius Q. F. Mus Coſſ.

Anticles Athenienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Diodoro [1]: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεοφράςȣ Ὀλυμπιὰς ἤχθη δεκάτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Ἀντικλῆς ὁ Ἀθηναῖος *Archonte Athenis Theophraſto centeſima decima Olympias celebrata fuit, qua ſtadio vicit Anticles Athenienſis*. In Africano vero lacuna, quae in ipſius textum irrepſit, victoris huius nomen abſorbuit. Archon ipſe veluti Nicomachi ſucceſſor a Dionyſio [2] exhibetur: Μετὰ Σωσιγένην Ἄρχων ἐςὶ Νικόμαχος, ἐπὶ Νικομάχῳ Θεόφραςος *poſt Soſigenem Archon occurrit Nicomachus, poſt Nicomachum Theophraſtus*; eiuſque Archontis anno inducias inter Philippum, atque Athenienſes diremptas eſſe dicitur: Ἐπὶ δὲ Θεοφράςȣ τȣ̃ μετὰ Νικόμαχον ἄρξαντος ἐλύθησαν *ſub Theophraſto, qui poſt Nicomachum Archon fuit, ſolutae ſunt*. Hoc ipſo Archonte Aeſchines ab Athenienſibus Pylagoras electus fuit, ut perſpicuo Aeſchinis [3] ipſius teſtimonio iam demonſtravi.

Philippus vero Macedonum rex Perinthum Thraciae urbem obſedit, ut Dionyſius [4] Philochori locum exſcribens teſtatur: Θεόφραςος Ἀλαιεύς. Ἐπὶ τȣ́τȣ Φίλιππος τὸ μὲν πρῶτον ἀναπλεύσας Περίνθῳ προσέβαλεν *Theophraſtus Alaëenſis. Sub hoc Philippus tunc primum claſſem Perintho admovit*.

Hoc ipſo 1. Olympiadis huius anno Mneſithides ille Archontis, ſed Pſeudeponymi, munere perfunctus fuit, cuius nomen Decreto 6. Antheſterionis die Athenis edito praefixum fuit. Quamvis enim Meurſius illum cum Mneſitheo an. 4. Olymp. LXXX. Archonte confuderit, perſpicuis tamen, certiſque argumentis oſtendi [5] quod anno 1. Olymp. CX. Novemviris, aut certe Pſeudeponymis Archontibus adſcribi ille debet.

Ita

(1) Lib. XVI. c. 77. (2) Epiſt. ad Ammae. num. 11. & in Dinar. num 9. (3) Adv. Cteſiph. (4) Epiſt. ad Ammae. loc. cit. (5) Tom. I. pag. 356.

Ita quoque facile huic anno veluti Pſeudeponymum Athenis Archontem *Niciam* illud tribuendum eſſe iam dixi [1], qui a Demoſthene memoratur, quamvis a Meurſio cum *Elpine*, vel *Elpinice* confundatur.

Ceterum ex Decretis illis, quae a Demoſthene [2] proferuntur, perſpicue apparet Athenienſes Perinthiis, ac Byzantiis a Philippo obſeſſis ingentes ſuppetias miſiſſe; eique claſſi Phocionem praefectum eſſe Plutarchus [3] memoravit. Itaque Athenienſium, aliorumque concurſu territus Philippus iterum pacem cum Athenienſibus ipſis obſidione intermiſſa firmavit.

An. $\frac{1}{2}$. Lyſimachides Acharnenſis Athenis Archon CCCXLV.

Ti. Aimilius Mamercinus.
Q. Publilius Q. F. Q. N. Philo Coſſ.

Frequens Archontis huius mentio apud Dionyſium occurrit tum *in Dinarcho* [4], tum *in Epiſtola ad Ammaeam* [5]; unde facile ſitus etiam apparet, quo Faſtis inſcribi ille debeat; quemadmodum in Diodoro [6] quoque conſpicitur. Perſpicue quoque ſitus ipſe a Laërtio [7] demonſtratur ubi de Speuſippi morte, & Xenocratis ſucceſſione differens ait; Διεδέξατο δὲ Σπεύσιππον, κὴ ἀφηγήσατο τῆς σχολῆς πέντε κὴ εἴκοσι ἔτη, ἐπὶ Λυσιμαχίδȣ ἀρξάμενος, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς δεκάτης κὴ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος *ſuſcepit autem a Speuſippo Scholam, ac praefuit annos quinque & viginti incipiens ſub Lyſimachide* Archonte *anno ſecundo centeſimae decimae Olympiadis*. Hinc Speuſippi mors non ineunte hac Olympiade, ut Scaliger exiſtimavit, ſed hoc anno 2, contigit; cumque Laërtius aſſerit quod ipſe ἐσχολάρχησεν ἔτη ὀκτὼ *Scholae praefuit annis octo*, de abſolutis annis intelligi debet, cum fere medio Olymp. CVIII. anno 1. Platoni defuncto ſucceſſerit.

Porro Lyſimachidem hunc *Acharnenſem* fuiſſe ex Philochori verbis apud Dionyſium apparet, qui huius Archontis anno Elateam Vrbem a Philippo occupatam fuiſſe [8] teſtatur. Diodorus quidem id ſequentis Archontis anno conti-

(1) Ibi pag. pag. 355. (2) De Coron. (3) In Phoc. (4) Num. 9. (5) Num. 11. (6) Libr. XVI. c. 82. (7) Lib. IV. ſegm. 14. (8) Epiſt. ad Ammae. num. 11.

tigiſſe dicit [1]; ſed ille quae extremo anni 2. tempore contigerunt, facile ad ineuntem 3. revocavit.

An. $\frac{2}{3}$. Chaerondas Athenis Archon CCCXLVI.

L. Furius Sp. F. M. N. Camillus
C. Maenius P. F. P. N. Coſſ.

Chaerondae nomen ſaepius non in Diodoro [2] ſolum, ſed etiam in Aeſchine, Demoſthene, Plutarcho, Dionyſioque nobis occurrit; quorum teſtimonia Meurſius [3] accuratiſſime exſcripſit. In eo tamen Cl. hunc Virum de Faſtis Atticis, omnique Graeca Hiſtoria immortaliter meritum perſpicue certoque deceptum eſſe iam monui [4], quod in ſingulis teſtimoniis illis unum eumdemque Eponymum huius anni Archontem deſignatum eſſe putavit, adeoque teſtimonia ſingula ad annum hunc revocavit. Ego vero ſingulos temporum characteres ſubtilius explorans teſtimonia quaedam ad Eponymum huius anni Archontem referenda eſſe demonſtravi; cum cetera ad Chaerondam alium, vel certe Chaerondam ipſum, ſed tunc Pſeudeponymum, referenda ſint, qui ſuperiori ſolum Olympiadis eiusdem anno inter Novemviros imperavit. Haec aliaque id genus plura eo loci fuſius expoſita ſunt, in quo verum Chaerondae Archontis annum, Veterumque teſtimonia, quibus adſtruitur, explicavi.

Huius Archontis anno Athenienſes, Corinthii, ac Thebani Demoſthenis opera foederati prope Chaeroneam a Philippo ſuperati ſunt [5], atque Iſocrates accepto cladis nuncio e vivis exceſſit. Dionyſius [6]: Ἐτελεύτα τὸν βίον ἐπὶ Χαιρώνδου Ἄρχοντος ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης δυοῖν δέοντα βεβιωκὼς ἔτη *obiit ſub Chaeronda Archonte paucis diebus poſt pugnam Chaeronae commiſſam*. Plutarchus [7] etiam id aſſerit: Ἐτελεύτα δὲ ἐπὶ Χαιρώνδου Ἄρχοντος ἀπαγγελθέντων τῶν περὶ Χαιρωνείαν ἐν τῇ Ἱπποκράτους παλαίστρᾳ πυθόμενος *mortuus eſt ſub Chaeronda Archonte cum in Hippocratis palaeſtra nuncium de Chaeronaea clade accepiſſet*.

Ceterum Athenienſes inſigni hac clade proſtrati Lyſiclem

(1) Cap. 84. (2) Lib. XVI. c. 84. (3) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 11. (4) Tom. I. pag. 358. (5) Diodor. ibid. c. 85. (6) In Iſocr. n. 1. (7) Vita X. Rhet. in Iſocr.

clem belli ducem capitali ſupplicio multarunt, quum ipſum Lycurgus Rhetor accuſaſſet. Philippus tamen victoria moderate uſus amicitiam, ac ſocietatem cum Athenienſibus renovavit; praeſidioque Thebis impoſito Boeotis etiam pacem conceſſit (1).

An. $\frac{3}{4}$. Phrynicus Athenis Archon CCCXLVII.

C. Sulpicius Ser. F. Q. N. Longus
P. Ailius Paetus Coſſ.

Diodoro (2) in Archontis nomine, ac ſitu conſentit Dionyſius (3).

OLYMPIAS CXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4378. Vrb. Cond. 418.
Pythodemus Athenis Archon CCCXLVIII.

L. Papirius L. F. M. N. Craſſus
K. Duilius Coſſ.

Cleomantis Clitorius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro. Corrigendus hic obiter magnus Scaliger, qui *Xenodamum Anticyrenſem* hac Olympiade *pancratio* viciſſe dicit; cum victoria illa ad Oly. CCXI. ſpectaverit. Diodorus (4) tum Olympionicae, tum Archontis etiam meminit, ſed *Pythodorum* ipſum appellat: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθοδώρυ Ὀλυμπιὰς ἤχθη πρώτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα, καθ' ἣν ἐνίκα ϛάδιον Κλεόμαντις Κλιτόριος *Archonte Athenis Pythodoro undecima ſupra centeſimam Olympias celebrata fuit, qua ſtadio vicit Cleomantis Clitorius*. Ita a Demoſthene (5) *Pythodori* nomen effertur: Ψηφισαμένων δὲ ταῦτα τῶν δικαϛῶν, διέγραψεν ὁ Ἄρχων Πυθώδωρος κατὰ τὸν νόμον τὴν τυτυῒ τῦ Ὀλυμπιοδώρυ ἀμφισβήτησιν *quum haec autem Iudices conſtituiſſent, Pythodorus Archon hanc Olympiodori controverſiam iuxta leges ſuſtulit*. Sed Meurſii pace iam demonſtratum quod ibi *Py-*

(1) Diod. ibi. c. 87. (2) Lib. XVI. c. 89. (3) In Dinarcho num. 9. (4) Libr. XVI. c. 91. (5) Adv. Olympiod.

Pythodotus reſcribi debet, ut ad Oly. CIX. iam obſervavi: A Dionyſio [1] tamen Archon ille *Pythodemus* vocatur: Ἕκτος κ εἰκοςὸς ἐςὶν ἀπὸ Νικοφήμȣ Πυθόδημος *Pythodemus autem a Nicophemo ſextus ac viceſimus Archon eſt*; idemque prorſus Archontis nomen in Arriano [2] occurrit, ubi Philippum Macedonum regem huius Archontis anno interemptum eſſe teſtatur: Λέγεται Φίλιππος τελευτῆσαι ἐπὶ Ἄρχοντος Πυθοδήμȣ Ἀθήνῃσι *Philippus Archonte Athenis Pythodemo obiiſſe dicitur*.

Eiuſmodi vero mortem ineunte 1. Olympiadis huius anno, hoc eſt Metagitnione, vel Boëdromione menſe, contigiſſe ex Alexandri regno perſpicue certoque deduci poterit; quum Alexander 28. Thargelionis Attici die anno 1. Olymp. CXIV. e vivis exceſſerit, poſtquam annos 12. menſeſque 8. in regno exegiſſet, ut opportunius ibi oſtendetur.

An. $\frac{I}{a}$. Evaenetus Athenis Archon CCCXLIX.

M. Valerius Corvus IV.
M. Atilius M. F. Regulus Coſſ.

Archontis nomen in Diodoro [3], ac Dionyſio ſemel [4] iterumque occurrit [5] ubi de Ariſtotele Dionyſius loquens ait: Μετὰ δὲ τὴν Φιλίππȣ τελευτὴν, ἐπὶ Εὐαινέτȣ Ἄρχοντος, ἀφικόμενος εἰς Ἀθήνας ἐσχόλασεν ἐν Λυκείῳ χρόνον ἐτῶν δώδεκα *at poſt Philippi mortem, Evaeneto Athenis Archonte, Athenas veniens Scholae praefuit in Lyceo annis duodecim*. Ita propemodum Clemens [6], qui ab Heraclidarum deſcenſu, ſive reditum in Peloponneſum, ad Evaeneti Archontis annum 715. annos fluxiſſe dicit: Ἀπὸ τȣ́τȣ, ἐπ' Εὐαίνετον Ἄρχοντα, ἐφ' ᾧ φασὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν Ἀσίαν διαβῆναι, ἔτη ἑπτακόσια δεκαπέντε *ab hoc uſque ad Evaenetum Archontem, cuius anno ferunt Alexandrum in Aſiam traieciſſe*, numerantur *anni ſeptingenti quindecim*.

Huius Archontis anno Thebae ab Alexandro Macedonum rege circa *Myſteria*, hoc eſt 20 Boëdromionis Attici diem, everſae ſunt. Quamvis enim Euſebius victoriam ex Illy-

(1) In Dinarcho num. 4. (2) De Exped. Alex. Libr. I. (3) Libr. XVII. c. 2. (4) In Dinarcho num. 9. (5) Epiſt. ad Ammae. num. 5. (6) Strom. Libr. I.

Illyriis, Thracibuſque partam, pugnam ad Granicum, Thebarumque cladem anno 3. memoraverit, Diodorus tamen perſpicuos temporis characteres adiecit, quibus excidium illud hoc anno contigiſſe demonſtratur.

Alexander Thebana victoria elatus legatos Athenas miſit, qui Oratores X. atque ipſum inprimis Demoſthenem, & Lycurgum ſibi infenſos dedi poſtularent. Phocion Demoſthenis adverſarius a Populo Demoſthenis oratione commoto exilio damnatus fuit, Demadiſque arte lenitus Alexander [1]. Rex ipſe ineunte vere in Aſiam traiecit Evaeneto Archonte, ut teſtatur Clemens [2], quamvis Diodorus traiectum illum in proximе ſequentem annum revocaverit.

An. $\frac{2}{3}$. Cteſicles Athenis Archon CCCL.

Ti. Veturius Calvinus
Sp. Poſthumius Albinus Coſſ.

Cteſiclis praeter Diodorum [3], ac Dionyſium [4] Plutarchus [5] etiam meminit in Lycurgi Rhetoris Vita: Ἐψηφίσατο δὲ καὶ Διοτίμῳ Διοπείθους Εὐωνυμεῖ τιμὰς ἐπὶ Κτεσικλέους Ἄρχοντος *decrevit etiam honores Diotimo Diopithis filio Evonymenſi ſub Cteſicle* Athenis *Archonte*. Itaque Cteſicles ipſe ab alio cognomine diſtingui debet, quem contra Meurſium Pſeudeponymum habendum eſſe demonſtravi [6].

An. $\frac{3}{4}$. Nicocrates Athenis Archon CCCLI.

A. Cornelius P. F. A. N. Coſſus Arvina II.
Cn. Domitius Coſſ.

Lycormas Lariſſaeus *celete pullorum* Pythiade LXIII. palmam retulit, ut a Pauſania [7] erudimur.

Cteſicli Nicocratem ſucceſſiſſe ſcribit Diodorus [8], ac Dionyſius [9]; idemque Archontis nomen in Arriano [10] reperitur ubi de pugna ille loquitur, quae ad Iſſum flumen com-

(1) Diod. ibi. c. 15. (2) Strom. Lib. I. (3) Libr. XVI. c. 17. (4) In Dinarch. num. 9. (5) Vita X. Rhet. in Lycur. (6) Faſt. Attic. Tom. I. pag. 346. (7) Phocic. c. 7. (8) Lib. XVII. c. 29. (9) In Dinar. num. 9. (10) De Exped. Alex. Lib II.

commiſſa fuit: Τῦτο τέλος τῇ μάχῃ ἐκείνῃ ἐγένετο ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθηναίοις Νικοκράτες μηνὸς Μαιμακτηριῶνος *hunc finem praelium illud habuit ſub Archonte Athenis Nicocrate, Maemacterione menſe.* Ita nimirum *Nicoſtrati* nomen, quod in editis Arriani Codicibus habebatur, in Nicocratis refingi debet.

OLYMPIAS CXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4382. Vrb. Cond. 422.
Nicetes Athenis Archon CCCLII.

L. Valerius Potitus Flaccus
M. Claudius Marcellus Coſſ.

Euryalus Chalcidenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro. Sed in efferendo tum Olympionicae, tum Archontis nomine mira varietas obſervatur. Etenim victor ille ab Africano Εὐρύλας *Eurylas* appellatur, a Diodoro Γρύλος *Grylos*, unde Scaligero *Gryllus* is nominatur.

Calippus Athenienſis *pentathlo* in Ludis ipſis palmam retulit ex Africano. Victoriam ipſam Pauſanias [1] etiam, diſſimulato Olympiadis numero, memoravit.

Archon autem a Dionyſio [2] *Nicetes*, a Diodoro [3] *Niceratus* nominatur: Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Νικηράτε Ὀλυμπιὰς ἤχθη δευτέρα πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα, καθ' ἣν ςάδιον ἐνίκα Γρύλος Χαλκιδεὺς *Archonte Athenis Nicerato Olympias duodecima ſupra centeſimam celebrata fuit, qua Grylus Chalcidenſis e ſtadio palmam obtinuit.* At Arrianus [4] *Anicetem* ipſum appellat: Τύρος μὲν δὲ ὕτως ἑάλω ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀνικήτε Ἀθήνησι, μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος *atque ita quidem Tyrus exciſa fuit Archonte Athenis Aniceto, Hecatombaeone menſe.*

An. $\frac{2}{2}$. Ariſtophanes Athenis Archon CCCLIII.

L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor
C. Poetelius C. F. C. N. Libo Viſolus II. Coſſ.

F 2 Dio-

(1) Eliac. I. c. 21. (2) In Dinarcho num. 9. (3) Libr. XVII. c. 40. (4) De Exped. Alex. Libr. II.

Diodori [1], Dionyſii [2], & Arriani [3] quoque calculo Archontis huius nomen, ac ſitus oſtenditur, qui huius Archontis anno de praelio ad Arbela commiſſo loquens ait: *Τȣ̃το τέλος τῇ μάχῃ ταύτῃ ἐγένετο ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριςοφάνȣς μηνὸς Πυανεψιῶνος finem hunc habuit haec pugna Archonte Athenis Ariſtophane, Pyanepſione menſe.*

Hoc eodem anno Alexandria in Aegypto condita fuit [4]; quamvis id Solinus [5] ad ſuperiorem annum 1. revocaverit. Euſebius id *ſeptimo* Alexandri anno contigiſſe memorat; adeoque in anno 2. huius collocavit.

An. 2/3. Ariſtophon Athenis Archon CCCLIV.

L. Papirius L. F. M. N. Craſſus II.
L. Plautius Venno Coſſ.

Huius Archontis nomen in Diodoro [6], ac Dionyſio [7] reperitur; qui celebrem controverſiam illam, quae inter Aeſchinem, ac Demoſthenem exarſerat, hoc anno diremptam eſſe teſtatur, quum uterque Rhetor Orationem *de Corona* in totius fere Graeciae, quae Athenas confluxerat, conventu recitaſſet [8]: *Οὗτος γὰρ μόνος λόγος εἰς δικαςήριον εἰσελήλυθεν μετὰ τὸν πόλεμον, ἐπ᾽ Ἀριςοφῶντος Ἄρχοντος μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ὀκτὼ δὲ μετὰ Φιλίππȣ τελευτὴν, καθ᾽ ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τὴν ἐν Ἀρβήλοις ἐνίκα μάχην haec enim ſola Oratio in iudicium venit poſt bellum, Ariſtophonte Archonte, unico quidem anno poſt Chaeronenſe praelium, octo vero poſt Philippi mortem, quo tempore Alexander pugna Arbelis commiſſa victoriam obtinuit.* Inſignem hunc Dionyſii locum Meurſius [9] depravatum eſſe contendit, ibique reſcribendum aſſerit *ὀγδόον μὲν ἐνιαυτὸν μετὰ τὴν ἐν χαιρωνείᾳ μάχην, ἕκτον δὲ μετὰ τὴν Φιλίππȣ τελευτὴν octavo quidem anno poſt Chaeronenſe praelium, ſexto vero poſt Philippi mortem*, cum a Chaeronenſi clade ad Ariſtophontis Archontis annum *octo*, a Philippi vero morte *ſex* interceſſerint. Ita quoque corrigendum aſſerit Plutarchi [10] locum, in quo nunc ha-

(1) Lib. XVII. c. 49. (2) In Dinar. n. 9. (3) Exped Alex. Lib. III. c. 15. (4) Diod. c. 52. (5) Cap. (6) Lib. XVII. c. 62. (7) In Dinarch. num. 9. (8) Epiſt. ad Ammae. num. 12. (9) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 13. (10) In Demoſth.

habetur Ἐϛήχθη τότε καὶ ἡ περὶ τοῦ ϛεφάνου γραφὴ κατὰ Κτησιφῶντος, γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαιρώνδου Ἄρχοντος μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν, κριθεῖσα δ' ὕϛερον ἔτεσι δέκα, ἐπ' Ἀριϛοφῶντος *ſub idem tempus in forum deducta eſt etiam actio in Cteſiphontem de Corona, intentata quidem Chaeronda Archonte paulo ante praelium Chaeronenſe, diiudicata vero decennio poſt ſub Ariſtophonte*, ubi reſcribi iubet ἔτεσιν ὀκτὼ *cum a pugna illa Chaeronenſi ad hunc Archontem anni ſint tantum octo*. Clariſſimum tamen Virum utrobique falli, adeoque perperam Plutarchi locum ſollicitare opportunius alibi (1) demonſtravi; quum Meurſius ipſe a Chaerondae Eponymi Archontis anno calculum ſubduxerit, quum potius a Pſeudeponymi Chaerondae aetate ineundus eſſet; qui anno 2. Olymp. CX. Novemviris inſcriptus fuit, ipſoque tunc praeſidente Aeſchines decretum a Cteſiphonte propoſitum accuſavit.

Itaque controverſia illa anno 2. Olymp. CX. inſtituta fuit, tandemque hoc anno, fortaſſe Poſideone menſe, ut alibi conieci, dirempta fuit. Certe controverſiam hanc huius Archontis anno agitatam fuiſſe Theophraſtus (2) etiam oſtendit, qui loquacis eſſe dixit Προσδιηγήσασθαι καὶ τὴν ἐπ' Ἀριϛοφῶντος πότε γενομένην τοῦ Ῥήτορος μάχην *ediſſerere etiam Rhetoris pugnam, quae ſub Ariſtophonte contigit*.

Denique Ariſtophontis mentio in Arriano (3) quoque reperitur, ubi Darium Perſarum regem hoc anno interemptum eſſe teſtatur: τοῦτο τὸ τέλος Δαρείῳ ἐγένετο ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθηναίοις Ἀριϛοφῶντος μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος *finem hunc Darius habuit Archonte Athenis Ariſtophonte, menſe Hecatombaeone*.

An. $\frac{3}{4}$. Cephiſophon Athenis Archon CCCLV.

L. Aimilius L. F. L. N. Mamercinus II.	Coſſ.
C. Plautius P. F. P. N. Decianus	

Diodorus (4) quidem Archontem, hunc *Cephiſontem* appellat, at in Dionyſio (5) *Cephiſophon* nominatur, unde facile in Diodoro quoque *Cephiſophon* reſtitui debet.

OLYM-

(1) Tom. I. pag. 358. (2) Character. c. 8. (3) De Exped. Alex. Lib. III. (4) Lib. XVII. c. 74. (5) In Dinar. num. 9.

OLYMPIAS CXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4386. Vrb Cond. 426.
Euthycritus Athenis Archon CCCLVI.

P. Cornelius Scapula
P. Plautius C. F. P. N. Proculus Coſſ.

Clito Macedo *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, ſed ipſius nomen in Diodori textu excidit.

Argeus Argivus *dolicho* in Olympiis ipſis palmam obtinuit, victoriaque parta ipſius nuncium eadem ipſa die in patriam attulit. Africanus: Ἀ'ργεὺς Ἀ'ργεῖος δόλιχον. ὃς ἐν Ἄ'ργει τὴν ἑαυτῦ νίκην αὐθημερὸν ἀνήγγειλεν *Argeus Argivus dolicho* vicit, *qui eodem ipſo die victoriae a ſe partae nuncius Argos advenit*.

Ceterum Archon a Diodoro (1), ac Dionyſio (2) *Eutychritus*, a Scaligero vero *Euthycrates* appellatur: quod nimirum in vitiatis quibusdam Dionyſii Codicibus ita nomen illud occurreret. Sed verum tamen Archontis nomen ex Attico Marmore oſtendi, probarique poterit, quod a Sponio (3) Athenis exſcriptum, moxque illuſtrandis Atticae Populis editum fuit.

ΑΙΓΗΙΣ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΕΥΑΓΙΔΗΣ ΚΤΗΣΙΟΥ ΦΙΛΑΙΔΗΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΛΥΣΙΜΑΧΙΔΗΣ ΕΠΙΔΑΜΝΙΟΣ ΗΥΛΕΙ
ΧΑΡΙΛΑΟΣ ΛΟΚΡΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ
ΕΥΘΥΚΡΙΤΟΣ ΗΡΧΕΝ

Aegeis Tribus *virorum* certamine *vicit*;
Evagides Cteſiae filius *Philaides Choragum egit*,
Lyſimachides Epidamnius modos fecit,
Charilaus Locrus docuit,
Euthycritus Archon erat.

Facile ad hanc ipſam, vel ſuperiorem Olympiadem revocari poſſe putaverim victoriam, quam Dioxippus Athenien-

(1) Lib. XVII. c. 82. (2) In Dinar. num. 9. (3) Pop. Attic. Art 163. pag. 214.

nienſis *pugilatu* in Olympiis Ludis obtinuit. Etenim ille Alexandri Magni aetate vixit [1], eoque regnante viciſſe videtur, cum mortem mox ſibi conſciverit anno 3. Olymp. CXIII.

Opportune vero nunc obſervandum ab hoc *Euthycrito* uſque ad *Apollodorum*, qui anno 2. Olymp. CXV. Archon fuit, Eponymorum Archontum ſeriem in Diodoro, ſimulque Dionyſio interruptam, mireque vitiatam eſſe, ut opportunius alibi [2] expoſui, ſimulque veram rationem indicavi, qua uterque ex Scriptoribus illis ſuppleri, ſibique conſtare poſſit; ut proinde ex utroque rite emendato eadem prorſus atque ſincera Archontum ſeries habeatur, ut ibi fuſius explicatum fuit, proximiſque etiam annis opportune indicabitur.

Philemon Comicus hac Olympiade ineunte Fabulas docere caepit. Etenim Auctor περὶ Κωμῳδίας *de Comoedia* aſſerit id ante Olymp. CXIII contigiſſe, aſſeritque ab illo 97. Dramata edita fuiſſe, quod etiam Diodoro [3] affirmatum. Quod vero ad ipſius aetatem attinet, Diodorus ipſe 99. annos eum vixiſſe tradit, Suidas 96. Lucianus [4] 97. eiuſque mors anno 3. Olymp. CXXIX. contigiſſe debuit, quo Diodorus ipſius mentionem iniecit.

Ita Crates Thebanus hac Olympiade Athenis floruiſſe dicitur a Laertio [5]: Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν τρίτην, καὶ δεκάτην καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα *floruit vero circa Olympiadem centeſimam decimam tertiam*.

An. $\frac{1}{2}$. Hegemon Athenis Archon CCCLVII.

L. Cornelius Lentulus
Q. Publius Q. F. Q. N. Philo II. Coſſ.

In huius Olympiadis anno ceteriſque pone ſequentibus Diodori Faſtos a Dionyſio, ceteriſque Scriptoribus diſſidere fuſe atque opportune iam monui [6]; ſimulque legem expoſui, qua hiatus ille, qui in Diodori Faſtos irrepſerat, ſuppleri debet. Itaque, licet Diodorus *Chremetem* Archontem huic

(1) Diod. XVII. c. 101. (2) Tom. II. pag. 33. (3) Lib. XXIII. c. 7. (4) Macrob. c. 15. (5) Lib. VI. ſeg. 87. (6) Tom. II. pag.

huic anno adſcribere videatur, perſpicuis tamen certiſque characteribus, & argumentis oſtendi in Diodori Libris, ac hiſtoria lacunam hic reperiri, quae *Hegemonis* Archontis nomen, atque annum abſorbuerit. Ac certe quidem Eponymum huius anni Archontem fuiſſe *Hegemonem* non modo ex nitida Dionyſii [1] ſerie deducitur, qui poſt *Euthycritum* repente *Hegemonem* collocavit, ſed etiam ex Arriano [2], qui Alexandri victoriam ex Poro partam huius Archontis anno contigiſſe memorat: Τῦτο τὸ τέλος τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Πῶρόν τε, κὶ τὺς ἐπέκεινα τῦ Ἰδάσπυ ποταμῦ Ἴνδυς Ἀλεξάνδρῳ ἐγένετο *hic finis belli, quod Alexander adverſus Porum, atque Indos trans Idaſpem fluvium poſitos geſſit.*

An. $\frac{2}{3}$. Chremes Athenis Archon CCCLVIII.

L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor, vel *Mugillanus*
C. Poetelius C. F. C. N. Libo Viſolus Coſſ.

Chremetem anno 3. Oly. CXIII. poſt Hegemonem imperaſſe perſpicuo diſertoque Dionyſii [3] teſtimonio erudimur. Diodorus [4] quidem Chremetem ipſum in *ſecundo* Olympiadis huius anno collocaſſe videtur, ut Anticlem *tertio*, Soſiclem *quarto* tribueret. Sed opportune iam monui [5] Diodori Faſtos ita vitiatos eſſe oportere, ut anno 2. *Hegemon* inſeri, & 4. *Soſicles* expungi debeat; quo certe Diodori, ſimulque Dionyſi ſeries mire conſpirabit. Itaque huic anno ex ipſa quoque Diodori hypotheſi Chremes Archon adſcribi debet.

Ceterum 3. huius Olympiadis anno Harpalus Macedo, qui regiae Gazae praefectus erat, Athenas ex Perſide cum ingenti auri copia confugit, ut Plutarchus [6], Dionyſius [7], Pauſanias [8], aliique plurimi memorarunt.

An.

(1) In Dinarcho num. 9 (2) Exped. Alex. Libr. V. (3) In Dinarcho num. 9. (4) Lib XVII. c. 87. (5) Tomo II pag. (6) In Demoſth. (7) In Dinarcho. (8) Attic.

An. $\frac{3}{4}$. Anticles Athenis Archon CCCLIX.

L. Furius Sp. F. M. N. Camillus II.
D. Iunius Brutus Scaeva Coſſ.

Chremeti non Archontem alium, quam *Anticlem*, ſucceſſiſſe tum ex Diodori (1), tum ex Dionyſii (2) ſerie perſpicue apparet; cum tamen ex Dionyſio quidem Anticles ille 4. ex Diodoro vero anno 3. tribuendus videatur. Verum ex ipſa quoque Diodori hiſtoria, certiſque temporum characteribus, qui in illo ſuperſunt, perſpicuum eſſe deprehendi Anticlem ipſum non alteri, quam poſtremo huius Olympiadis anno, tribuendum eſſe. Quamvis enim illi *Soſicles* a Diodoro adſcribi videatur, quem Dionyſius indictum praeterit, ſatis, opinor, oſtendi (3) *Soſiclem* illum ex Faſtis expungendum eſſe, neque aliunde in Diodori textum irrepſiſſe, quam ex falſa Critici coniectura, qui, cum in vitiatis Diodori libris, poſtquam Hegemonis Archontis nomen exciderat, Archontem unum deeſſe conſpiceret, *Anticlem* ita diſcerpſit, ut *Soſicles* etiam fieret; niſi fortaſſe, cum Soſicles ſuffectus eſſet, adeoque uni eidemque Olympiadis anno tribuendus, Anticlem 3. Soſiclem 4. Olympiadis huius anno adſcripſit.

Certe Dionyſius (4) Anticlis huius imperium circa Alexandri mortem contigiſſe dicit: *ἣν ἐπ' Ἀντικλέους Ἄρχοντος ἀπελογήσατο περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτὴν* *quam* Orationem *Anticle Archonte recitavit, circa Alexandri mortem*.

OLYMPIAS CXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4390. Vrb. Cond. 430.
Hegeſias Athenis Archon CCCLX.

Dictator, & Magiſtri Equitum

Micinas Rhodius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (5).

(1) Libr. XVII. c. 110. (2) In Dinar. num. 9. & Epiſt. ad Ammae. num. 13. (3) Tom. II. pag. 31. (4) Epiſt. ad Ammae. c. 13. (5) Lib. XVII. c. 113.

At in Dionyſii ſerie, vel Archontum Catalogo, *Hegeſias* ille prorſus omittitur, atque in illo poſt *Anticlem* Archontis Cephiſodori nomen occurrit, qui a Diodoro proxime poſt Hegeſiam collocatur. Itaque accuratam illam Dionyſii ſeriem hic abruptam, ac mutilam eſſe demonſtravi (1); ut proinde in illa annuus Archon unus *Hegeſias*, & fortaſſe quoque vel *Soſicles*, vel *Cephiſodorus* alter adiungi debeat, qui uno eodemque Anticlis anno ante Hegeſiam imperaverit. Ita nimirum optime Dionyſii ſeries cum emendata iam, vel reſtituta Diodori ſerie conſpirabit, & in Archontum Catalogo apud Dionyſium LXX. Archontum nomina haberi iam poterunt, quos ille recenſendos ſuſceperat.

Quod enim Hegeſias ille huic anno 1. Olympiadis CXIV. adſcribi debeat peſpicuo quoque Arriani (2) teſtimonio demonſtratur, qui Alexandri mortem huius Archontis anno conſignat: Ἐτελεύτα μὲν δὴ Ἀλέξανδρος τῇ τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ Ὀλυμπιάδι ἐπὶ Ἡγησίου Ἄρχοντος Ἀθήνησιν *obiit vero Alexander quarta decima Olympiade ſupra centeſimam ſub Hegeſia Athenis Archonte*. Ita Ioſephus (3) Alexandri mortem Olympiadi CXIV. adſcribit: Ἀλέξανδρον δὲ τεθνάναι πάντες ὁμολογοῦσιν ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος *Alexandrum vero fatentur omnes Olympiade centeſima decima quarta obiiſſe*. Eiuſmodi vero mortem in annum *primum* incidiſſe ex ipſius aetate maniſeſtiſſime demonſtratur. Etenim Arrianus ait quod ille vixit annos 32. menſeſque 8. anniſque 12. octoque menſibus regnum tenuit. Itaque, cum Alexander Thargelione menſe, ut ait Aelianus (4), hoc eſt Plutarcho teſte 28. Daeſii Macedonici, ſive Thargelionis Attici die e vivis exceſſerit, annoque 1. Olymp. CVI. Hecatombaeonis Attici initio in lucem editus ſit, ipſius mors exeunti fere anno 1. Oly. CXIV. adſcribi debet. Video quidem doctiſſimos etiam Viros in definienda Alexandri morte ſententias alias amplecti. Iuſtinus (5) ait ipſum annos 33. unicumque inſuper menſem vixiſſe. Euſebius 33. aetatis anno, ſimulque 4. ſuperioris Olympiadis e vivis exceſſiſſe dicit. Sed, ut veteres illos minuſque accuratos Scriptores diſſimulem, Petavius Alexandri mortem ineunte anno 1. Olymp.

(1) Tom. II. pag. 24. (2) De Exped. Alex. Lib. VII. (3) Contra Appion. Lib. I. (4) Var. Hiſt. Lib. XII. c. 17. (5) Lib. XII.

Olymp. CXIV. hoc eſt 19. Iulii menſis die anno P. I. 4390. adſcribit [1]; adeoque ipſum 32. ſolidos annos, paucoſque inſuper dies vixiſſe contendit. Hinc Petavius ipſe Thot Alexandri, a quo veluti cardine ſucceſſorum Regum aetas, ac tempora numerantur, atque in annum P. I. 4390. certiſſime inciderat, proxime poſt Alexandri mortem incepiſſe voluit; ut proinde Thot Philippi, qui Cenſorino [2] teſte *ab exceſſu Alexandri* numerari coeperat, Alexandri mortem, ac Philippi Arrhidaei initium proxime conſequatur. Quod vero Plutarchus ex Diariis aſſerat Alexandrum 28. Daeſii Macedonici, ſive Thargelionis Attici, die obiiſſe, adeoque mortem hanc ad exeuntem fere Olympiadis annum, ſive Per. Iul. 4391. revocaſſe videatur, facile cum Scriptoribus aliis componi poſſe putavit Petavius; quod nimirum, mutata Macedonicorum menſium ſerie, Lous non Hecatombaeoni, ſed Boëdromioni, adeoque Daeſius non amplius Thargelioni Attico, ut prius, ſed Hecatombaeoni potius reſponderit, ut ex Philippi regis Epiſtola apud Demoſthenem inferri poſſe arbitratur. Doctiſſimi tamen atque immortalis Viri pace neque Alexandri mors ab exeunte anno 1. huius Olympiadis dimoveri, neque Macedonum Daeſius cum Hecatombaeone Attico committi poterit. Siquidem inſignis ille Demoſthenis locus, in quo Macedonum Lous cum Boëdromione Attico committitur, perſpicue certoque vitiatus haberi debet, ut opportune iam alibi demonſtravi; adeoque ſemper Lous Hecatombaeoni, Daeſius Thargelioni reſpondit. Itaque, ſi Alexander Daeſio menſe propemodum exituro interiit, ipſius mors ad annum Olympicum exeuntem, ideoque P. I. 4391. referri debebit; cum praeſertim Arrianus ipſum 32. annos, atque 8. inſuper menſes vixiſſe dixerit, quod fieri, vel intelligi ſane non poſſet, ſi eodem ipſo Hecatombaeone menſe, quo in lucem prodierat, obiiſſet. Exinde vero certiſſime inferri debet quod Thot Philippi, vel celeberrimus Aerae cardo non ab eo anno deduci debet, qui proxime Alexandri mortem eſt inſequutus, ſed ab illo potius, qui mortem ipſam proxime anteceſſit; quod etiam in Thot Philopatoris obſervatum eſſe iam monui.

(1) Doctr. Temp. Lib. X. c. 33. 34. (2) De die natali c. 18.

Eadem porro dies, quae Alexandrum regem ſuſtulit, Diogeni quoque Cynico Corinthi fatalis fuit, ut a Laërtio, & Plutarcho erudimur. Etenim Plutarchus (1) ait: Ἐμνήσθησαν δὲ καὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως τελευτῆς, καὶ τῆς Διογένους τοῦ κυνὸς ἡμέρᾳ μιᾷ γενομένης *meminerunt etiam mortis Alexandri regis, Diogeniſque Cynici, quae eadem die contigit.* Ita Laërtius (2): Δημήτριος φησὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας Ἀλέξανδρον μὲν ἐν Βαβυλῶνι, Διογένην δ᾽ ἐν Κορίνθῳ τελευτῆσαι *Demetrius dicit eadem die Alexandrum Babylone, Diogenemque Corinthi obiiſſe.* Atque exinde facile natus Suidae error, qui Diogenis, ac Alexandri mortem Olymp. CXIII. adſcripſit: ἐπὶ τῆς ριγ᾽ Ὀλυμπιάδος κατέστρεψε τὸν βίον *Olympiade CXIII e vita exceſſit.* Itaque corrigendus etiam Hieronymus (3), qui Diogenem obiiſſe dicit dum Olympici Ludi agerentur.

An. $\frac{1}{2}$. Cephiſodorus Athenis Archon CCCLXI.

C. Sulpicius Ser. F. Q. N. Longus II.
Q. Aulius Q. F. A. N. Cerretanus Coſſ.

Cephiſodori nomen, ac ſitus tum a Diodoro (4), tum a Dionyſio (5) quoque perſpicue exhibetur, ſi tamen utraque ſeries rite ſuppleta, ac emendata iam fuerit, ut alibi (6) demonſtravi. Arrianus (7) etiam *Cephiſodori* nomen expreſſit, eoque imperante Clearchum ſolviſſe memorat; unde Palmerius (8) aſſerit quod *magnae tenebrae huic loco affunduntur*, quum *Cephiſodori* nomen in Faſtis poſt Hegeſiam occurrat, cuius Archontis anno Alexander e vivis exceſſerat. Ego vero *Cephiſodorum* illum, qui ab Arriano memoratur, ab Eponymo huius anni Archonte diſtinguendum, atque facilius ad annum 4. ſuperioris Olympiadis, veluti Anticli ſuffectum, revocandum eſſe conieci (9).

Denique Cephiſodorum hunc ab Athenaeo (10) quoque memoratum eſſe demonſtravi (11); quamvis Meurſius incertum eſſe putaverit an Athenaei verba ad Cephiſodorum alium referri debeant, qui anno $\frac{2}{3}$. Olymp. CIII. imperavit.

Hoc anno Antipater ab Athenienſibus, ceteriſque Grae-

cis

(1) Symp. Lib. VIII. qu. 1. (2) Lib. VI. ſegm. 79. (3) Adv. Iovinian. Libr. II. (4) Lib. XVIII. c. 2. (5) In Dinar. & Epiſt. ad Ammae. n. 5. (6) Tom. II. pag. 33. (7) In Indic. c. 21. (8) Exercit. (9) Tom. II. pag. 30. (10) Lib. IV. (11) Tom. II. pag. 101.

cis una foederatis ingenti praelio ſuperatus in *Lamiam* Theſſaliae urbem confugit; unde bellum illud *Lamiacum* appellatur. Sed, cum Antipater ipſe diu a Graecis obſeſſus poſt Leoſthenis Athenienſium Imperatoris caedem ſoluta iam obſidione Graecos ipſos adortus eſſet, inſignem de illis victoriam reportavit. Certe Euſebius in anno 2. huius Olympiadis ait: Λαμιακὸς πόλεμος ἐκινήθη *Lamiacum bellum excitatum fuit*; ac Diodorus [1] ipſe varios Lamiaci belli caſus huius Archontis anno memoravit; quemadmodum Samios, qui Dionyſio [2] teſte anno 1. Olymp. CVII. patria ab Athenienſibus expulſi fuerant, non 43. ut in Diodoro legitur, ſed 33 poſt annos a Perdicca patriae ac libertati reſtitutos eſſe teſtatur, ut in Ariſtodemi Archontis anno, hoc eſt 1. Olymp. CVII. demonſtravi.

Ariſtoteli vero hoc ipſo Olympiadis anno Theophraſtus in Peripatetica Schola ſucceſſit, ut perſpicue teſtatur Laërtius [3]: Ἀριστοτέλους εἰς Χαλκίδα ὑποχωρήσαντος αὐτὸς διεδέξατο τὴν Σχόλην Ὀλυμπιάδι τεταρτῇ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ *Ariſtotele in Chalcidem profecto ipſe in Scholae regimine ſucceſſit Olympiade centeſima quarta decima*. Atque eiuſmodi quidem Laërtii locum tum Palmerius, tum Menagius etiam depravatum eſſe contendunt, quod nimirum Ariſtoteles nonniſi anno 3. Olymp. CXIV. in Chalcidem ſecedens obierit. Ego vero nihil in Laërtii textu mutaverim. Siquidem, ubi ille dicit Theophraſtum *Olympiade CXIV.* ſucceſſiſſe, non de 1. Olympiadis eius anno intelligi profecto debet, cum *tertium* quoque deſignare potuerit, dum praeſertim Ariſtotelis mortem ſequentis Archontis anno contigiſſe iam dixiſſet.

An. $\frac{2}{3}$. Philocles Athenis Archon CCCLXII.

Q. Fabius M. F. Maximus Rullianus
L. Fulvius L. F. L. N. Curvus Coſſ.

Diodori [4], ſimulque Dionyſii [5] teſtimonio Philoclis huius nomen, ac ſitus aſſeritur. Quinetiam ex perſpicuo Laërtii [6] loco utrumque facile demonſtratur ubi Ariſtotelem

(1) Lib. XVIII. c. 18. (2) In Dinarcho. (3) Lib. V. ſeg. 36. (4) Lib. XVIII. c. 26. (5) In Dinar. num. 9. (6) Lib. V. ſeg. 10.

lem huius Archontis anno obiiſſe teſtatur: Εἶτα ἀπᾶραι εἰς Χαλκίδα τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς τετάρτης κ̀ δεκάτης, κ̀ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος, κ̀ τελευτῆσαι ἐτῶν τριῶν πȣ κ̀ ἑξήκοντα νόσῳ, ὅτε κ̀ Δημοσθένην κατάςρεψαι ἐν Καλαυρίᾳ ἐπὶ Φιλοκλέȣς *mox perrexiſſe in Chalcidem tertio anno centeſimae quartae decimae Olympiadis, morboque periiſſe cum eſſet annorum ferme ſexaginta trium. Quo etiam tempore Demoſthenes in Calauria defunctus ſit ſub Philocle* Archonte. Ab Ariſtophanico tamen Scholiaſte [1] Archon ille non *Philocles*, ſed *Diocles* appellatur. Μένανδρος Διοπείθȣς υἱὸς Ἀθηναῖος . . ἐδίδαξε πρῶτον, ἔφηβος ὢν, ἐπὶ Διοκλέȣς *Menander Diopithis filius Athenienſis, . . docuit primum, cum adhuc ephebus eſſet, ſub* Archonte *Diocle*. Itaque, cum Menander anno 3. Oly. CIX. in lucem editus ſit, *Philoclis* Archontis anno 20. aetatis annum egerit, adeoque licet ex Ephebis abſoluto iam *duodeviceſimo* aetatis anno exceſſerit, facile tamen *ephebus* adhuc, vel adoleſcens appellari ille potuit.

Quod vero Meurſius Archontem ipſum a Demoſthene [2] *Polyclem*, a Plutarcho *Dioclem* appellari dixerat, accurate iam alibi [3] confutavi, certiſque temporum characteribus oſtendi Archontes illos *Pſeudeponymos* eſſe oportere.

Philoclis huius Archontis anno ſcribit Dionyſius [4] praeſidium in Munychia a Caſſandro, frementibus atque in ſeditionem pronis Athenienſibus, impoſitum fuiſse. Φιλοκλῆς. Ἐπὶ τȣ́τȣ τὴν φρȣρὰν ἐδέξαντο Ἀθηναῖοι, κ̀ ὁ δῆμος κατελύθη. Ἄρχιππος, κ. τ. λ. *Philocles. Sub hoc praeſidium recepere Athenienſes, ac Populus ſolutus eſt. Archippus* &c. Id vero 20. Boëdromionis die contigiſse Plutarchus [5] oſtendit, ubi de Demoſthenis morte loquitur: Οὐ μὲν ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀπέλαυσε τῆς πατρίδος κατελθὼν, ἄλλα ταχὺ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων συντριβέντων. Μεταγειτνιῶνος μὲν ἡ περὶ Κρανῶνα μάχη συνέπεσε, Βοεδρομιῶνος δὲ πάρηλθεν εἰς Μȣνιχίαν ἡ φρȣρὰ, Πυανεψιῶνος δὲ Δημοσθένης ἀπέθανε . . . . κατέςρεψε δὲ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τȣ̃ Πυανεψιῶνος μηνὸς, ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην τῶν θεσμοφορίων ἡμέραν ἄγȣσαι παρὰ τῷ θεῷ νεςεύȣσιν αἱ γυναῖκες *Sed poſt reditum non diu patria frui ei licuit, cum ſtatim res Graecorum concidiſſent. Etenim Metagitnione quidem pugna ad Cranonem commiſſa fuit; Boëdro-*

(1) In Prolegom. (2) Orat. de Corona. (3) Tomo I. pag. 292. (4) In Dinarcho num. 9. (5) In Demoſth.

dromione vero praeſidium Munychiam eſt ingreſſum, Pyanepſione vero Demoſthenes obiit . . . interiit autem ſextadecima Pyanepſionis die, qua mulieres religioſiſſimum Theſmophoriorum diem agentes apud Deam Cererem *ieiunant*; alibique [1] de Phocione loquens ait: Ἑικάδι γὰρ ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη, Μυστηρίων ὄντων, ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεως Ἐλευσῖνα δὲ πέμπουσιν *etenim viceſima Boëdromionis die, cum Myſteria agerentur, & Bacchum ex urbe Eleuſinam deferunt, praeſidium in Munychiam intravit.*

Quod vero ad Demoſthenis mortem attinet, corrigendus obiter Plutarchi locus, in quo dicitur ipſum 50. aetatis annum attigiſſe. Siquidem ab anno 4. Oly. XCVIII. quo ipſum natum eſse iam vidimus, ad annum hunc, Pyanepſionemque menſem 58 ſolidi anni menſeſque *ſex* interceſsere. Itaque in vitiato Plutarchi textu ἓξ, καὶ πεντήκοντα reſcribi debet.

An $\frac{3}{4}$. Archippus Athenis Archon CCCLXIII.

Ti. Veturius Calvinus II.
Sp. Poſthumius Albinus II. Coſſ.

Archippus iſte a Dionyſio [2] repente poſt Philoclem collocatur; quamvis a Diodoro [3], in cuius textu duorum Archontum nomina, & hiſtoriae, quae iis imperantibus memoratae fuerant, exciderunt, *Apollodorus* Philoclis ſucceſſor exprimatur. Itaque Diodoro *Archippi* nomen reſtitui debet; nullusque dubitandi locus ſupererit quin Archippus ille ineunte anno 4. huius Olympiadis Archontis munus ſuſceperit.

Hoc anno ſcribit Euſebius quod Μένανδρος ὁ κωμικὸς Ποιητὴς πρῶτον δρᾶμα διδάξας Ὀργὴν ἐνίκησε *Menander comicus Poëta primam Fabulam edens*, Ὀργὴν nomine, *victoriam obtinuit*.

OLYM-

(1) In Phocic. (2) In Dinar. num. 9. (3) Lib. XVII. c. 44.

OLYMPIAS CXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4394. Vrb. Cond. 434.
Neaechmus Athenis Archon CCCLXIV.

L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor II. Coſſ.
Q. Publilius Q. F. Q. N. Philo III.

Damaſias Amphipolita *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Diodorus enim Olympionicam hunc praeterit, quod & Neaechmi Archontis nomen, reſque *primo* Olympiadis huius anno ab eo memoratae in ipſius textu prorſus exciderint. Itaque huius etiam *Neaechmi* Archontis nomen in Diodori Faſtis agnoſci, vel reſtitui debet; ſicque mira perturbatio, quae in Faſtis Atticis tres Olympiadas CXIII. CXIV. CXV. infecit, omnino dirimetur; atque Diodorus ipſe cum Dionyſio, ceteriſque Scriptoribus plane conſentiet. Ac certe quidem, quod *Neaechmus* Archon Atticis Faſtis inſerendus ſit, eximium quoque Marmor oſtendit, quod Athenis exſcriptum edidit Sponius (1)

ΘΡΑΣΥΛΛΟΣ ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ ΔΕΚΕΛΕΥΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΧΟΡΗΓΩΝ ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΝΔΡΑΣΙΝ ΙΠΠΟΘΟΩΝΤΙΔΙ ΦΙΛΗΙ
ΕΥΙΟΣ ΧΑΛΚΙΔΕΥΣ ΗΥΛΕΙ ΝΕΑΙΧΜΟΣ ΗΡΧΕΝ
ΚΑΡΚΙΔΑΜΟΣ ΣΩΤΙΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ
Thraſyllus Thraſylli filius *Decelenſis dicavit*
Cum Choragum agens in Virorum certamine victoriam
Hippothoontidi Tribui retuliſſet,
Evius Chalcidenſis modos fecit, Neaechmus Archon erat,
Carcidamus Sotius Fabulam docuit.

An. $\frac{1}{2}$. Apollodorus Athenis Archon CCCLXV.

L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor III. Coſſ.
Q. Aulius Q. F. A. N. Cerretanus

In Archontis Apollodori nomine, ac ſitu Diodorus (2) ac

(1) Pop. Attic. Artic. 35. pag. 111. (2) Lib. XVIII. c. 44.

ac Dionyſius [1] etiam conſpirat; ſi modo in Diodoro inter Apollodorum, ac Philoclem anno $\frac{4}{3}$. ſuperioris Olympiadis Archontem duo Archontes alii, *Archippus* ſcilicet, ac *Neaechmus* inſerantur; adeoque Appollodorus iſte non 4. ſuperioris, ſed 2. huius Olympiadis anno tribuatur.

Ceterum huius Archontis anno Athenienſes Demadem ad Antipatrum miſere, ut praeſidium Munychiae impoſitum, quod ille ſe facturum receperat, amoveret. Ille tamen & Demadem, & Demeam eius filium trucidavit paullo ante quam Antipater ipſe moreretur [2]. At Caſſander, ut Athenienſium, aliorumque Graecorum animos in Antipatrum propenſos ſibi conciliaret, omnibus libertatem, ac democratiam conceſſit, iuſſitque ut ipſorum exules πρὸ τῆς τριακάδος τῦ Ξανθικῦ μηνὸς *ante triceſimum Xanthici menſis* diem in Vrbibus reciperentur. Athenienſibus ipſis Sami imperium pridem iis a Perdicca ereptum reſtituit.

Hoc anno Eumenes Cappadociae rex Antigono regi a ſuis traditur, moxque fame interimitur, cum quinque & quadraginta annos natus foret. Id ineunte 3. vel exeunte 2. huius Olympiadis anno contigiſſe collatis invicem Nepotis, Diodori, Plutarchi locis oſtendi [3], quamvis Diorus ipſius mortem in anno 1. Oly. CXVI. collocaverit.

An. $\frac{2}{3}$. Archippus Athenis Archon CCCLXVI.

L. Plautius L. F. L. N. Venno	Coſſ.
M. Foslius C. F. M. N. Flaccinator	

Archippum hunc Apollodoro ſucceſſiſſe nitide diſerteque tum in Diodoro [4], tum in Dionyſio [5] quoque apparet. Facile Archippus ipſe a Theophraſto [6] quoque memoratur ubi de uredine loquens ait: Ἐγένετο δὲ πρότερόν τε πολλάκις ἤδη, καὶ ἐπ' Ἀρχίππε *contigit & antea ſaepius, & etiam ſub Archippo*. Eiuſmodi vero Archippi ſitum ex Diodori calculo fuſius, atque opportunius alibi [7] demonſtravi.

Huius autem Archontis anno Phocionem hauſta cicuta obiiſſe ex variis temporum characteribus oſtendi poteſt.

(1) In Dinar. num. 9. (2) Diod. Lib. XVIII. c. 48. (3) Tom. II. pag. 18. (4) Lib. XVIII. c. 58. (5) In Dinar. n. 9. (6) Hiſt. Plant. Lib. IV. c. 17. (7) Tom. II. p. 18.

Quod vero Meurſius [1] hoc eodem anno paullo ante mortem Phocionem ipſum Archontis munere perfunctum eſſe, ipſique defuncto Archippum hunc ſucceſſiſſe ſcribit, quamvis Cl. Dodvello [2] rectius exiſtimetur, opportunius tamen alibi [3] confutavi; ſimulque oſtendi eximium illum Athenienſium ducem nunquam Eponymum Athenis Archontem fuiſſe, quamvis a Plutarcho [4] Στρατηγὸς, καὶ Ἄρχων *Strategus, & Archon* dicatur.

Hoc eodem anno Demetrius Phalereus Athenienſem Vrbem regendam ſuſcepit, quod ille munus honoremque *decem* annis obtinuit. Certe Laërtius [5] aſſerit quod ille τῆς πόλεως ἐξηγήσατο ἔτη δέκα *Vrbi praefuit annos decem*; idemque Demetrii principatus a Cicerone [6] quoque memoratur. Antequam tamen Demetrius urbem regendam ſuſciperet, dum Nicanor praeſidium a Caſſandro Munychiae impoſitum moderabatur, Caſſander ipſe ex Macedonia ad Antigonum profectus erat, adeoque Polyſperchon, qui Alexandri filiorum tutor erat, Atticam invadere meditabatur; datiſque ad Nicanorem litteris iuſſit ut Piraeeum, ac Munychiam Athenienſibus reſtitueret, quamvis deinde Athenas adveniens Alexander cives concepta ſpe fraudaſſet. Itaque Phocion Alexandro favens capitali ſententia damnatus hauſto veneno interiit. Tandem Athenienſes pace cum Caſſandro inita Demetrium Phalereum velut Vrbis curatorem, ac Praeſidem a Caſſandro recepere.

An. $\frac{3}{4}$. Demogenes Athenis Archon CCCLXVII.

Q. Aimilius Q. F. L. N. Barbula
C. Iunius C. F. C. N. Bubulcus Brutus Coſſ.

Diodoro [7], ſimulque Dionyſio [8] Demogenes hic Archippi ſucceſſor exhibetur.

Huius autem Archontis anno Syracuſis Agathoclis tyrannidem incepiſſe dicit Diodorus: aſſeritque quod *ad annum, qui tyrannidem Agathoclis praecedit, a capta Troia* 866.

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 15. (2) In Archont. Catal. (3) Tom. I. pag. 365 (4) In Phocio. (5) Lib. V. ſeg. 75. Diod. c. 64. (6) De Leg. Lib. III. (7) Lib. XIX. c. 2. (8) In Dinar. num. 9.

866. *anni colliguntur*. Itaque, cum a capta Troia ad annum 1. Olymp. I. Diodorus ipſe 408. annos numeraverit [1], perſpicue apparet initium illud, ac Demogenis magiſtratum ex Diodori calculo in annum 4 Olymp. CXV. collocandum eſſe; ut proinde Archippus ipſius praeceſſor ad annum 3. Olymp. CXV. a Meurſio prorſus immerito revocetur.

Ineunti 4. huius Olympiadis anno Arrhidaeus Alexandri Magni filius una cum Eurydice coniuge interemptus fuit. Etenim Diodorus [2] non modo caedem illam Demogenis Archontis anno adſcribit; verum etiam aſſerit ipſum anno 6. ac menſibus 4. imperaſſe. Itaque, cum Alexander Thargelione menſe anni 1. Olymp. CXIV. obierit, Arrhidaei mors Boëdromioni menſi, ſive Maemacterioni huius anni 4. adſcribenda erit.

OLYMPIAS CXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4398. Vrb. Cond. 438.
Democlides Sphettius Athenis Archon CCCLXVIII.

Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus
M. Popilius M. F. M. N. Laenas Coſſ.

Dinomenes Lacon *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [3]: Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δημοκλείδου Ὀλυμπιὰς ὑπῆρχεν ἕκτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ςάδιον Δεινομένης Λάκων *Archonte Athenis Democlide Olympias ſextadecima ſupra centeſimam acta fuit, qua ſtadio vicit Dinomenes Lacon*. Ab Africano tamen, & Scaligero [4] victor ille *Demoſthenes* appellatur: unde Dodvellus [5] incaute aſſeruit Archontem ipſum ab Euſebio *Demoſthenem* vocari.

Archontis vero Democlidis nomen non a Diodoro ſolum, ſed a Dionyſio [6] quoque exhibetur; cumque Plutarchus Democlidis Sphettii in *Demetrii regis Vita* meminerit, vix dubitaverim hunc unum, eundemque fuiſſe, qui Eponymus Athenis Archon proceſſit.

Quum Caſſander Thebanam urbem iam ab anno 2. Oly.

(1) Lib. I. c. 5. (2) Lib. XIX. c. 11. (3) Lib. XIX. c. 17. (4) Collect. Hiſt. pag. 333. (5) In Catal. Arch. (6) In Dinar. num. 9.

CXI. ab Alexandro everſam *viceſimo* tandem anno reſtaurari cuperet, Athenienſes ipſi opes, atque ſubſidia contulere, maximamque muri partem pecunia ſua inſtaurarunt [1].

An. $\frac{1}{2}$. Praxibulus Athenis Archon CCCLXIX.

L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor IV.
Q. Poblilius Q. F. Q. N. Philo IV. Coſſ.

Praeter Diodorum [2], ac Dionyſium [3] Theophraſtus [4] etiam Praxibulum hunc memoravit: Οὐ παλαιὸν δ' ἐϛὶν, ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιϛα ἐνενήκοντα, εἰς Ἄρχοντα Πραξίβυλον *antiquum vero non eſt, ſed ante annos maxime nonaginta, ante Praxibulum Archontem*. Hinc Plinius [5] ipſe Theophraſti inſtar de cinnabaris inventione diſſerens ait: *Theophraſtus nonaginta annis ante Praxibulum Athenienſium Magiſtratum tradit inventum*. Itaque cinnabaris inventi tempus ad Olymp. XCIII. annum 4. referri debet, ut ibi quoque obſervavimus.

Illud autem hic opportune obſervandum, quod Caſſander, Diodoro [6] teſte, hoc ipſo 2. Olympiadis anno *Nemeacis* Ludis interfuit, antequam in Macedoniam rediret. Petavius, Dodvellus, ac Veslingius ipſe putavit tum Nemeos Ludos, tum Caſſandri reditum, qui proxime ſequenti anno contigerat, ad annum hunc a Diodoro revocatos fuiſſe, quod ipſorum quilibet Nemea *primis*, ac *tertiis* Olympiadum annis inſtaurari conſueviſſe cenſeret. Sed inſignem hunc errorem opportunius alibi in *Agoniſticis Diſſertationibus* demonſtravi; ut proinde Diodoro haec erroris labes inuri non debeat.

An. $\frac{2}{3}$. Nicodorus Athenis Archon CCCLXX.

M. Poetelius M. F. M. N. Libo
C. Sulpicius Ser. F. Q. N. Longus III. Coſſ.

Solo Diodori [7], ac Dionyſii [8] teſtimonio Nicodori nomen, & ſitus oſtendi poteſt. Etenim Plinius huius quidem

(1) Diod. ibi c. 54. (2) Lib. XIX. c. 55. (3) In Dinar. n. 9. (4) De Lapidib. (5) Lib. XXXIII. c. 7. (6) Ibi c. 64. (7) Lib. XIX. c. 66. (8) In Dinar. n. 9.

dem Archontis nomen expreſſit, ſed, quum annorum numerus in eius textu vitiatus ſit, ex Faſtis ipſis corrigendus erit. Ait enim (1): *Clitarchus in eo Volumine, quod ſcripſit Nicodoro Athenienſium Magiſtratui, qui fuit Urbis noſtrae CCCCLX. anno*. Annus ille Vrb. Cond. cum 2. Oly. CXX. concurrit, quo *Nicoſtratus* Archon fuit. Ergo in Plinii textu vel Nicoſtratus legi, vel potius numerus CCCCXL. reſcribi debet.

Huius Archontis anno Xenocrates e vivis exceſſit; ipſique Polemon in Platonica Schola ſucceſſit. Siquidem Laërtius (2) aſſerit quod Polemon οὕτως ἐγένετο φιλόπονος ὡς ὑπερβάλλεσθαι τοὺς ἄλλους, καὶ αὐτὸν διαδέξασθαι τὴν σχολὴν ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς ἕκτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος *laboris adeo patiens fuit, ut alios ſuperaret, ac ipſe Scholam regeret ab Olympiade centeſima decima ſexta incipiens*. Hinc, cum Xenocrates anno 2. Olymp. CX. Speuſippo ſuccedens per 25. annos Scholae praefuerit, ut Laërtius ipſe iam dixerat, Polemonis initium huic anno adſcribi debet.

An. $\frac{3}{4}$. Theophraſtus Athenis Archon CCCLXXI.

L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor V.	Coſſ.
C. Iunius C. F. C. N. Bubulcus Brutus II.	

Archon ille a Diodoro (3), Dionyſioque (4) nobis exhibetur; ut proinde de ipſius nomine, ac ſitu dubitare non liceat.

OLYMPIAS CXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4402. Vrb. Cond. 442.
Polemon Athenis Archon CCCLXXII.

M. Valerius M. F. M. N. Maximus	Coſſ.
P. Decius P. F. Q. N. Mus	

Parmenion Mitylenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro (5): Ἀθήνησι ἦρχε Πολέμων. ἤχθη δὲ Ὀλυμπιὰς

πιὰς

(1) Lib. III. c. 5. (2) Lib. III. ſeg. 17. (3) Lib. XIX. c. 73. (4) In Dinar. num. 9. (5) Lib. XIX. c. 77.

πιὰς κατὰ τῦτον ἑβδόμη πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα, καθ' ἣν ἐνίκα ςάδιον Παρμενίων Μιτυληναῖος *Athenis Archon erat Polemon, & acta fuit Olympias centeſima decima ſeptima, qua Parmenion Mitylenaeus ſtadio palmam obtinuit*. At victor ille ab Africano *Parmenides* appellatur.

Archontis vero nomen, ac ſitus perſpicue in Dionyſii (1) quoque ſerie nobis occurrit.

Huius Archontis anno narrat Diodorus (2) Ptolemaeum Antigoni regis Legatum, quum Caſſander in Macedoniam digreſſus foret, in Atticam veniſſe, adeoque Athenienſes libertatis recuperandae ſtudio incenſos Demetrium ipſum Phalereum, qui Caſſandri nomine Vrbem regebat, adegiſſe, ut cum Antigono rege ſocietatem iniret.

Illud hic etiam opportune obſervandum, quod ab hoc anno 1. Oly. CXVII. Antiocheni, atque Arabes etiam in Aera ſua, quam *Alexandri*, ſive δικέρωτος *bicornis* appellant, annos numerare coeperunt; quamvis initium ipſum 13. annis Alexandri morte poſterius ſit (3).

An. $\frac{2}{2}$. Simonides Athenis Archon CCCLXXIII.

C. Iunius C. F. C. N. Bubulcus Brutus III.
Q. Aimilius Q. F. L. N. Barbula II. Coſſ.

Archontis huius nomen, ac ſitus perſpicue a Diodoro (4), Dionyſio (5), ac Theophraſto (6) quoque indicatur. Etenim ille de laſerpitio differens ait: Φασὶ οἱ Κυρηναῖοι φανῆναι τὸ σίλφιον ἔτεσι πρότερον, ἢ αὐτοὶ τὴν πόλιν ᾤκησαν, ἑπτα. οἰκῦσι δὲ μάλιςα περὶ τριακόσια εἰς Σιμωνίδην Α'ρχοντα Α'θήνησιν *Cyrenenſes aſſerunt laſerpitium apparuiſſe ſeptem annis antequam ipſi Vrbem incolerent*. Vrbem vero *habitare coeperunt trecentis circiter annis ante Simonidem Athenis Archontem*.

Itaque a Cyrenarum conditu ad Simonidis Archontis annum 300. circiter annos Theophraſtus enumerat, quod cum Solini (7) teſtimonio mire conſentit, qui Cyrenas a Batto Lacedaemonio *Olympiade prima & quadrageſima* condi-

(1) In Dinar. num. 9. (2) Ibi. c. 78. (3) Vid. Scal. Anim. in Euſeb. pag. 119. Petav. Doctr. Temp. Lib. X. (4) Lib. XIX. c. 105. (5) In Dinar. num. 9. (6) Hiſt. Plantar. Lib. VI. c. 3. (7) Cap. 30.

ditas eſſe teſtatur; quamvis Plinius [1] Theophraſti locum exſcribens Cyrenas CXLIII. Romae Vrbis Conditae anno aedificatas eſſe putaverit.

An. $\frac{2}{3}$. Hieromnemon Athenis Archon CCCLXXIV.

Q. Fabius M. F. M. N. Maximus Rullianus II. Coſſ.
C. Marcius C. F. L. N. Rutilus

Hic etiam Archon a Diodoro [2], ſimulque Dionyſio [3] memoratur. Diodorus autem ad Hieromnemonis Archontis annum, quo Agathocles Syracuſarum tyrannus in Africam traiecit, a Troia diruta numerat annos 880. quod cum Diodori calculo ſemel iterumque iam alibi conſtituto conſtare non poterit, niſi facili levique mutatione 870. reſcribatur.

Epicurus hoc anno Mitylene primum, tum Lampſaci Scholam inſtituit. Siquidem Laërtius [4] aſſerit Scholam illam 32. aetatis anno ab ipſo inſtitutam fuiſſe, qui in *ſecundum* huuc Olympiadis annum incidit. Quum vero Laërtius ipſe alibi [5] ſcribit Epicurum ἐπὶ Ἀναξικράτȣς *ſub Anaxicrate* Archonte Athenas veniſſe, poſtquam Scholae Lampſaci, ac Mitylene inſtitutae per *quinquennium* praefuerat, de affecto ſolum quinquennii ſpatio intelligi debet, cum Anaxicrates anno 2. ſequentis Olympiadis imperaverit.

An. $\frac{3}{4}$. Demetrius Phalereus Athenis Archon CCCLXXV.

Dictator, & Magiſtri Equitum

Ceteros Archontes omnes & ingenii gloria & doctrinae praeſtantia ſuperavit Eponymus huius anni Archon Demetrius, qui Vrbem ipſam difficillimis temporibus *decennio* gubernavit. Itaque non modo ſupremam hanc Archontis Eponymi dignitatem merito obtinuit, ut proinde in Faſtis tum a Diodoro [6], tum a Dionyſio [7] quoque collocetur, verum etiam in ſolemni Dionyſiorum pompa, quam ille pro Epony-

(1) Libr. XIV. c. 3. (2) Libr. XX. c. 3. (3) In Dinar. num. 9. (4) Libr. X. ſeg. 15. (5) Segm. 2. (6) Lib. XX. c. 27. (7) In Dinar. num. 9.

ponymi Archontis munere celebravit, a Choro carminibus honoratus fuit, ut ex Athenaeo (1) erudimur: Ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν Διονυσίων, ἣν ἔπεμπεν Ἄρχων γενόμενος, ᾖδεν χορὸς εἰς αὐτὸν ποιήματα *in Dionyſiorum pompa, quam ipſe dum Archon foret inſtituit, Chorus in ipſum Poëmata cecinit*. Tunc facile Demetrius ipſe Faſtis iam inſcriptus Archontum omnium ſeriem, hoc eſt Ἀρχόντων Ἀναγραφὴν adornavit, quae, quamvis a Laërtio (2) in Anaxagora, ac ſemel iterumque in Thalete (3) laudetur, in recenſendis tamen Demetrii ipſius ſcriptis omittitur.

Quum Euryclides Hierophanta Theodorum Atheum apud Areopagitas impietatis accuſaſſet, Demetrius Phalereus ipſum iudicio ereptum ad Ptolemaeum Soterem miſit; ut Euſebius in anno 4. huius Olympiadis memoravit.

Hoc eodem anno 3. propemodum exeunte LXIX. Pythias celebrata fuit, in qua Ptolemaeus Lagi filius *biga pullorum equorum* victoriam obtinuit, ut a Pauſania (4) erudimur.

OLYMPIAS CXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4406. Vrb. Cond. 446.
Charinus Athenis Archon CCCLXXVI.

P. Decius P. F. Q. N. Mus II. Coſſ.
Q. Fabius M. F. Maximus Rullus III.

Apollonides Tegeates *ſtadio* vicit Olympia ex Diodoro; quamvis in Africano victoria illa *Andromeni Corinthio* tribuatur, quem inſequenti quoque Olympiade viciſſe ille memorat.

Antenor Athenienſis, ſive Mileſius *pancratio* in Ludis ipſis palmam obtinuit: Africanus: Ἀντήνωρ Ἀθηναῖος, ἢ Μιλήσιος παγκράτιον, ἀκόντιον, περιοδονίκης ἄλημπτος ἐν ταῖς τρίσιν ἡλικίαις *Antenor Athenienſis, vel Mileſius pancratio & iaculo vicit, fuitque Periodonica invictus inter trium aetatum certantes*, pueros nimirum, adoleſcentes, ac adultos viros.

Ita

(1) Libr. XII. c. 11. (2) Libr. II. ſegm. 7. (3) Libr. I. ſegm. 22. (4) Phocic. c. 7.

Ita Eponymus huius anni Archon a Diodoro quidem *Charinus* vocatur (1) : Ἐπ᾽ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Χαρίνȣ παρὰ τοῖς Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ὀγδόη πρὸς ταῖς ἑκατὸν ϗ δέκα, καθ᾽ ἣν ἐνίκα ϛάδιον Ἀπολλωνίδης Τεγεάτης *Archonte Athenis Charino apud Eleos Olympias octava ac decima ſupra centeſimam celebrata fuit, qua ſtadio vicit Apollonides Tegeates*; in Dionyſio (2) vero *Caerimus* appellatur. Sed vitiatum hunc Dionyſii locum corrigendum eſſe demonſtrat Seneca (3), qui Archontem hunc, Diodori inſtar, *Charinum* vocavit, ubi de Epicuri Epiſtolis loquens ait: *Hoc certe Epicurus in his Epiſtolis ait, quas ſcripſit, Charino Magiſtratu, ad Polyaenum*.

Archontem ipſum a Pauſania memorari tum Sylburgius, tum Khunius exiſtimarunt. Etenim, quum Pauſanias (4) Equum Durium ex aere Athenis poſitum deſcripſiſſet, ſubdit: Ἀνδριάντων δὲ ὅσοι μετὰ τὸν ἵππον ἑςήκασιν, ἐπὶ Χαρίνȣ μὲν ὁπλιτοδρομεῖν ἀσκήσαντος τὴν εἰκόνα ἐποίησε Κριτίας *inter ceteras vero ſtatuas, quae poſitae ſecundum Equum ſunt, Epicharmi, qui ſe in armatorum curſu exercuit ſub Charino, imaginem videas a Critia factam*. Amaſaeus reſcribi iuſſerat Ἐπιχάρμȣ, Khunius ἐπὶ Χαρίνȣ retinendum aſſerit, ut exprimatur Critiam Archonte Charino *viri in armis currentis ſtatuam* feciſſe.

Hoc anno Athenis a Demetrio Phalereo cenſus inſtitutus fuit, ut ex Athenaeo (5) erudimur: Κτησικλῆς δ᾽ ἐν τρίτῃ Χρονικῶν τῇ δεκάτῃ πρὸς ταῖς ἑκατὸν φησὶν Ὀλυμπιάδι, Ἀθήνησιν ἐξετασμὸν γενέσθαι ὑπὸ Δημητρίȣ τȣ̃ Φαληρέως τῶν κατοικȣ́ντων τὴν Ἀττικὴν *Cteſicles Libro Chronicorum tertio ſcribit centeſima & decima Olympiade Demetrium Phalereum Attice incolas recenſuiſſe*. Quo certe loci Olymp. CXVIII. numerus Scaligero (6) duce reponi debet; quamvis Scaliger ipſe vitiatum Athenaei textum alibi (7) ſequutus cenſum illum in anno 1. Olymp. CX. collocaverit.

(1) Libr. XX. c. 37. (2) In Dinar. num. 9. (3) Epiſt. XVIII. (4) Attic. c. 23. (5) Lib. VI. c. 20. (6) In Euſeb. Chr. pag. 120. (7) Collect. Hiſt. pag. 332.

An $\frac{1}{2}$. Anaxicrates Athenis Archon CCCLXXVII.

Ap. Claudius C. F. Ap. N. Caecus
L. Volumnius C. F. C. N. Flamma Violenſis Coſſ.

Frequens Archontis huius mentio tum in Dionyſio, tum in ceteris etiam Scriptoribus reperitur. Ac Dionyſius [1] quidem aſſerit quod huius Archontis anno ἡ καταςαθεῖσα ὑπὸ Κασσάνδρυ ὀλιγαρχία κατελύθη . . . ἐπὶ Ἀναξικράτυς Ἄρχοντος κατέλυσαν τὴν ἐν τῇ Μυνυχίᾳ φρυρὰν ὑπὸ Κασσάνδρυ καταςθεῖσαν οἱ περὶ Ἀντίγονον, ϗ Δημήτριον βασιλεῖς *Oligarchia a Caſſandro conſtituta ſublata fuit . . . ſub Anaxicrate Archonte praeſidium a Caſſandro Munychiae impoſitum Antigonus, ac Demetrius reges ſuſtulerunt*, ſubditque quod Dinarchus ἐλθὼν εἰς Χαλκίδα τὴν ἐν Εὐβοίᾳ τὸν ἀπὸ Ἀναξικράτυς ἕως Φιλίππυ πεντεκαίδεκα ἔτη γενόμενον ἐκεῖ διέτριψεν *in Chalcidem Euboeae veniens temporis ſpatium ab Anaxicrate Archonte ad Philippum uſque intercedens, quod quindecim annorum fuit, ibi moratus eſt*. Eadem fere in *Dinarchi Vita* Plutarchus [2]: Ἐπ' Ἀναξικράτυς Ἄρχοντος ἔφυγεν εἰς Χαλκίδα *ſub Anaxicrate Archonte aufugit in Chalcidem*. Itaque ex his perſpicuis temporum characteribus manifeſte apparet Anaxicratem hunc anno 2. Olymp. CXVIII. imperaſſe, cui a Diodoro [3] quoque tum Anaxicratis nomen, tum Oligarchiae, praeſidiique finis tribuitur.

Archon ipſe a Laërtio [4] quoque memoratur, qui, cum Epicurum Samo Colophonem conceſſiſſe ſcripſiſſet, ſubdit: Χρόνον δέ τινα διατρίψαντα αὐτόθι ϗ μαθητὰς ἀθροίσαντα φησὶν Ἡρακλείδης πάλιν ἐπανελθεῖν εἰς Ἀθήνας ἐπὶ Ἀναξικράτυς *ubi cum aliquandiu commoratus eſſet, congregaſſetque diſcipulos, Athenas iterum rediiſſe Archonte Anaxicrate dicit Heraclides*.

Denique Plutarchus [5] huius Archontis anno aeream ſtatuam Lycurgo Rhetori decretam eſſe teſtatur: Ἀνάκειται δὲ αὐτῦ χαλκῆ εἰκὼν ἐν Κεραμικῷ κατὰ ψήφισμα ἐπὶ Ἀναξικράτυς Ἄρχοντος *aerea ipſius ſtatua in Ceramico poſita eſt iuxta decretum ſub Anaxicrate Archonte editum*.

Hu-

(1) In Dinar. num. 2. & 3. (2) Vita X. Rhet. (3) Lib. XX. c. 45. (4) Lib. X. ſeg. 2. (5) Vit. X. Rhet. in Lycurgo.

Huius autem Archontis anno exeunte Thargelione menſe Munychia, quae a Caſſandro occupata fuerat [1], a Demetrio Antigoni regis filio ſuperata, atque Athenienſibus reſtituta fuit [2]; quemamdmodum prius Megara quoque liberaverat [3]. Tum vero Athenienſes ipſi laetitia, effuſaque aſſentatione perciti non modo Antigono, Demetrioque aureas ſtatuas prope Harmodium, atque Ariſtogitonem collocarunt; verum etiam illos *Servatorum* nomine decorarunt, ipſis Sacerdotes conſecrarunt, duaſque novas Tribus adiecere, quarum una *Antigonis*, alia *Demetrias* vocaretur.

Itaque hoc 2. Olympiadis anno Demetrius Phalereus, qui Caſſandri regis nomine Athenienſium urbi praeerat, atque anno ſuperiori Eponymi Archontis munere perfunctus erat, reddita Athenis libertate in Aegyptum conceſſiſſe videtur, quamvis id Euſebius in anno 1. memoraverit: Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Ἀθηναίοις ἀποδοὺς τὴν δημοκρατίαν ἦλθεν εἰς Ἄιγυπτον *Demetrius Phalereus reſtituta Athenienſibus Democratia in Aegyptum venit*. Mox Demetrius ipſe ab ingratis civibus capitis abſens damnatus, & 360. ſtatuae, quae ipſi Athenis excitatae fuerant, everſae ſunt.

An. $\frac{2}{3}$. Coroebus Athenis Archon CCCLXXVIII.

Q. Marcius Q. F. Q. N. Tremulus
P. Cornelius A. F. P. N. Arvina Coſſ.

Anaxicrati *Corybum* ſucceſſiſſe dicit Diodorus [4], ſed Archontem hunc Dionyſius [5] *Coroebum* vocavit; primuſque certe cenſeri ille debet, qui Ἱερεὺς Σωτήρων *Sacerdos Servatorum* vocatus fuerit, quos ſublatis Eponymis Archontibus in Antigoni, & Demetrii honorem inſtitutos eſſe iam monui [6].

Ineunte Coroebi Archontis anno, decimus quintus a pugna Lamiaca annus agebatur. Siquidem pugna illa anno 1. Oly. CXIV. proxime poſt Alexandri mortem contigerat.

Huius Archontis anno lex edita videtur, qua Philoſophi Athenis excedere iubebantur. Legem hanc memorat

 in

(1) Plutar. in Demoſth. (2) Diodor. ibi. c. 45. (3) Dionyſ. & Plutar. in Demetr. (4) Lib. XX. c. 73. (5) In Dinar. num. 9. (6) Tom. I. pag. 39.

in *Theophraſti Vita* Laërtius [1]: Ἀπεδήμησε πρὸς ὀλίγον καὶ οὗτος, καὶ πάντες οἱ λοιποὶ φιλόσοφοι. Σοφοκλέους τοῦ Ἀμφικλείδου νόμον εἰσενεγκόντος, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ· εἰ δὲ μὴ, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. Ἀλλὰ αὖθις ἐπανῆλθον εἰς νέωτα Φιλλίωνος τὸν Σοφοκλέα γραψαμένου παρανόμων *ſeceſſit ad breve tempus & ipſe, omneſque Philoſophi reliqui. Nam Sophocles Amphiclidae filius legem tulerat, ne quis Philoſophorum praeeſſet ſcholae, niſi id Senatus, ac Plebs decreviſſet; qui ſecus faceret, capite damnaretur. Verum ſequentis anni principio reverſi ſunt, cum a Phillione Sophocli dies dictus eſſet.* Eandem quoque legem iisdem fere verbis memorat Pollux [2], atque Athenaeus [3], qui addit καθ' οὗ Σοφοκλέους λόγον ἔγραψε Φίλων Ἀριστοτέλους γνώριμος, Ἀπολογίαν ὑπὲρ τοῦ Σοφοκλέως Δημοχάρους πεποιηκότος τοῦ Δημοσθένους ἀνεψιοῦ *contra quem Sophoclem Orationem ſcripſit Philo Ariſtotelis familiaris, quum Sophoclis Apologiam Demochares Demoſthenis conſobrinus feciſſet.* Vbi vides Scriptorem illum *Philonem* ab Athenaeo, *Phillionem* a Laërtio vocari. Certe Laërtius ipſe mox [4] *Philionem Alopecenſem* memorat. Sophocles autem ille, qui iniuſtam adeo legem tulerat, Anticlidae filius *Sunienſis* erat, ut Pollux obſervavit. Itaque praeclare fallitur Fabricius [5] vir ſane de Graecis Latiniſque Litteris immortaliter meritus, qui laudato Athenaei loco, in quo legitur: Δημοχάρης ὁ Ῥήτωρ ἐν τῷ ὑπὲρ Σοφοκλέους πρὸς Φίλωνα *Demochares Rhetor in Oratione pro Sophocle ad Philonem*, ibi de Sophocle Tragico rem eſſe dicit, qui iampridem Olymp. XCIII. e vivis exceſſerat.

An. 3/4. Euxenippus Athenis Archon CCCLXXIX.

L. Poſthumius L. F. Sp. N. Megellus
Ti. Minucius Augurinus, cui ſuffectus Coſſ.
M. Fulvius L. F. L. N. Carvus Paetinus

Quamvis Archon ille a Diodoro [6] *Xenippus* vocetur, *Euxenippus* tamen appellandus erit, quum Dionyſius [7] ita eius

(1) Libr. V. ſeg. 38. (2) Libr. IX. c. 5. (3) Libr. XIII. c. 9. (4) Segm. 57. (5) Bibl. Graec. Tomo I. pag. 620. (6) Libr. XX. c. 81. (7) In Dinar., n. 9.

eius nomen ſemel iterumque nobis expreſſerit. Quid vero quod Meurſius [1] inſigni ſane oſcitantia Archontem ipſum a Plutarcho [2] *Xeniam* appellatum eſſe putavit, ubi de Hyperi de loquens ait Γραψάμενος δὲ καὶ τὴν Φωκίωνος δωρεὰν, ἣν εἶπε Μειδίας Μειδίου Ἀναγυράσιος ἐπὶ Ξενίου Ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ φθίνοντος, ἡττήθη *cum honores Phocioni a Midia Anagyraſio Midiae filio decretos accuſaſſet, ſub Xenia Archonte, Gamelionis menſis vigeſima quarta die ſuperatus eſt*. Phocion anno 3. Olymp. CXV. atque Hyperides ipſe anno 3. Oly. CXIV. e vivis exceſſerat, ergo Hyperides huius *Xenippi*, vel *Euxenippi* anno honores Phocioni decernere certe non poterat; adeoque *Xenias* ille, qui a Plutarcho memoratur, Hyperide Phocioneque ſuperſtitibus imperavit, ac *Pſeudeponymus* ſolum Archon haberi debet, ut opportunius alibi [3] iam demonſtratum. Itaque corrigendus Dodvelli [4] locus, in quo Euxenippum hunc a Plutarcho *Xeniam* vocari putavit.

OLYMPIAS CXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per Iul. 4410. Vrb. Cond. 450.
Pherecles Athenis Archon CCCLXXX.

P. Sempronius P. F. C. N. Sophus
P. Sulpicius Ser. F. P. N. Saverrio Coſſ.

Andromenes Corinthius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Diodoro [5]: Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Φερεκλῆς, Ὀλυμπιὰς δ' ἤχθη παρὰ τοῖς Ἠλείοις ἐννάτη πρὸς ἑκατὸν δέκα *Athenis quidem Archon fuit Pherecles, Olympias vero decima nona ſupra centeſimam ab Eleis celebrata fuit*. Dionyſius [6] etiam in Archontum ſerie Phereclem hunc Euxenippi ſucceſſorem exhibet.

An.

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 16. (2) Vita X. Rhet. in Hyperide. (3) Tom. I. pag. 365. (4) Catalog. Archon. (5) Lib. XX. c. 91. (6) In Dinar. num. 1.

An. $\frac{I}{2}$. Leoſtratus Athenis Archon CCCLXXXI.

Ser. Corn. Cn. F. Cn. Lentulus
L. Genucius Aventinenſis Coſſ.

Leoſtrati nomen ac ſitum Diodorus (1), atuqe Dionyſius (2) indicarunt.

An. $\frac{I}{3}$. Nicocles Athenis Archon CCCLXXXII.

M. Livius F. C. N. Denter
M. Aimilius L. F. L. N. Paullus Coſſ.

In efferendo Archontis nomine, ac ſitu Dionyſius (3) optime cum Diodoro (4) conſpirat. Atque utinam quidem aureum illud Diodori opus integrum ad haec uſque tempora perveniſſet, ut ipſius praeſidio tum plurima Hiſtoriae capita, tum pleni Archontum Athenienſium Faſti haberi poſſent! Quandoquidem vero perpetua illa Archontum ſeries a Diodoro contexta nos deſerit, ac *Nicocles* iſte omnium poſtremus apud illum occurrit, Archontes ceteros mox inſequentes vel ex Scriptoribus aliis, vel ex Marmoribus inquirere, atque proferre conabimur.

Ceterum Meurſius ipſe iam viderat Nicoclem huius anni Archontem ab alio *Nicocle* diſtinguendum eſſe, qui a Demoſthene (5) nominatur, ut opportunius alibi obſervavi. Neque tamen Meurſius ipſe ex hoc aliiſque pluribus Veterum teſtimoniis, & exemplis deprehenderat Archontes aliquos a Demoſthene memoratos *Pſeudeponymos* eſſe oportere, adeoque ex Faſtis Atticis expungendos. Certe Nicoclem hunc Demoſtheni laudatum ad Olymp. CIX. referendum eſſe iam demonſtravi (6).

Huius Archontis anno cum rex Demetrius, qui Munychione menſe Athenas advenerat, poſtquam *minora* Myſteria Antheſterione menſe peracta fuerant, & antequam *maiorum* tempus ingrueret, quae Boëdromione agebantur, utri-

(1) Lib. XX. c. 102. (2) In Dinar. num. 9. (3) In Dinar. (4) Lib. XX. c. 106. (5) Orat. de Corona pag. 323. (6) Tom. I. pag. 353.

utriſque Myſteriis initiari cuperet, Stratocle legem ferente ſancitum fuit ut *Munychion* menſis *Antheſterion* vocaretur; peractiſque *minoribus* Myſteris *Munychion* ipſe *Boëdromion* appellaretur [1].

An. $\frac{3}{4}$. Calliarchus Athenis Archon CCCLXXXIII.

Dictator, & Magiſtri Equitum

Vnicus eſt Dionyſii [2] locus, qui Calliarchum hunc memoraverit, atque in Faſtis poſt Archontem Nicoclem collocaverit.

OLYMPIAS CXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4414. Vrb. Cond. 454.
Hegemachus Athenis Archon CCCLXXXIV.

Q. Appuleius . . F. C. N. Panſa
M. Valerius M. F. M. N. Corvus V. Coſſ.

Pythagoras Magneſius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, quamvis in vitiato Pauſaniae textu victoria illa Idaeo Cyrenaeo tribuatur, qui Olymp. CXXVI. palmam obtinuit, ut ibi oſtendetur.

Ceras Argivus *lucta* in Olympiis ipſis palmam obtinuit ex Africano: Κέρας Ἀργεῖος, ὃς χηλὰς ἀπέσπα βοός.

Huic ipſi Olympiadi victoria adſcribi poterit, quam Herodorus Megarenſis *cantu in periodo* reportavit. Etenim Athenaeo [3], & Polluce [4] teſtibus Demetrii Poliorcetae aetate ille floruit, palmamque ipſam ex Athenaeo quidem *decem*, ex Polluce vero *ſeptemdecim* vicibus obtinuit; quod ſane non de Olympiis ſolum, ſed de ceteris etiam Graeciae Ludis intelligi debet.

Quemadmodum Archon Hegemachus a Dionyſio [5] ſolo memoratur, ita quoque Olympionica ab Africano ſolum nominatur, cum in Diodoro tum Archontum, tum

Olym-

(1) Diod. cap. 110. & Plutar. in Demetr. (2) In Dinar. num. 9. (3) Libr. X. c. 3. (4) Libr. IV. ſeg. 89. 90. (5) In Dinar. num. 9.

Olympionicarum ſeries una cum poſtremis ipſius Libris exciderit.

Hac Olympiade Arceſilas Academicae Sectae alumnus a Laërtio (1) floruiſſe dicitur: Ἤκμαζε περί τὴν εἰκοςὴν, κ̀ ἑκατοτὴν Ὀλυμπιάδα *floruit circa viceſimam tertiam ſupra centeſimam Olympiadem*.

An. $\frac{1}{2}$. Euctemon Athenis Archon CCCLXXXV.

M. Fulvius Cn. F. Cn. N. Paetinus
T. Manlius T. F. T. N. Torquatus, cui ſuffectus Coſſ.
M. Valerius M. F. M. N. Corvus VI.

Euctemonis Archontis nomen Dionyſio ſoli debemus.

Eius autem Archontis anno, cum iampridem Athenienſes adverſam Demetrii Poliorcetae regis fortunam conſpicati ab illo defeciſſent, coortaque ſeditione Lachares ibi tyrannidem moliri coepiſſet, Demetrius ipſe diviſis Athenienſium animis Vrbem facilius recipere ſe poſſe arbitratus claſſem, quae tempeſtate perierat, inſtauravit, Eleuſinam, ac Rhamnuntem appulit, urbem denique a Lachare proditam, extremaque cibi inopia laborantem occupavit. Deinde vero, cum praeſidium in Muſeo reliquiſſet, ne quid ab infidis, ac ſeditioſis civibus metuere poſſet, in Laconiam irrupit, ut Spartam ipſam, ſuperato iam prope Mantineam Archidamo rege, imperio ſuo ſubiiceret (2). Quamvis autem haec a Plutarcho ſimul memorentur, Lacharis tamen proditio, ac fuga, ideoque Demetrii victoria facile ad ſequentes annos revocari poterit.

An. $\frac{2}{3}$. Mneſidemus Athenis Archon CCCLXXXVI.

L. Cornelius Cn. F. Scipio
Cn. Fulvius Cn. F. Cn. N. Maximus Centumalus Coſſ.

Euctemoni Mneſidemum ſucceſſiſſe ſolius Dionyſii teſtimonio erudimur. Hoc imperante Caſſander Macedoniae rex,

(1) Lib. IV. ſeg. 45. (2) Plutar. in Demetr.

rex, poſtquam 19. annos in regno exegerat; tabe interiit [1]; eius filii Antipater, ac Alexander poſt Philippi natu maximi mortem inter ſe de regno certarunt.

An. $\frac{3}{4}$. Antiphates Athenis Archon CCCLXXXVII.

Q. Fabius Maximus Rullianus IV.
P. Decius Mus III. Coſſ.

Antiphatis Archontis memoriam Dionyſius unus conſervavit.

OLYMPIAS CXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4418. Vrb. Cond. 458.
Nicias Athenis Archon CCCLXXXVIII.

L. Volumnius Flamma Violens II.
Ap. Claudius Caecus II. Coſſ.

Pythagoras Magneſius iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Niciae vero Archontis nomen, ac ſitus Dionyſio [2] auctore aſſeritur.

An. $\frac{2}{2}$. Nicoſtratus Athenis Archon CCCLXXXIX.

Q. Fabius Maximus Rullianus V.
P. Decius Mus IV. Coſſ.

Niciae Nicoſtratum hunc ſucceſſiſſe dicit Dionyſius [3]; nullumque aliud veterum Scriptorum teſtimonium nobis affulget, quo Nicoſtrati nomen, ac ſitus confirmetur. Niſi tamen plurimum fallor, Nicoſtrati noſtri nomen in vitiato Athenaei loco reſtitui poterit, in quo Scriptor ille de *Paraſitis* loquens ait [4]: *Ἐπὶ δὲ ἱερᾶς φυλῆς Παράσιτοι ἐπὶ Λυκοστράτου Γαργηττίου Περικλῆς Περικλέιτου Πιθεὺς, Χαρῖνος Δημοχάρους Γαργήττιος Sub Lycoſtrato Gargettio e ſacra Tribu Pa-*

(1) Euſeb. Chr. (2) In Dinar. num. 9. (3) In Dinar. num. 9. (4) Lib. VI. c. 6.

raſiti fuerunt *Pericles Pericliti Pittheus*, *Charinus Demochavis Gargettius*. Quamvis enim Meurſius [1] ibi *Lyſiſtrati* nomen legendum, adeoque Lycoſtratum hunc ad annum 4. Oly. CII. revocari poſſe coniecerit, facilius tamen *Lycoſtratus* in *Nicoſtratum* refingi poterit.

An. $\frac{2}{3}$. Olympiodorus Athenis Archon CCCXC.

L. Poſtumius Megellus II.
M. Atilius Regulus Coſſ.

Hic etiam Archon ex ſola Dionyſii ſerie nobis affulget; eiuſque anno Demetrius, Alexandro Macedonum rege ſublato, regnum invaſit, eoque ſex annis potitus eſt.

An. $\frac{3}{4}$. Philippus Athenis Archon CCCXCI.

L. Papirius Curſor
Sp. Carvilius Maximus Coſſ.

Philippum hunc a Dionyſio [2] memoratum atque huic Olympiadis anno tributum eſſe iam vidimus, dum Archontes ſingulos ab Anaxicratis anno recenſens Dionyſius in Philippo deſinit, ibique accuratam illam LXX. Archontum ſeriem, quam *in Dinarcho* contexendam ſuſceperat, abſolvit. Itaque Dionyſii quoque ſplendor, ac praeſidium hic fere nos deſerit, ut proinde in reliquis Archontibus expiſcandis fontes alii ſint adeundi.

Ceterum huius Philippi Archontis anno ſcribit Dionyſius [3] quod Dinarchus ἐξελθὼν τῆς πόλεως, ϗ ἐλθὼν εἰς Χαλκίδα τὴν ἐν Εὐβοίᾳ τὸν ἀπ᾽ Ἀναξικράτȣς χρόνον ἕως Φιλίππȣ πεντεκαιδεκαέτη γενομένον ἐκεῖ διέτριψε *ex Vrbe excedens*, *venienſque Chalcidem in Euboea temporis ſpatium ab Anaxicrate ad Philippum uſque, quod quindecim annorum fuit, ibi moratus eſt*; atque exinde deduxit quod Orationes illae, quae ἀπ᾽ Ἀναξικράτȣς ἕως Φιλίππȣ *ab Anaxicrate ad Philippum uſque* ſcriptae fuerant, atque ſub Dinarchi nomine circumferebantur, ipſi ſuppoſitae, & apocryphae cenſeri debent. Quod

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 3. (2) In Dinarcho num. 9. (3) Ibi num. 2.

Quod vero Meurſius [1] ac Dodvellus [2] etiam Philippum hunc a Dionyſio memoratum a Plutarcho *Diphilum* appellari putarunt, opportunius in anno 1. Olymp. CXXIII. refelletur.

Huius Archontis anno, ut Dionyſius teſtatur, Demetrius eos omnes, qui Athenis exſulaverant, in patriam redire permiſit; adeoque Dinarchus ipſe ex Chalcide Athenas migravit, ubi ſeptuagenario maior brevi obiiſſe videtur.

Itaque corrigendus hic obiter inſignis Fabricii [3] error, qui, cum in Plutarcho [4] legiſſet Dinarchum Corinthium inſidiis Polyperchontis occiſum fuiſſe, idque Olympiadis CXXI. anno 3. contigiſſe crederet, Dinarchum Rhetorem hunc eſſe putavit; cum tamen Dinarchus ille ante Phocionem, hoc eſt annum 3. Olymp. CXV. obiiſſe dicatur a Plutarcho, quod nulla ratione Dinarcho Rhetori conveniret. Ergo Dinarchus ille Corinthius a Plutarcho memoratus a Rhetore diſtingui debet, quamvis hic etiam Corintho oriundus a nonnullis dicatur.

OLYMPIAS CXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4422. Vrb. Cond. 462.
. . . . Athenis Archon CCCXCII.

Q. Fabius Maximus Gurges
D. Iunius Brutus Scaeva Coſſ.

Antigonus Macedo *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Archontis vero nomen ignorare nunc cogimur: quod frequentiſſime in ſequentibus etiam annis continget, ubi neque ex Scriptoribus, neque ex Marmoribus ſplendor ullus affulget.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . Archon CCCXCIII.

L. Poſtumius Megillus II.
C. Iunius Brutus Bubulcus Coſſ.

(1) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 17. (2) In Catal. Arch. (3) Biblioth. Graec. Tom. I. pag. 936. (4) In Phocio.

An. $\frac{2}{3}$. Philippus Athenis Archon CCCXCIV.

P. Cornelius Rufinus
L. Poſtumius Megellus II. Coſſ.
M. Curius Dentatus

Archontis Philippi nomen ex praeſtanti Marmore affulget, quod Romae poſitum reperitur, atque a Grutero (1) iampridem editum fuerat.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ
ΚΗΦΙΣΙΕΥΣ ΕΓΕΝΝΗΘΗ ΕΠΙ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣ
ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ ΕΤΩΝ Ν'
ΚΑΙ Β'. ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ
ΚΑΤΑ ΤΟ Β'
ΚΑΙ Λ' ΕΤΟΣ ΤΗΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙ
ΟΥ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ
Menander Diopithis filius
Cephiſienſis natus eſt ſub
Archonte Athenis *Soſigene*,
obiit annos natus quinquaginta
& duos ſub Archonte
Philippo, ſecundo ac triceſimo
anno regni Ptolemaei Soteris

Eadem prorſus Inſcriptio, depravato tamen Archontis nomine, apud Gruterum (2) ipſum occurrit, cum ibi legatur ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΦΡΑΙΠΑΟΣ.

Itaque, ſi Menander 52. aetatis anno e vivis exceſſit, atque Soſigene Archonte, hoc eſt anno 3. Olymp. CIX. natus erat, 52. ipſius annus, adeoque Philippi magiſtratus in 3. huius Olympiadis CXXII. incidiſſe debuit. Id optime, accurateque ex adiecto Ptolemaei regis anno confirmatur. Siquidem ille anno 4. Olymp. CXIV. Archippo Archonte regnum ſuſcepit; ideoque 32. ipſius annus cum
3. Olym-

(1) Pag. 1027. num. 2. (2) Pag. 918. num. 12.

3. Olympiadis CXXII. concurrit; quamvis Scaliger hic annos illos ab Alexandri morte numeratos eſſe putaverit, ſibique tamen inconſtans Philippum hunc in anno 2. Oly. CXXIII. collocaverit. Denique Olympiade CXXII. Menandrum obiiſſe Euſebius etiam adnotavit, quamvis ipſius mortem non in 3. ſed in 1. Olympiadis anno collocaverit.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . Archon CCCXCV.

M. Valerius Maximus Corvinus
Q. Caedicius Noctua Coſſ.

Tertio huius Olympiadis anno iam exeunte Pythia Delphis ab univerſis Graecis celebrari debebant; ſed, quum Aetoli prope Delphos agerent, aditumque intercluderent, Demetrius rex Pythicos Ludos Athenis celebravit.

OLYMPIAS CXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4426. Vrb. Cond. 466.
Diphilus Athenis Archon CCCXCVI.

Q. Marcius Tremulus II.
P. Cornelius Arvina II. Coſſ.

Antigonus Macedo iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Diphili vero Archontis nomen hoc anno Faſtis Atticis inferendum eſſe ipſe omnium primus contra Meurſium, ac Dodvellum oſtendi [1]. Etenim Plutarchus ipſe, qui dixerat ab Athenienſibus in Antigoni, ac Demetrii honorem *Archontis Eponymi* loco Ἱερεῖς τῶν Σωτήρων *Servatorum Sacerdotes* creatos eſſe, ut in anno 3. Olymp. CXVIII. obſervavi; mox ſubdit, quod Ἀθηναῖοι ἀπέστησαν αὐτοῦ, καὶ τόντε Δίφιλον, ὃς ἦν Ἱερεὺς τῶν Σωτήρων ἀναγεγραμμένος, ἐκ τῶν Ἐπωνύμων ἀνεῖλον, Ἄρχοντας αἱρεῖσθαι πάλιν, ὥσπερ ἦν πάτριον, ψηφισάμενοι *Athenienſes ab illo defecerunt, ac Diphilum, qui Servatorum ſacerdos inſcriptus erat, ex Eponymorum Faſtis* ex-

(1) Tom. I. pag. 93.

expunxerunt: ſanciveruntque ut Archontes denuo, quod de more iis erat, crearentur.

Id vero ab Athenienſibus peractum eſſe, poſtquam Demetrius *ſeptem* annis Macedoniae regnum, quod anno 2. Olymp. CXXI. ſuſceperat, occupaſſet, pluribus Plutarchi teſtimoniis demonſtravi. Ergo Demetrii clades, Athenienſium ab illo defectio, ideoque Diphilus ipſius *Sacerdos*, aut Eponymus Athenis Archon ad annum 4. Oly. CXXII. ſive 1. Oly. CXXIII. perſpicue referri debet; adeoque Meurſii ſimulque Dodvelli ſententia refelli, quorum uterque Diphilum hunc a Plutarcho memoratum unum eumdemque fuiſſe voluit, qui a Dionyſio *Philippus* vocatur, atque anno 4. Oly. CXXI. imperavit.

Ceterum hoc anno Demetrius Athenarum imperio privatus, Vrbem invadere decrevit; ſed Crateris Philoſophi hortatu in Aſiam ſeceſſit (1). Interim Pyrrhus Epiri rex ab Athenienſibus accerſitus in Acropoli ſacrificavit; cum pridem expulſo Demetrio Macedonia regnum 7. menſium ſpatio occupaſſet (2).

An. $\frac{2}{\alpha}$. Diocles Athenis Archon CCCXCVII.

M. Claudius Marcellus Corvinus
C. Nautius Rutilus Coſſ.

Dioclis huius Archontis nomen huic anno adſcribendum eſſe contra Meurſium, Dodvellum, ceteroſque Faſtorum Scriptores ex pulcherrimo Plutarchi loco, variiſque Veterum teſtimoniis una conlatis oſtendi (3). Etenim Plutarchus Decretum Pytharati Archontis anno, hoc eſt 2. Oly. CXXVII. factum exhibet, in quo honores, & victus in Prytaneo conceditur Δημοχάρει Λάχητος Λευκονιεῖ ... ὀχυρωσαμένῳ τὴν πόλιν ἐπὶ τȣ̃ τετραετȣ̃ς πολέμȣ, ϗ εἰρήνην, ϗ ἀνοχὰς, ϗ συμμαχίαν ποιησαμένῳ πρὸς Βοιωτȣ́ς· ἀνθ᾽ ὧν ἐξέπεσεν ἀπὸ τῶν καταλυσάντων τὸν δῆμον, ϗ ὡς καθῆλθεν ἐπὶ Διοκλέȣς Ἄρχοντος ὑπὸ τȣ̃ δήμȣ *Demochari Lachetis filio Leuconienſi, qui Vrbem munivit ſub bellum quatuor annorum, pacem, inducias, ſocietatem cum Boeotis compoſuit: ob quae eiectus Vrbe fuit ab iis, qui Populi po-*

(1) Plutar. in Demetr. (2) Idem in Pyrrho. (3) Tom. II. pag. 96.

poteſtatem everterunt. Reverſus Archonte Diocle, Populo revocante. Ex pluribus teſtimoniis aliis oſtendi Democharem ipſum veluti Demetrii regis adverſarium ab illo Athenis eiectum fuiſſe anno $\frac{2}{3}$. Olymp. CXIX. quo Nicocles Archon erat. Itaque, cum Demochares ab exilio ipſo non a Rege, Dinarchi inſtar, ſed *a Populo* revocatus dicatur, perſpicue apparet quod ipſius reditus ad illa tempora referri debet, quo Athenienſes a Demetrii regis imperio defecerant, Diphilumque ipſius Sacerdotem in ordinem redegerant, quod anno $\frac{4}{1}$. huius Olympiadis contigiſſe iam vidimus.

Ergo *Diocles* ille proxime poſt *Diphilum* Faſtis inſcribi debet; ut nimirum Populus repente poſt recuperatam libertatem, Demetriique iugum excuſſum cives a Demetrio expulſos in patriam revocaverit. Certe reditum hunc ante Oly. CXXIV. contigiſſe ex variis Legationibus illis apparet, quas Demochares ipſe ad Lyſimachum, ac Ptolemaeum obiiſſe dicitur, cum Ptolemaeus ipſe anno 1. Oly. CXXIV. e vivis exceſſerit. Itaque mire ab Hiſtoria, atque Plutarchi ſententia aberrat Meurſius, qui *Dioclem* hunc una cum *Philocle* confundendum eſſe putavit; qui anno 3. Olymp. CXIV. Eponymorum Faſtis inſcribitur.

An. $\frac{2}{3}$. . . . . Athenis Archon CCCXCVIII.

M. Valerius Maximus Potitus
C. Aelius Poetus Coſſ.
et mox *Q. Hortenſius* Dictator

An. $\frac{3}{4}$. . . . . Athenis Archon CCCIC.

C. Claudius Canina
M. Aemilius Lepidus Coſſ.

OLYMPIAS CXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4430. Vrb. Cond. 470.
. . . . Athenis Archon CCCC.

C. Servilius Tucca
L. Caecilius Metellus Denter Coſſ.

Phi-

Philomelus Pharſalius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hic annus trium regum morte inſignis fuit; cum Ptolemaeus Soter Lagi filius Aegypti rex, Lyſimachus Macedoniae, ſeptemque menſibus poſt illum Seleucus Syriae rex (1), tandemque Ptolemaeus Ceraunus interierit; ut proinde Polybius afferat reges quatuor hac Olympiade CXXIV. obiiſſe.

Demetrius quoque Phalereus, qui vivente Ptolemaeo Sotere plurimum apud ipſum floruit, a Ptolemaeo illius ſucceſſore exilio pulſus, animique aegritudine perculſus aſpidis morſu ſibi mortem conſcivit.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCI.

P. Cornelius Dolabella Maximus
Cn. Domitius Calvinus Coſſ.

An. $\frac{2}{3}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCII.

C. Fabricius Luſcinus
Q. Aemilius Papus Coſſ.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCIII.

L. Aemilius Barbula
Q. Marcius Philippus Coſſ.

Hic annus Chryſippo Stoicae ſectae lumini natalis fuit. Siquidem Laërtius (2) aſſerit illum Olympiade CXLIII. obiiſſe cum tres ac ſeptuaginta annos vixiſſet. Ergo ipſius ortus in annum 4. huius Olympiadis incidiſſe debuit. Quamvis autem Lucianus in *Macrobius* ipſi 81. aetatis annos adſcribat, Laërtius tamen hic illi praeferendus videtur, cum Suidam ſuffragatorem, ac vadem invenerit; adeoque potius in Luciani, quam Laërtii textum error irrepſiſſe videatur.

OLYM-

(1) Polyb. Lib. II, & Iuſtin. Lib. XVII. (2) Lib. VII. ſeg. 184.

OLYMPIAS CXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4434. Vrb. Cond. 474.
Gorgias Athenis Archon CCCCIV.

P. Valerius Laevinus
Tib. Coruncanus Coſſ.

Ladas Aegienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Pauſania, qui mox in anno 2. proferetur.

Gorgiae vero Archontis nomen eximio Plutarchi (1) loco demonſtratur. Ille nimirum aſſerit huius Archontis anno ſtatuam Demoſtheni dicatam, honoreſque ipſius gentilibus decretos fuiſſe: Χρόνῳ δὲ ὕϛερον Ἀθηναῖοι σίτησίν τε ἐν Πρυτανείῳ τοῖς συγγενέσι τȣ̃ Δημοσθένȣς ἔδοσαν, ϰ̀ αὐτῷ τετελευτηκότι τὴν εἰκόνα ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ ἐπὶ Γοργίȣ Ἄρχοντος *deinde vero Athenienſes & victum in Prytaneo Demoſthenis gentilibus dederunt, & ipſi iam defuncto ſtatuam in foro erexerunt ſub Gorgia Archonte.*

Quamvis autem ibi Plutarchus annum diſſimulaverit, quo Gorgias ille imperavit; perſpicue tamen ex altero Plutarchi loco deduci ille poterit, in quo *decimo* tandem poſt anno honores illos iterum Pytharati Archontis anno decretos eſſe teſtatur: Ὧ ϰ̀ αὐτῷ πάλιν ὁ υἱὸς Λάχης Δημοχάρȣς Λευκονιεὺς ᾐτήσατο δωρεὰς ἐπὶ Πυθαράθȣ Ἄρχοντος δεκάτῳ ὕϛερον εἰς τὴν τῆς εἰκόνος ϛᾶσιν ἐν ἀγορᾷ *cui quoque Laches Democharis filius Leuconienſis dona poſtulavit ſub Pytharato Archonte, decimo poſt anno quam ſtatua in foro collocata fuerat*. Itaque, cum Pytharatus anno 2. Oly. CXXVII imperaverit, Gorgias, qui *decimus* ante ipſum imperaverat, anno 1. Olymp. CXXV. adſcribi debet.

An. $\frac{1}{2}$. Anaxicrates Athenis Archon CCCCV.

P. Sulpicius Saverrio
P. Decius Mus Coſſ.

(1) Vita X. Rhet. in Demoſth.

Anaxicratis Archontis nomen, ſimulque ſitum perſpicue oſtendit Pauſanias (1), qui de Celtarum adventu in Graeciam diſſerens ait: Ἐγένετο δὲ τῶν Κελτῶν στρατεία τε ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, καὶ ἡ ἀπώλεια, Ἀναξικράτους Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, δευτέρῳ ἔτει τῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Λάδας Αἰγιεὺς ἐνίκα στάδιον. Τῷ δ' ἔτει ἐφεξῆς, Δημοκλέους Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, οἱ δ' αὖθις ἐς τὴν Ἀσίαν διαβαίνουσιν οἱ Κελτοί *facta in Graeciam irruptione, Galli deleti ſunt, Anaxicrate Athenis Archonte, anno ſecundo centeſimae viceſimae quintae Olympiadis, qua ſtadio vicit Ladas Aegienſis. Inſequenti vero anno, Democle Athenis Archonte, Galli rurſus in Aſiam tranſmiſere.*

An. $\frac{2}{3}$. Democles Athenis Archon CCCCVI.

C. Fabricius Luſcinus II.
Q. Aemilius Papus II. Coſſ.

Superior Pauſaniae locus, in quo Democles Anaxicrati ſucceſſiſſe dicitur, Archontis huius ſitum oſtendit, quem is in Faſtis Atticis occupavit.

Menedemus Eretrienſis, paullo poſt quam Antigonus Macedonum rex barbaros apud Lyſimachiam fudiſſet, e vivis exceſſit (2). Itaque, cum clades illa anno 3. Oly. CXXV. contigerit, Menedemi obitus ad Olympiadem hanc referri facile poterit. Quandoquidem vero Menedemus ipſe poſt militiam Platonem audiviſſe dicitur (3), ſi moriente Platone anno 1. Oly. CVIII. *viceſimum* ſaltem aetatis annum agebat, *octogeſimum* aetatis annum is attigit. Itaque, licet in Laërtio dicatur ἐτελεύτα τέταρτον καὶ ἑβδομηκοστὸν ἔτος βίους *obiit cum quatuor & ſeptuaginta annos vixiſſet*, ibi facile vel ὀγδοηκοστὸν, ſive potius ἐνενηκοστὸν reſcribi debet.

Huic ipſi Olympiadi Aratus Solis Ciliciae oriundus adſcribi poterit, quum hoc ipſo anno florere, ac celebrari coeperit. Etenim, cum Athenis Menedemum antea laudatum, & Perſaeum Zenonis Stoici diſcipulum audiviſſet, una cum Perſaeo in Macedoniam ad Antigonum Gonatam ivit, eiuſque nuptias cum Phila Seleuci Nicatoris filia carmine celebravit; tantique a Rege eſt habitus, ut reliquum vitae tem-

(1) Phocic. c. 23. (2) Laert. Lib. II. ſeg. 141. (3) Seg. 125.

pus in Macedonia apud regem ipſum tranſegerit. Itaque, cum Perſaei, atque Arati iter primo Antigoni imperantis anno contigiſſe videatur, ut ad annum 1. Oly. CXXVIII. obſervabitur, Arati florentis initium huic anno commode affingi poterit.

An $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCVII.

P. Cornelius Rufinus II.
C. Iunius Brutus Bubulcus Coſſ.

OLYMPIAS CXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4438. Vrb. Cond. 478.
. . . . . . Athenis Archon CCCCVIII.

Q. Fabius Gurges II.
C. Genucius Clepſina Coſſ.

Idaeus, vel Nicator Cyrenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Pauſania [1], in quo tamen, librarii errore, Olympiadis CXX. numerus reperitur. Etenim de Hierone Hieroclis filio loquens, qui a Syracuſanis imperator electus fuit, ait: τὴν ἀρχὴν εἶχεν ἔτει δευτέρῳ Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Κυρηναῖος στάδιον ἐνίκησεν Ἰδαῖος *imperium obtinuit anno ſecundo Olympiadis centeſimae viceſimae, qua ſtadio vicit Idaeus Cyrenenſis*. Itaque legendum ἕκτης Ὀλυμπιάδος.

Eratoſthenes Aglai filius hac Olympiade Cyrene in Lybia in lucem editus memoratur: Suidas Ἐρατοσθένης . . . ἐτέχθη ρκϛʹ Ὀλυμπιάδι, καὶ ἐτελεύτησεν πʹ ἐτῶν γεγονώς *Eratoſthenes natus eſt Olympiade CXXVI. obiitque anno aetatis* 80.

Hic idem annus Euphorioni Chalcidenſi Poëtae, ac Philoſopho natalis fuit. Suidas: Εὐφορίων ἐγεννήθη ἐν τῇ ρκϛʹ Ὀλυμπιάδι, ὅτε καὶ Πύῤῥος ἡττήθη ὑπὸ Ῥωμαίων *Euphorion natus eſt Olympiade CXXVI. quo tempore etiam Pyrrhus a Romanis victus fuit*.

(1) Eliac. II. c. 12.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCIX.

Manius Curius Dentatus II.
L. Cornelius Lentulus Caudinus Coſſ.

An. $\frac{2}{3}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCX.

Manius Curius Dentatus III.
Ser. Cornelius Merenda Coſſ.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXI.

C. Fabius Dorſo Licinus
C. Claudius Canina II. Coſſ.

Huic anno Euſebius Polemonis mortem adſcribit, cui in Platonica Schola Arceſilas Pitanaeus ex Aeolide, & Crates Athenienſis Populo Thriaſius ſucceſſerint. Quamvis tamen Crates ipſe, & Crantor etiam Solenſis Polemonis ſucceſſores dicantur, id tamen Arceſilae ſoli concedi debet; cum praeſertim Crantor, Laërtio (1) teſte, ante Polemonem, & Cratetem obierit; atque Euſebius hoc anno Arceſilam non Platoni ſucceſſiſſe, ſed floruiſſe dicat.

OLYMPIAS CXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4442. Vrb. Cond. 482.
. . . . . . Athenis Archon CCCCXII.

L. Papirius Curſor II.
Sp. Calviſius Maximus II. Coſſ.

Perigenes Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An.

(1) Lib. IV, ſeg. 27.

An $\frac{I}{a}$. Pytharatus Athenis Archon CCCCXIII.

C. Quinctius Claudus
L. Genucius Clepſina Coſſ.

Pytharati nomen, ac ſitum, ſimulque Epicuri mortem, quae ipſius Archontis anno contigerat, Laërtius [1] memoravit: Ἐπειθ' ȣ῞τως εἰς Ἀθήνας μετελθεῖν, κ̀ τελευτῆσαι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης κ̀ εἰκοϛῆς κ̀ ἑκατοϛῆς Ὀλυμπιάδος, ἐπὶ Πυθαράτȣ, ἔτη βιώσαντα δύο πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα *deinde Athenas rediiſſe*, & ibi *defunctum eſſe anno ſecundo centeſimae viceſimae ſeptimae Olympiadis ſub Pytharato* Archonte, *cum vixiſſet annos ſeptuaginta duos*. Sic Cicero [2] Archontem ipſum, Epicuri aetatem, ac mortem expreſſit: *Morietur Epicurus cum duo, & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato*. Vix ille tamen ſecundum ac ſeptuageſimum aetatis annum inceperat. Siquidem Clemens Alexandrinus [3] ait ipſum decima Gamelionis menſis die obiiſſe; adeoque, cum ſeptima eiusdem menſis natus eſſet, poſtremi huius anni tres ſolum dies exegit. Quamvis autem ſeptima die natus, decima obierit, eius tamen natalis memoria quotannis ab ipſius ſectatoribus *viceſima* agebatur; atque ita ſane Plinii locus intelligendus ubi ait quod Epicuraei *natali ejus viceſima luna ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas Icadas vocant* [4].

Pytharatus ipſe a Plutarcho [5] memoratur ubi Pſephiſma ille protulit, quo Democharis Demoſthenis agnato honores, ac ſtatua, ab Athenienſibus conceſſi fuerant: Ἄρχων Πυθάρατος. Λάχης Δημοχάρȣς Λευκονιεὺς αἰτεῖ δωρεὰν τὴν βȣλὴν, κ̀ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων Δημοχάρει Λάχητος Λευκονοιεῖ, εἰκόνα χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ, κ̀ σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ *Archon Pytharatus. Laches Democharis* filius *Leuconienſis poſtulat a Senatu, & Populo Athenienſium praemium Democbari Lachetis* filio *Leuconienſi*, nimirum *ſtatuam aeream in foro, & victum in Prytaneo.*

Hoc ipſo Olympiadis huius anno Ptolemaeus Evergetes

(1) Lib. X. ſeg. 15. (2) De Fato c. 9. (3) Strom. Lib. I. (4) Lib. XXXV. c. 2.
(5) Vita X. Rhet. in Demoſth.

tes imperare coepit, ſub quo Callimachus Cyrenenſis Poëta floruit, ut a Suida (1) erudimur: Καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου Ὀλυμπιὰς δὲ ἦν ἑκατοστὴ καὶ εἰκοστὴ ἑβδόμη, ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Εὐεργέτης Πτολεμαῖος ἤρξατο τῆς βασιλείας *manſitque uſque ad Ptolemaeum cognomento Evergetem. Erat autem Olympias CXXVII. cuius anno ſecundo Ptolemaeus Evergetes regnare coepit.*

An. $\frac{2}{3}$. . . . . Athenis Archon CCCCXIV.

C. Genucius Clepſina II.	Coſſ.
Cn. Cornelius Blaſio	

An. $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXV.

Q. Ogulnius Gallus	Coſſ.
C. Fabius Pictor	

Hoc anno Strato Arceſilai filius Lampſacenus Theophraſti in Peripatetica Schola ſucceſſor obiiſſe videtur. Etenim Laërtius (2) aſſerit ipſum Olymp CXXIII. Scholam regendam coepiſſe, ipſique 18. annis praefuiſſe; tum (3) de Lycone, qui Stratoni ſucceſſerat, loquens ait; Ἀφηγήσατο τῆς σχολῆς ἔτη τέσσαρα πρὸς τοῖς τεσσαράκοντα, Στράτωνος αὐτὸν ἐν ταῖς διαθήκαις καταλίποντος κατὰ τὴν ἑβδόμην καὶ εἰκοστὴν καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα *Scholae principatum tenuit annos quatuor ſupra quadraginta, cum illum ſibi ſucceſſorem in teſtamento Strato reliquiſſet Olympiade CXXVII.*

Huic anno verum Hieronis Syracuſarum regis initium adſcribitur, ut ex Polybii calculo demonſtravit Caſaubonus.

OLYMPIAS CXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4446. Vrb Cond. 486.
. . . . . . Athenis Archon CCCCXVI.

P. Sempronius Sophus	Coſſ.
Ap. Claudius Craſſus Rufus	

Se-

(1) In Καλλίμ. (2) Lib. V. ſeg. 58. (3) Ibi ſeg. 68.

Seleucus Macedo *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Beliſtiche Macedo femina *biga pullorum equorum* in Olympiis ipſis palmam obtinuit, ut a Pauſania [1] erudimur.

Primo huius Olympiadis anno Zenonis Stoici mortem adſcribit Euſebius: *Ζήνωνα Στωικὸν θανόντα Κλεάνθης μαθητὴς διεδέξατο Zenonem Stoicum defunctum Cleanthes* eius *auditor excepit* Ceterum de Zenonis aetate ita diſſident Veteres, ut alii quidem 72. alii vero 98. annos ipſi conceſſerint. Haec altera tamen opinio veriſimilior videtur, non modo quod ipſa a Luciano quoque confirmetur, verum etiam quod ipſe Zeno in Epiſtola ad Antigonum regem ſcripta [2] dixerit ſe octogeſimum annum egiſſe. Si tamen Laërtio fides, Zenonis mors ante Olympiadem CXXX. contigiſſe non potuit, cum Laërtius [3] aſſerat Zenonem ad Antigonum regem miſiſſe Perſaeum auditorem, civemque ſuum, qui *ἤκμαζε κατὰ τὴν τριακοστὴν, καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα, ἤδη γέροντος ὄντος Ζήνωνος florebat Olympiade centeſima triceſima, Zenone iam ſene*. Cumque Epicurus ipſe, qui anno 2. Oly. CXXVII. interiit, Perſaeum cum Antigono congreſſum memoret, perſpicue apparet quod Zeno ante Oly. CXXVII. *octogeſimum* annum abſolverat. Quinetiam, niſi plurimum fallor, Perſaei, atque Arati iter in Macedoniam 3. Olymp. CXXV. anno adſcribendum videtur, quo Antigonus Gonata regnum ſuſceperat Siquidem Epiſtola, qua is Zenonem Stoicum ad ſe perhumaniter acciverat, ut regem, ſimulque gentem Macedonum erudiret, facile primo eius imperii, regnique ſuſcepti anno tribuenda videtur.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXVII.

M. Atilius Regulus *L. Iulius Libo*	Coſſ.

An. $\frac{2}{2}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXVIII.

Num. Fabius Pictor *D. Iunius Pera*	Coſſ.

An.

(1) Eliac. I. c. 8. (2) Laert. Lib. VII. ſeg. 28. (3) Libr. VII. ſeg. 6. & 10.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXIX.

Q. Fabius Maximus Gurges III.
L. Mamilius Vitulus
ſive potius
P. Decius Mus Coſſ.

OLYMPIAS CXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4450. Vrb. Cond. 490.
Diognetus Athenis Archon CCCCXX.

Ap. Claudius Caudex
M. Fulvius Flaccus Coſſ.

Philinus Cous Hegeſipolidis filius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano; qui proximae quoque Olympiadis victorem illum exhibuit. Quinetiam Pauſanias (1) aſſerit ipſum quinquies *curſu* victoriam retuliſſe.

Archontis autem Diogneti nomen in eximii, ac praeſtantiſſimi Marmoris fronte nobis occurrit, quod in Paro Inſula olim poſitum, mox Arundelli Comitis opera in Angliam translatum, atque Oxonii collocatum fuit, ideoque Marmor *Parium*, vel *Arundellianum*, vel *Oxonienſe* vocari ſolet; quamvis etiam frequentiſſime *Marmoreum Chronicon* appelletur. Itaque Marmor, aut Chronicum ipſum ita exorditur: Ἀνέγραψα τὰς ἄνωθεν χρόνους ἀρξάμενος ἀπὸ Κέκροπος τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Ἀθήνων ἕως Ἄρχοντος ἐν Πάρῳ Ἀστυάνακτος, Ἀθήνησι δὲ Διογνήτου *deſcripſi ſuperiora tempora incipiens a Cecrope, qui primus Athenis regnavit, uſque ad Archontem in Paro quidem Aſtyanactem, Athenis vero Diognetum*. Itaque, cum ex pluribus Archontum locis, qui mox in Marmore recenſentur, perſpicue certoque appareat Scriptorem hunc annorum numerum ad annum 1 Olymp. CXXIX. veluti terminum, retuliſſe, atque ab illo calculum conſtanter iniiſſe, Diognetus ille, quo Archonte ſe ſcribere profitetur, huic anno 1. Oly. CXXIX. adſcribendus erit. Hic

(1) Eliac. II. c. 17.

Hic autem annus in Graeca, Romanaque Hiſtoria celeberrimus, ac inſignis fuit. Eo nimirum Punicum Bellum I. incepit, cum Appius Claudius Romanorum Conſul in Siciliam traiiciens Hieronem regem ita fregerit, ut ille Meſſana fugiens Syracuſas redire compulſus ſit, ubi pacis conſilia ultro citroque ſuſcepta ſunt. Ab eiuſmodi Belli initio Hiſtoriam ſuam Polybius exorditur.

An. $\frac{1}{2}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXXI.

Manius Valerius Maximus Meſſala
Manius Otacilius Craſſus Coſſ.

An. $\frac{2}{3}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXXII.

L. Poſthumius Megellus
Q. Mamilius Vitulus Coſſ.

Hoc anno, vel potius ſequente, Antiochus Syriae rex cognomento Θεός *Deus* imperare coepit.

An. $\frac{3}{4}$. . . . . . . Athenis Archon CCCCXXIII.

L. Valerius Flaccus
T. Otacilius Craſſus Coſſ.

Philemon Comicus hoc anno e vivis exceſſit [1]; cum annis 96. iuxta Suidam, aut 97. iuxta Lucianum vixiſſet. Certe 90. aetatis annum ſuperaſſe ille debuit, cum Auctor Libri περὶ Κωμῳδίας *de Comoedia* ipſum Fabulas edere coepiſſe dixerit ante Olympiadem CXIII.

Ac nihil eſt ſane, in quo frequentius Hiſtorici diſſidere conſueverint, quam in exprimenda Philoſophorum, aut illuſtrium Virorum aetate; quamvis fortaſſe varietas illa, ac diſſidium ex vitiatis plerumque Codicibus oriatur. Sic, ut illuſtre exemplum hic proferam, ſimulque veram Theophraſti aetatem definiam, Theophraſtus ipſe initio *Characterum* ſe Librum illum edidiſſe dicit cum 99. aetatis

(1) Diodor. Lib. XXIII. c. 7.

tis annum ageret; idque Tzezes [1] etiam aperte teſtatur. Hieronymus in *Epiſtola ad Nepotianum* Theophraſtum ipſum ad 107 annum perveniſſe dicit. Laërtius [2] vero perſpicue diſerteque ſcribit quod Theophraſtus ἐτελεύτα γεραιὸς, βιὼς ἔτη πέντε, καὶ ὀγδοήκοντα *obiit ſenex annos agens octoginta quinque*. Itaque Caſaubonus, ut Laërtium cum ceteris componat, ait in Laërtii textu pro ΠΕ 85 reſcribendum eſſe ΡΘ 109., ſive ΡΖ 107. Ego vero nihil in Laërtii textu mutandum eſſe putaverim. Siquidem Theophraſtus, quamvis Leucippum, ſive Alcippum, Platonem, & Ariſtotelem audierit, Ariſtotele tamen ſenior eſſe non poterat, non modo quod ipſi, veluti Praeceptori, in Peripatetica Schola ſucceſſerit; verum etiam quod Ariſtoteles moriens Theophraſtum ipſum ſibi generum deſignaverit. Ergo anno 3. Olymp. CXIV. quo Ariſtoteles *ſexagenario* maior e vivis exceſſit, Theophraſtus vix 60. aetatis annum attigerat, adeoque ipſius nativitas Olymp. C. antiquior eſſe non potuit. Sed Theophraſtus anno 1. Olymp. CXXIII. obiit, cum Laërtius [3] de Stratone Theophraſti ſucceſſore loquens aſſerat quod ipſe σχολαρχεῖν δὲ, κατά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς, ἤρξατο τῇ τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ καὶ ἑκατοστῇ Ὀλυμπιάδι τῆς σχολῆς ἀφηγεσάμενος ἔτη ὀκτωκαίδεκα *Scholae praefici coepit, ut Apollodorus in Chronicis refert, Olympiade CXXIII. eamque annis octodecim tenuit*. Ergo, ſi Theophraſti vita ab Olympiade C. ad Olympiadem CXXIII. extendatur, annis 85. diuturnior eſſe non poterit, ut in Laërtii textu definitur. Ac certe quidem neque Cicero, neque Lucianus, neque Cenſorinus in recenſendis *Longaevis* Theophraſtum memorarunt; quod fieri certe vix poterat, ſi ad 99. vel 107. annum perveniſſet. Itaque perſpicuus error in Theophraſti textum irrepſit, ut proinde Hieronymi aetate ΡΖ 107. nunc autem Ϟθ 99. habeatur.

Hoc eodem anno 4. Olymp. CXXIX. Nicomedes Bithyniae rex Aſtacum urbem inſtaurans ipſam *Nicomediam* appellavit, ut Euſebius teſtatur; qui in annum ipſum Antiochi Syriae regis initium ponit, qui Θεός *Deus* eſt cognominatus.

Ad annum hunc, & Pythiadem LXXXI. tunc Delphis

(1) Chiliad. IX. (2) Libr. V. ſeg. 40. (3) Ibi ſeg. 58.

phis celebratam victoriam in Pythiis ipſis a Philino Coo Hegeſipolidis filio *curſu* partam revocaverim. Quamvis enim quatuor victoriarum tempus, quas ille Pauſania [1] teſte reportavit, incertum ſit; facile tamen ipſarum aliqua huic Olympiadi adſcribi poterit, qua *curſu* palmam in Olympiis etiam obtinuit.

OLYMPIAS CXXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4454. Vrb. Cond. 494.
Arrhenides Athenis Archon CCCCXXIV.

Cn. Cornelius Scipio
C. Duilius Nepos Coſſ.

Philinus Cous iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Arrhenidae vero Archontis nomen hoc anno Faſtis Atticis inſerendum eſſe putavi, non quod perſpicui temporis characteres afferri poſſint, ſed quod non obſcuris indiciis id coniicere fortaſſe liceat. Scribit Laërtius quod Antigonus Macedonum rex Zenonem invitavit ut in Macedoniam contenderet, ſed a Zenone Perſaeum miſſum fuiſſe, qui Olympiade CXXX. florebat, Zenone iam ſene. Ea vero de cauſſa, ut opinor, hac Olympiade Perſaeum floruiſſe dicit Laërtius, non quod tunc temporis a Zenone in Macedoniam miſſus fuerit, cum iter illud Epicuro adhuc ſuperſtite contigerit, hoc eſt ante Oly. CXXVII. ac fortaſſe anno 3. Oly. CXXV. quo Antigonus Macedoniae regnum ſuſcepit, ac facile Zenonem accivit, ut ſe, adeoque Macedonas omnes erudiret; verum potius quod ea Olympiade Perſaeus illuſtrius, Zenone defuncto, florere coeperit.

Itaque facile Zenonis mors ineunti huic Olympiadi adſcribi debet. Quandoquidem vero ſubdit Laërtius quod Antigonus ipſe audita Zenonis morte per Thraſonem legatum Athenienſes rogavit ut Zenoni ſepulturae locum in Ceramico decernerent, decretum ipſum exſcripſit, quo tum honor ille, tum alii plures Zenoni delati ſunt [2]: Ἐπ᾽ Ἀῤῥενίδȣ Ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος, πέμπτης Πρυτανείας, Μαι-

(1) Eliac. II. c. 17. (2) Lib. VII. ſeg. 10.

μακτεριῶνος δεκάτῃ ὑςέρᾳ, τρίτῃ καὶ εἰκοςῇ τῆς Πρυτανείας, ἐκκλησίᾳ κυρίᾳ. Τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἵππων Κρατιςοτέλους Ξυμπετέων, καὶ οἱ Συμπρόεδροι, Θράσων Θράσωνος Ἀνακαιεὺς εἶπεν *Sub Arrhenida Archonte*, *ſub Acamantide* Tribu, *quinta Prytania*, *Maemacterionis* 21. *viceſimo tertio Prytaniae die*, *concione rata*. *Ex Proëdris ſuffragia perrogavit Hippo Cratiſtotelis* filius *Xympeteon*, & *collegae Proëdri*; *Thraſo Thraſonis filius Anaceus dixit*. Tandemque ſubiicitur Thraſonem ipſum, qui decreti ferendi auctor fuerat, ſepulcri quoque conſtruendi curatorem electum fuiſſe. Quum ergo decretum eo anno editum ſit, quo Zeno e vivis exceſſit, ſi mors illa ineunti huic Olympiadi adſcribi poſſit, Arrhenides quoque hoc anno Faſtis Atticis adſcribendus erit. Ac certe quidem ſi Zenonis Stoici mors ad hanc uſque Olympiadem differatur, non modo longaeva ipſius aetas facilius admitti poterit, verum etiam intelligi cur Chryſippus, qui anno 1. Olymp. CXXV. in lucem editus fuerat, ipſius auditor eſſe potuerit, ut a pluribus affirmatum ſcribit Laërtius [1].

Ad hanc Olympiadem, niſi fortaſſe melius ad antiquiorem aliam, referri debent honores Beroſo Chaldaeo ab Athenienſibus habiti, cum ipſi *ob divinas praedictiones publice in Gymnaſio ſtatuam inaurata lingua poſuere*, ut teſtatur Plinius [2]. Quamvis enim ille Alexandro Magno coaevus fuerit, Hiſtoriam tamen ſuam poſt annum 2. Oly CXXVIII. edidiſſe videtur, ut optime Voſſius coniecit. Siquidem Plinius [3] ait Beroſum Hiſtoria ſua memoriam 480. annorum tradidiſſe, qui ſane non alii eſſe poſſunt, quam in Aera Nabonaſſari apud Chaldaeos uſurpata numerati. Ergo, cum Aerae illius initium in annum 2. Olymp. VIII. inciderit, Beroſi Hiſtoria in annum 3. Oly. CXXVIII. incidiſſet. Quandoquidem vero Beroſus Hiſtoriam hanc, Euſebio teſte, Antiocho *Soteri*, vel potius *Deo* dicavit, quem anno ſuperiori imperium iniiſſe vidimus, facile Hiſtoriam ipſam hoc anno ille edidit. Quaenam vero fuerint praedictiones illae divinae, quae ipſi ſtatuae honorem ab Athenienſibus impetrarunt, ignorare nunc cogimur. Si in Hiſtoria ipſa Aſtronomicae praedictiones, aut quidpiam aliud con-

(1) Lib. VII. ſeg. 179. (2) Lib. VII. c. 37. (3) Lib. VI. c. 55.

continebatur, quod Athenienſibus admirationi tunc fuerit, ſtatuae tituliqne honor ad haec ipſa tempora referendus erit. Longe tamen veriſimilius exiſtimo Beroſum hanc nominis divinaeque ſcientiae gloriam ſibi iampridem comparaſſe, cum, ut Vitruvii verbis utar [1], *in Inſula, & Civitate Coo conſedit, ibique aperuit diſciplinam*.

OLYMPIAS CXXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4458. Vrb. Cond. 498.

M. Atilius Regulus
L. Manlius Vulſo Coſſ.

Ammonius Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Tlepolemus autem Lycius omnium primus *celete pullo* tunc primum inſtituto palmam obtinuit. Pauſanias [2]: Συνέθεσαν δὲ ὕςερον κ̀ πῶλον κέλητα . . Τληπόλεμον δὲ Λύκιον ἀναγορευθῆναι λέγουσιν ἐπὶ τῷ κέλητι ἐπὶ τῆς πρώτης, κ̀ τριακοςῆς, κ̀ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος *receperunt deinde etiam deſultorium pullum, ac Tlepolemum Lycium viciſſe ferunt celete, prima ac triceſima ſupra senteſimam Olympiadem*.

Huius Olympiadis anno I. notat Euſebius quod Ἀθηναίοις Ἀντίγονος τὴν ἐλευθερίαν ἀπέδωκεν *Athenienſibus Antigonus libertatem reſtituit*. Antigonus ille *Gonatas* dicebatur quod Gonis in Theſſalia nutritus eſſet, ac Macedoniae regnum anno 3 Olymp. CXXV. iam obtinuerat; & quemadmodum Aratum, Zenonem, Perſaeum, alioſque Graecos doctrinae gloria inſignes perhumaniter complectebatur, ita quoque facile Athenienſibus libertatem conceſſit. Certe, Suida teſte, is a Graecis *Evergetes* appellatus fuit; cum praeſertim Cleomenem Lacedaemoniorum regem bello captum humaniſſime tractaſſet.

Iterum tamen Athenas ipſas a Macedonibus occupatas eſſe demonſtrat quod illae demum ab Arato Achaeorum Praetore, expulſo inde Macedonum milite, in libertatem vindicatae fuerint Olymp. CXXXIV.

OLYM-

(1) Lib. IX. c. 7. (2) Eliac. I. c. 8.

OLYMPIAS CXXXII.

Xenophanes Aetolus *ſtadio* victor. *Africanus*;

OLYMPIAS CXXXIII.

Simylus Neapolites *ſtadio* victor. *Afric.*

Secundo huius Olympiadis anno Ptolemaeo Philadelpho eius filius cognomento *Evergetes* in Aegypti regno ſucceſſit, qui Eratoſthenem Athenis Alexandriam accivit, ut Suidas teſtatur. Eratoſthenes autem Alexandriae anno 1. Olymp. CXLVI. *octoginta* annos natus interiit ſub Ptolemaeo Philopatore, qui anno 4. Olymp. CXXXIX. Evergeti patri ſucceſſit.

OLYMPIAS CXXXIV.

Alcidas Lacon *ſtadio* victor. *Afric.*

Secundo huius Olympiadis anno Aratus Achaeorum Praetor Acrocorinthum, ſive Corinthiorum arcem occupavit, cum inde praeſidium expuliſſet, quod ab Antigono Macedoniae rege ipſi impoſitum fuerat. Quum vero Perſaeus Zenonis Cittiei auditor, qui Athenis ad Antigonum miſſus iam fuerat, Corinthi veluti praeſidii dux reperiretur, ab Arato occiſus fuit, ut teſtatur Pauſanias [1], adeoque Perſaei Philoſophi mors huic anno adſcribi debet; quamvis Plutarchus [2] ex Scriptoribus aliis memoret Perſaeum ex arce iam ſuperata aufugiſſe.

Itaque, cum Aratus feliciter adeo in Peloponneſo contra Macedones dimicaſſet, indignum ratus Piraeeum, aliaque Athenienſium loca a Macedonum militibus occupari, neque tamen aperta vi liberari ea poſſe conſpiceret, 150. talentorum pretio praeſidiorum Praefectum corrupit, Atticamque regionem a Macedonum iugo liberavit [3].

Anno quarto Lacydes Cyrene in Lybia natus Athenis Ar-

(1) Corinth. c. 8. (2) In Arato. (3) Pauſ. ibi.

Arceſilao tunc defuncto in Academica Schola ſucceſſit, eamque viginti ſex annis tenuit. Laërtius (1): ἐτελεύτησε δὲ σχολαρχεῖν ἀρξάμενος τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς τετάρτης, καὶ τριακοστῆς, καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἀφηγησάμενος ἓξ πρὸς τοῖς εἴκοσι ἔτη *obiit autem, cum ſcholam adminiſtrare coepiſſet quarto anno Olympiadis CXXXIV. viginti ſex annis in ſchola conſumptis.* Itaque corrigendus Fabricii (2) locus, in quo Lacydem ipſum hoc anno obiiſſe dicit, quod Petavius quoque iam ſcripſerat. Certe Arceſilaus ad Eumenis Philetaeri fratris, ac Pergami regis aetatem pervenit, cum et ipſum adiverit, & ab illo dona receperit, ut teſtatur Laërtius (3). Ergo, cum Eumenes ille Oly. CXXIX. anno 1. regnum ſuſceperit, Arceſilaus uſque ad Olympiadem illam vivere debuit. Ita quoque, cum Lacydes in horto illo docere conſueverit, quem Attalus Pergami rex inſtrui curaverat, Attalus autem ipſe hoc anno 3 huius Olympiadis regnum ſuſceperit, Lacydis mors huic anno adſcribi certe non poterit.

OLYMPIAS CXXXV.

Erato Aetolus *ſtadio* victor. *Afric.*

Cleoxenus Alexandrinus *pugilatu.*

OLYMPIAS CXXXVI.

Pythocles Sicyonius *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CXXXVII.

Meneſtheus Bargyleites *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CXXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4486. Vrb. Cond. 526.

Q. Fabius Maximus II.
Sp. Carvilius Maximus II. Coſſ.

De-

(1) Lib. IV. ſeg. 61. (2) Bibl. Graec. Tom. II. pag. 62. (3) Libr. IV. ſeg. 38.

Demetrius Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hac ipſa Olympiade Scaliger in Hiſtoriarum Collectaneis Eutelidam Lacedaemonium *puerorum pentathlo* victorem fuiſſe dicit; cum tamen victoria illa Oly. XXXVIII. contigerit ex Pauſania (1), atque in ea Olympiade Scaliger ipſam memoraverit.

Quum 2. ſuperioris Olympiadis anno Agroni Illyriorum regi Teuta uxor ſucceſſiſſet, atque in finitimos populos piraticam exerceret, Romani *Illyricum* Bellum adverſus illam ſuſcepere, quo preſſa, ineunte vere huius anni, regina pacem a Romanis imperravit. Hac Romanorum victoria permoti Corinthii Romanos Iſthmiorum participes mox futuros ſanxerunt, ac Romani ipſi tunc primum Legatos ad Athenienſes miſerunt, qui pacis foedera cum Illyriis inita nunciarent (2).

Hac Olympiade e vivis exceſſit Lycon, qui, cum Stratoni in Peripatetica Schola Olymp. CXXVII ſucceſſiſſet, ipſi per annos 44 praefuit (3). Lyconi vero Ariſto Iulietes ſucceſſit, quem morientem excepit Crotolaus.

OLYMPIAS CXXXIX.

Iolaidas Argivus *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CXL.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4494. Vrb. Cond. 534.

L. Veturius Philo
C. Lutatius Coſſ.

Zopyrus Syracuſius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Ineunte vero hac Olympiade, nimirum 2. ipſius anno, *Sociale* Bellum ab Aetolis ſuſceptum exarſit adverſus Achaeos, quibus Philippus Macedonum rex opes, copiaſque ſuas coniunxerat (4), poſtquam poſtremo ſuperioris Olympiadis anno Antigono Gonatae ſucceſſerat.

Oppor-

(1) Eliac. I. c. 9. & II. c. 15. (2) Polyb. Lib. II. pag. 13. (3) Laert. Libr. V. ſeg. 68. (4) Polyb. Lib. IV. pag. 26.

Opportune vero obſervandum quod Phylarchi Atheníenſis civis hiſtoria, quae a Pyrrhi in Peloponneſum expeditione ordiebatur, ad hanc uſque Olympiadem, ſive ad annum 4. Olymp. CXXXIX. perveniebat, cum Suidas aſſerat hiſtoriam illam uſque ad Ptolemaei Evergetae mortem deductam eſſe, quae eo anno contigerat, quo Ptolemaeus Philopatori ipſi ſucceſſit.

OLYMPIAS CXLI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4498. Vrb. Cond. 538.

L. Aemilius Paullus II.
C. Terentius Varro Coſſ.

Dorotheus Rhodius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Clitomachus autem Thebanus *pancratio* palmam obtinuit ex Pauſania [1]; quemadmodum Paeanius Damatrii filius Eleus *lucta* victor fuit, ut Pauſanias ipſe teſtatur, atque Africanus etiam memoravit.

Quandoquidem vero Suidas aſſerit quod Clitomachus ille in Iſthmiis una eademque die *pugilatu*, & *pancratio*, in Pythiis *pancratio*, in Olympiis autem δεύτερος ὢν μετὰ Θάσιον ἐπὶ παγκρατίῳ τε ἀνηγορεύθη ϗ πυγμῇ *ſecundus poſt Thaſium pancratio, ſimulque pugilatu victor renunciatus fuit*; facile eius Thaſii victoria *pancratio*, & *pugilatu* parta ad ſuperiorem Olympiadem referri poterit.

Lacydes hoc anno *ſolus ex omni memoria vivus* [2] Academicam Scholam Athenis Telecli, & Evandro reliquit, paulloque poſt obiiſſe videtur. Siquidem Laërtius, cum dixiſſet Lacydem anno 4 Olymp. CXXXIV. Scholam regendam ſuſcepiſſe, *vigintiſex* annis hoc munere perfunctum eſſe teſtatur.

Exeunte fere anno 3. huius Olympiadis Carneades eximium Academicae Sectae lumen Cyrene in Libia ortus eſt, ut ex ipſius aetate, mortiſque tempore ad annum 1. Olympiadis CLXIII. obſervabitur. Eum vero ſeptima Thar-

(1) Eliac. II. c. 15. (2) Laert. Lib. IV. ſeg. 61.

gelionis Attici die, quo *Carnia* Feſta Cyrene agebantur, in lucem prodiiſſe ſcribit Plutarchus (1).

In Pythiis vero Ludis, qui Pythiade CXCIII. hoc eſt exeunte *tertio* huius Olympiadis anno celebrati ſunt, Clitomachus Thebanus *pancratio*, & Paeanius Damatrii filius Eleus *lucta* victoriam obtinuit, ut a Pauſania (2) erudimur.

OLYMPIAS CXLII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4502. Vrb. Cond. 542.

Q. Fulvius Flaccus III.
Ap. Claudius Pulcher Coſſ.

Crates Thebanus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Caper autem Eleus Pythagorae filius *lucta*, *& pancratio ſecundus* ab Hercule in Olympiis ipſis palmam obtinuit ex Pauſania (3), Suida, & Africano, qui tamen ipſum *Carum* appellat. Vna vero eademque die Caper ipſe Clitomachum *pancratio*, *lucta* vero Paeanium ſuperavit; quorum uterque multas palmas retulerat, ut ſuperiori Olympiade obſervatum fuit.

Clitomachus tamen *lucta* victor fuit, ut Pauſanias teſtatur (4).

Philippus Demetrii filius Macedonum rex Athenarum urbem obſedit, ſed cum a Romanis, Rhodiis, atque Attalo Pergami duce Athenienſes ſuppetias obtinuiſſent, regis milites ſoluta urbis obſidione quidquid ſacri, & amoeni tum in pomeriis Vrbis, tum in Attica regione fuit immani horridaque clade diripuerunt (5).

Itaque tunc Athenae Macedonum iugo ſolutae prorſus liberae, ac Romano Populo ſolo ſocietatis foedere coniunctae fuerant. Meurſius (6) quidem aſſerit illas tunc temporis a Romanis, *uti antea a Macedonibus*, praeſidium habuiſſe. Sed Livii loca, quibus ille ſententiam hanc ſuam ſuperſtruxit, perſpicue quidem oſtendunt a L. Apluſtio Legato naves *ad praeſidium Athenarum* relictas fuiſſe, itemque

(1) Symp. Lib VIII. qu. 1. (2) Eliac. II. c. 15. 16. (3) Eliac. I. c. 21. (4) Eliac. II. c. 15. (5) Liv. Lib. XXXI. Zonar. Lib. IX. (6) Fort. Ath. c. 10.

que milites veluti *in Athenarum praeſidium* in urbe fuiſſe, ut eam nimirum contra Philippi claſſem, & exercitum tutarentur; nullibi vero demonſtrant praeſidium illud urbi veluti occupatae a Romanis impoſitum fuiſſe, quod ab Antipatro, & Caſſandro Macedonibus factum eſſe iam vidimus.

Pythiade XCIV. quae in *tertium* huius Olympiadis annum incidit, Pylades Megalopolitanus *citharoedia* victoriam obtinuit (1): certe ante Philopoemenis victoriam adverſus Machanidam, quae 3. ſequentis Olympiadis anno parta fuit.

OLYMPIAS CXLIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4506. Vrb. Cond. 546.

M. Marcellus V.
T. Quinctius Criſpinus Coſſ.

Heraclitus Samius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Huic Olympiadi, ac facile quidem ineunti, Chryſippi mors adſcribi debet, qui quamvis Solis Ciliciae urbe oriundus eſſet, Athenis tamen Stoicae diſciplinae princeps fuit. Teſtatur ex Apollodoro Laërtius (2) ipſum *ἀπελθεῖν ἐξ ἀνθρώπων τρία, κὴ ἑβδομήκοντα βιώσαντα ἔτη κατὰ τὴν τρίτην κὴ τετταρακοςὴν κὴ ἑκατοςὴν Ολυμπιάδα excesſiſſe ex hominibus cum* 73. *aetatis annos egiſſet circa CXLIII. Olympiadem*, quod totidem fere verbis Suidas expreſſit; quamvis Lucianus (3) illi 81. aetatis annos conceſſerit. Itaque, ſi Diogenes Babylonius ipſius auditor ei in Schola, ut videtur, ſucceſſit, 60. fere annorum ſpatio Scholam ipſam obtinuit; cum ante annum V. C. 604. 88. annos natus obierit.

OLYMPIAS CXLIV.

Heraclides Salaminius *ſtadio* victor. *Afric.*

(1) Pauſan. Arcad. c. 50. & Plutar. in Philopoem. (2) Libr. VII. ſeg. 184. (3) In Macrob.

OLYMPIAS CXLV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4514. Vrb. Cond. 554.

P. Sulpitius Galba
C. Aurelius Cotta Coſſ.

Pyrrhias Aetolus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Non plurimum vero ego fallar ſi Pyrrhiam hunc Olympiorum victorem unum eundemque fuiſſe exiſtimem, qui excitato iam Sociali Aetolorum Bello ab Aetolis ipſis ad Eleos, veluti ipſorum dux futurus, miſſus fuit. Certe Polybius [1] ducem hunc *Pyrrhiam Aetolum* appellavit; exemplis autem aliis plane compertum Olympionicas Belli quoque duces electos fuiſſe.

Quum vero *puerorum pancratium* Agonibus aliis adiectum foret, primus ex illo Phaedimus Aeolenſis palmam obtinuit. Pauſanias [2]: Πέμπτῃ δὲ ἐπὶ ταῖς τεσσαράκοντα ϗ ἑκατὸν Ὀλυμπιάδι ἆθλα ἐτέθη παγκρατίου παισὶ, ϗ ἐνίκα Φαίδιμος Αἰολεὺς ἐκ πόλεως Τρῳάδος *Olympiade CXLV puerile pancratium inſtitutum fuit, vicitque Phaedimus Aeolenſis ex urbe Troade*. Sic Africanus, niſi quod ille victorem hunc *Alexandrinum* appellat. Facile tamen diſſidium componi, ſuaque auctoritas Pauſaniae conſtare poterit, ſi obſervetur *Troadem* urbem aliquando etiam *Alexandriam* vocatam fuiſſe, eamque interdum quidem *Troadi* regioni, interdum etiam *Aeolidi* tributam fuiſſe, quae, cum prius *Myſia* diceretur, mox occupantibus illam Aeoliis Graecis, *Aeolis* vocata fuit. Itaque Phaedimus tum *Alexandrinus*, tum *Troadenſis*, tum *Aeolius* vocari potuit.

Moſchus autem Colophonius *puerorum pugilatu* victor fuit, iſque omnium unus παιδικὴν Περίοδον, univerſos nempe inter Pueros Agones vicit, ut Africanus teſtatur.

Anno autem primo Olympiadis huius Romani Philippo Macedoniae regi bellum indixerunt quod ille tum Attalum Pergami regem, tum Athenienſes, alioſque Graecos Ro-

(1) Lib. IV. pag. 30. (2) Eliac. I. c. 8.

Romanis foederatos infeſtaſſet [1]. Itaque T. Quinctius Flamininus in Graeciam ad ferendam Athenienſibus, ceteriſque Graecis opem miſſus fuit [2].

Anno 3. Quinctius Flamininus Conſul, eiuſque frater L. Quinctius Philippum Macedoniae regem Attalo rege, atque Aetolis opem ferentibus terreſtri, ac navali praelio ſuperarunt. Athenienſes Attalo, ac Romanis foederati regem invitarunt ut Athenas veniret, eumque una cum Romanis Legatis appellentem miro Athenienſes plauſu, ac pompa exceperunt. Tunc addita nova Tribus ex regis nomine Attalis vocata, eiuſque ſtatua inter Heroes Tribuum *Eponymos* excitata. Cumque Rhodiorum quoque Legati Athenas veniſſent, ac cives ad bellum Philippo indicendum hortati forent, Athenienſes Rhodiorum Populo coronam decreverunt, Rhodiiſque omnibus ſingulos omnino Athenienſium civium honores, ac iura conceſſerunt [3].

Non diu tamen his honoribus Attalus ſuperſtes fuit; nam hoc ipſo anno moriens Eumenem filium in Pergami regno ſucceſſorem habuit [4], qui 40. annis illud obtinuit.

OLYMPIAS CXLVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4518. Vrb. Cond. 558.

L. Furius Purpureo
M. Claudius Marcellus Coſſ.

Micion Boeotus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hoc eodem anno Olympico ineunte Iſthmici quoque Ludi celebrati ſunt, in quibus, facta a Romanis cum Philippo Macedonum rege pace, univerſis Graeciae Civitatibus ita libertas a Romanis reſtituta fuit, ut ſuis legibus uti poſſent. Eiuſmodi vero inſigne Romani Populi ac Flaminini Imperatoris beneficium in ipſo Iſthmiorum ludicro praeconis voce publicatum fuit [5].

(1) Liv. Libr. XXXIII. Polyb. Lib. XV. & Plut. in Flamin. (2) Pauſan. Phocic. c. 36. (3) Polyb. Excer Legat. num. 3 & Liv. Lib. XXXI. (4) Strabo Lib. XIII pag. 624 (5) Polyb. Exc. Legat. num. 9. & Liv. Libr. XXXII. c. 32. & Euſeb. in Chron.

OLYMPIAS CXLVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4522. Vrb. Cond. 562.

L. Quinctius Flamininus
C. Domitius Ahenobarbus Coſſ.

Agemachus Cyzicenus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Clitus vero, vel *Clitoſtus*, ſive, ut Scaligero legendum videtur, *Cleoſtratus*, Rhodius in Ludis ipſis *lucta* palmam obtinuit.

Ineunte hac Olympiade bellum a Romanis cum Antiocho Syriae rege ſuſceptum fuit, qui Hannibalis, atque Aetolorum ſuaſu Graeciam, atque Inſulas occupaverat, atque hoc ipſo anno hyemem in Euboea inſula tranſegerat. Itaque proximo anno miſſus Manius Acilius Conſul, qui Graecas urbes ab Antiocho occupatas liberaret (1). Athenis tamen hoc ipſo anno tranquillitas reſtituta fuerat. Etenim, cum plebs Antiocho faveret, L. Quinctius Athenas veniens, & Apollodorum defectionis auctorem exilio puniens, civitatem in Romanorum ſocietate conſervavit.

Anno $\frac{1}{2}$. A. Atilius praefectus Romanae claſſis Antiochi regis claſſem inſequutus hoſtium naves partim fugavit, partim diſiecit, ac partim etiam cepit. Victor una cum captis navibus Piraeeum Athenienſium foederatorum portum intravit, maximamque tritici copiam Athenienſibus diſtribuit (2).

Anno $\frac{2}{3}$. cum Amphyſſa Aetolorum urbs a Manio Acilio Conſule obſideretur, Athenienſes Aetolorum calamitatibus permoti Legatos ad L. Cornelium Scipionem Conſulem, & Acilii ſucceſſorem miſerunt, quibus ſequeſtribus Aetoli inducias impetrarunt. Legatorum princeps fuit Echedemus (3).

Ita prorſus inſequenti anno, cum Aetoli ſuperato iam, victoque Antiocho rege rebus ſuis deſperarent, Rhodios, atque Athenienſes exorarunt, ut Legatos Romam mitterent,

(1) Livius Lib. XXXV. (2) Liv. Lib. XXXVI. c. 20. (3) Polyb. Exc. Leg. num. 17. & Liv. Lib. XXXVII. c. 6.

rent, qui Senatus iram adverſus Aetolos lenirent (1); iiſque ſequeſtribus pax a Romanis Aetolis conceſſa, ſimulque cum Antiocho rege foedus initum fuit. Hanc ipſam Athenienſium legationem memorans Livius (2) Leonem Hiceſiae filium hoc munere perfunctum eſſe teſtatur.

OLYMPIAS CXLVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4526. Vrb. Cond. 566.

M. Livius Salinator
M. Valerius Meſſala Coſſ.

Acuſilaus Megalopolites *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hoc anno Philochori Athenienſis civis, ac Hiſtorici mortem memorandam putavi, cum illa 1 huius Olympiadis anno poſterior eſſe non poſſit. Etenim Suidas ait Philochorum ipſum Antigoni regis inſidiis peremptum eſſe quod Ptolemaeo Aegypti regi faveret; eiuſque aetatem ita deſcripſerat, ut Philochorum Erathoſthene iam ſene adoleſcentem fuiſſe dixerit. Hinc optime Voſſius (3) obſervavit in Suidae textu non Α'ντιγόνȣ, ſed Α'ντιόχȣ legendum eſſe. Siquidem Antigonus *Doſon* obiit anno 4 Oly CXXXIX. dum Eratoſthenes 54. aetatis annum ageret; ideoque Philochorus adhuc adoleſcens occiſus eſſet. Sin vero *Antiochus* reſcribatur, erit Antiochus cognomento *Magnus*, qui ab anno 1. Olymp. CXXXIX. ad 1. Olympiadis huius imperavit, & Ptolemaeo Philopatori, Epiphani, & Philometori coaevus fuit.

In hac ſane hypotheſi perſpicue apparet quod anno 1. Oly. CXLVI. quo Eratoſthenes *octogenarius* obiit, Philochorus *quadrageſimum* circiter aetatis annum egerit, ideoque extremis Antiochi Magni temporibus quinquagenario maior foret. Ceterum de variis praeclariſque Philochori Scriptis Suidas ipſe aliique Veteres conſuli poſſunt; praeſertim vero de Archontum Eponymorum ſerie, quam ille contexuit, ut opportune iam alibi (4) expoſui.

OLYM-

(1) Polyb. ib. num. 26. (2) Lib XXXVIII. c. 10. (3) De Hiſtor. Graec. Lib. I. c. 18. (4) Tom. II. pag. 3. & 90.

OLYMPIAS CIL.

Hippoſtratus Seleucienſis *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CL.

Oneſicrates Salaminius *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4538. Vrb. Cond. 578.

Q. Petilius Spurinus
Cn. Cornelius Scipio Hiſpalus Coſſ.
ipſique defuncto ſuffectus
C. Valerius Laevinus

Thymulus Aſpendius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Primo Olympiadis huius anno Antiochus *Epiphanes* Seleuco in Syriae regno ſucceſſit; proximoque anno liberalitate, ac mira prorſus in extruendis tum ſacris, tum profanis aedibus magnificentia Graecorum omnium amorem ſibi conciliavit. Etenim, ut ait Livius [1], *magnificentiae in Deos vel Iovis Olympii templum Athenis unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei poteſt teſtis eſſe. Sed & Delon aris inſignibus, ſtatuarumque copia exornavit*. Haec autem non ita intelligi profecto debent ut Antiochus ille Olympii Iovis templum Athenis inchoaverit; cum longe prius inceptum, tandemque ab Hadriano Auguſto dicatum fuerit, ut in Olymp. CCXXVII. obſervabitur; ſed quod templum ipſum iampridem inceptum novis operibus auxerit, atque exornaverit.

OLYMPIAS CLII.

Demetrius Megarenſis *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYM-

(1) Lib. XLI. c. 20.

OLYMPIAS CLIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4546. Vrb. Cond. 586.

L. Aemilius Paullus II.
C. Licinius Craſſus Coſſ.

Ariſtander Lesbius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Ineunte primo Olympiadis huius anno Perſes Macedonum rex a L. Aemilio ſuperatus, ac Macedonia in Provinciae Romanae formam redacta, Macedonicum regnum, in quo viginti reges initio a Carano ducto imperaverant, extinctum fuit. Atticae naves, atque Athenienſes cives Macedonas exoſi Romanis eo in bello ſuppetias tulerunt, victoriaque parta a Romanis honorati ſunt. Etenim *L. Aemilius autumni fere tempore*, cum varias Graeciae urbes luſtraſſet, *Oropum Atticae* venit, Athenas inde conceſſit, ac *ſacrificio Minervae praeſidi arcis in urbe facto profectus Corinthum altero die pervenit* (1).

OLYMPIAS CLIV.

Leonidas Rhodius *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4554. Vrb. Cond. 594.

L. Anicius Gallus
M. Cornelius Cethegus Coſſ.

Leonidas Rhodius, qui ſuperiori Olympiade *ſtadio* palmam retulerat, hac ipſa quoque & proxime inſequenti *ſtadio* victor fuit. Itaque Pauſanias (2) ait quod ille *quater* Olympia vicit, coronaſque *duodecim* reportavit, quod nimirum in Olympicis Ludis non *ſtadio* ſolum, ſed aliis etiam certaminum generibus, victoriam ſit conſequutus.

(1) Liv. Lib. XLV. c. 27. 28. (2) Eliac. II. c. 13.

OLYMPIAS CLVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4558. Vrb. Cond. 598.

L. Cornelius Lentulus
C. Marcius Figulus II. Coſſ.

Leonidas Rhodius tertiam *ſtadio* palmam obtinuit, ex Africano.

In Olympiis autem ipſis, niſi plurimum fortaſſe fallor, *lucta*, *&* *pancratio* victor fuit *tertius* ab Hercule Ariſtomenes & ipſe Rhodius. Ac certe quidem Ariſtomenem hunc *lucta*, *&* *pancratio* aliquando viciſſe teſtatur Pauſanias (1); quod certe poſt Olymp. CXLII. contigiſſe debuit, qua Caper *ſecundus* ab Hercule, & ante CLXXII. qua Protophanes *quartus* ab Hercule victor memoratur, ceterique poſt Herculem victores ab Africano uſque ad Olymp. CCXXXII. recenſentur. Quod autem victoria illa huic uni Olympiadi adſcribenda ſit ex Africano deprehendi, quem hoc loco mutilum eſſe obſervavi. Cum enim ad Oly. CLIV. dixiſſet Λεονίδας Ῥόδιος, στάδιον *Leonidas Rhodius ſtadio*, ad CLV. ὁ αὐτὸς τὸ δεύτερον, στάδιον *idem ipſe ſtadio iterum*, ad CLVI. ſcribit ὁ αὐτὸς τὸ τρίτον. Ῥόδιος, τρίτος ἀφ' Ἡρακλέους πάλην ὁμοῦ, καὶ παγκράτιον *idem ipſe tertio, Rhodius tertius ab Hercule lucta ſimul, & pancratio*. Itaque in Africani textu ante vocem Ῥόδιος eius victoris nomen excidit, qui *lucta ſimul*, *&* *pancratio* palmam retulerat: alioquin, ſi vox illa Ῥόδιος ad Leonidam ipſum referatur, in hac Olympiade *ſtadii* victor deeſſet. Quem vero potius hunc *Rhodium* fuiſſe dicemus, quam Ariſtomenem, quem *lucta & pancratio* his temporibus victoriam adeptum eſſe iam vidimus? In Graecis quidem Collectaneis apud Scaligerum Africano ſubiectis inter Caprum, & Protophanem *Leonidas Rhodius* veluti *lucta & pancratio* victor memoratur; ſed id ex vitiato Africani textu, Criticique infelicis manu profluxiſſe conſpicitur.

Hoc anno Polemo Evegeti filius Athenienſis civis, at-

(1) Eliac. I. c. 21.

atque Atticarum rerum Scriptor memorandus videtur: Quamvis enim ipſius aetas accurate definiri non poſſit, Suidas tamen aſſerit ipſum Ariſtophanis Byzantii aequalem fuiſſe. Ariſtophanes autem ille Polemonis coaevus, eius Ariſtarchi magiſter fuit, qui Suida teſte Olymp. CLVI. floruit, & Ptolemaei Philometoris filium erudivit. Ergo Polemo paullo Ariſtarcho ſenior fuit, & circa Olympiadem hanc, qua Ariſtarchus floruiſſe dicitur, e vivis exceſſit.

Ceterum ex variis Polemonis huius Operibus, quae accurate a Voſſio (1) recenſentur, illud in primis ad haec uſque tempora perennare merebatur, quod inſcriptum fuerat περὶ τῶν κατὰ πόλεις Ἐπιγραμμάτων *de Inſcriptionibus, quae in* Graeciae *urbibus ſunt*. Etenim ex illo immenſus fere ſplendor in plurima Atticae hiſtoriae capita, praeſertim vero in *Faſtos Atticos*, redundaret.

Paullo Polemone recentior fuit Apollodorus Aſclepiadae filius & ipſe Athenienſis, quippe qui Suida teſte Ariſtarchi Grammatici & Panaetii Rhodii, Diogeniſque Stoici diſcipulus fuit (2). Praeclarum ipſius Opus Χρονικὰ *Chronica* inſcriptum ſaepiſſime memoravi, quod utinam maximo hiſtoriae, & eruditionis bono ſupereſſet!

Dodvellus (3) quidem, ipſique inhaerens Fabricius (4) aſſerit illum Chronica haec ſua ad annum uſque 1040. ab Ilii excidio, nimirum 4. Olymp. CLVIII. perduxiſſe, eademque Attalo II. Pergami regi dicaſſe, qui anno 3. Olymp. CLX. e vivis exceſſit. Quum tamen Apollodorus ipſe Carneadis mortem in anno 4. Olymp. CXLII memoraverit, ut inferius oſtendetur, perſpicue apparet ipſius hiſtoriam in Olymp. CLVIII. deſinere non potuiſſe. Itaque aut Scymni Chii locus, ubi tempus illud exprimitur, vitiatus eſt, aut Apollodorus ipſe Chronicis ſuis Attalo regi iam oblatis partem aliam adiecit, in qua tempora mox inſequuta deſcripſit.

Certe, ſi quis Scymni locum accuratius inſpexerit, non immerito ſuſpicabitur Apollodori Chronica uſque ad Olymp. CLXII. perveniſſe. Etenim Scymnus (5) ad Nicomedem Bi-

(1) De Hiſt. Graec. Libr. I. c. 18. (2) Vid. Voſſ. Lib. I. c. 20. (3) Diſſert. de aetate Scymni. (4) Biblioth. Graec. Tom. II. pag. 661. (5) Vid. Fabric. Tom. III. pag 35.

thyniae regem ſcribens anno 3. Oly. CLXII. diſſimulato Apollodori nomine laudat eius Χρονογραφίαν ςοιχῦσαν ἄχρι τῦ νῦν βίυ *Chronographiam verſibus deſcriptam ad hoc uſque tempus*.

Athenienſes, qui Macedonico bello proventus, atque opes omnes inſumpſerant, ac Pauſania [1] teſte Graecorum omnium egentiſſimi evaſerant, Oropum urbem ſociam diripuerunt. Quum vero Oropii ad Romanum Senatum iniuriam hanc ſibi temere irrogatam detuliſſent, Sicyoniis a Senatu imperatum ut debitam multam Athenienſibus imponerent. Itaque a Sicyoniis quingentorum talentorum multa Athenienſibus inflicta fuit. Vt poenam hanc deprecarentur Athenienſes tres Sectarum principes, qui tunc Athenis florebant, Romam ablegarunt [2], Carneadem nempe Academicum, Diogenem Stoicum, & Critolaum Peripateticum, qui, cum in Senatu patriae cauſſam egiſſent, impetrarunt, ut multa *centum* dumtaxat talentorum ab Athenienſibus ſolvi deberet. Celebrem hanc legationem 2. Olymp. huius anno contigiſſe teſtatur Cicero [3], qui Legatos illos *P. Scipione*, & *M. Marcello* Coſſ. Romam veniſſe dicit, hoc eſt anno V. C. 598. dum Plutarcho [4] teſte Cato Cenſorius iam ſenex foret, quippe qui anno V. C. 584. iam 65. aetatis annum ageret [5]; adeoque Legatis illis Romae degentibus 80. ferme annos natus eſſet. Itaque perſpicue eorum ſententia refelli debet, qui legationem illam ad annum V. C. 532. referendam eſſe putarunt; cum praeſertim ex Pauſania [6] conſtet Oropi direptionem poſt ea tempora contigiſſe, quibus, Perſe Macedonum rege iam ſuperato, Macedonia Romanorum Provincia evaſerat, quod anno demum V. C. 587. factum fuit. Ceterum Pauſanias ipſe teſtatur quod aetate ſua Oropus, quae olim ad Boeotos ſpectaverat, ab Athenienſibus tenebatur [7].

Ex tribus autem Legatis illis Carneades uſque ad Olymp. CLXII. ſuperſtes fuit; Diogenes vero obita iam legatione brevi defunctus videtur; cum Cicero [8] ipſum anno 604. quo loquentem Catonem inducit, Diogenem iam obi-

(1) Achaic. c. 11. (2) Plin. Lib. VII. c. 30. Gell. Lib. VII. c. 14. Macr. Sat. I. c. 5. Cic. Tuſc. IV. c. 3. (3) Acad. IV. c. 45. (4) In Catone. (5) Cic. de Senect. c. 5. (6) Achaic. c. 11. (7) Attic. c. 34. (8) De Senect. c. 5. & 7.

obiiſſe demonſtret; adeoque ſi is 88. annos vixit, ut teſtatur Lucianus [1], *octogenario* maior iter ſuſcepit. Critolaus vero ad annum V. C. 650. perveniſſe legitur apud Ciceronem [2], ubi Craſſo Athenis degente floruiſſe dicitur: *Peripatetici Critolaus, & Diodorus*. Sed ibi legendum erit *Peripatetici Critolai Diodorus*.

Ceterum tantum abeſt ut Athenienſes Oropiis centum talentorum multam ſibi irrogatam perſolverint, ut potius non multo poſt Oropios iterum vexaverint; &, quidquid praedae atque opum relictum fuerat, Athenas adſportaverint [3].

OLYMPIAS CLVII.

Leonidas Rhodius *ſtadio* victor IV. *Afric.*

OLYMPIAS CLVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4566. Vrb. Cond. 606.

Sp Poſtumius Albinus
L. Calpurnius Piſo Coſſ.

Ortho Syracuſius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Pauſanias tamen mox proferendus *Diodorum Sicyonium* veluti *ſtadii* victorem memoravit; quamvis Olympionicam illum cum CLX. Olympiade, & Corinthi clade coniunxerit, quod a vera temporum ſerie aberrare conſpicitur.

An. $\frac{2}{3}$. Antitheus Athenis Archon DXXXVIII.

C. Cornelius Lentulus
L. Mummius Coſſ.

Athenienſis Archontis nomen conſervavit Pauſanias [4], qui de Achaico Bello loquens ait: Ὁ δὲ πόλεμος ἔσχεν οὕτος τέλος, Ἀντιθέυ μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, Ὀλυμπιάδι δὲ ἑξηκοστῇ πρὸς ταῖς

(1) In Macrob. (2) De Orat. Lib. I. cap. 11. (3) Pauſ. Achaic. cap. 12. (4) Achaic. cap. 16.

ταῖς ἑκατὸν, ἣν ἐνίκα Διόδωρος Σικυώνιος *confectum eſt hoc bellum Antitheo quidem Athenis Archonte, Olympiade vero CLX., qua vicit Diodorus Sicyonius*. Plinius (1) vero Corinthum captam eſſe dicit *Olympiadis CLVI. anno 3. noſtrae Vrbis DCVIII.* cumque annus ille V. C. 608. iuxta Olympiadum calculum a Plinio ſaepe uſurpatum cum 3. Olymp. CLXI. concurrat, Harduinus in Plinio legendum aſſerit Olympiadis CLXI. Ac certe quidem ex pluribus Plinii locis invicem collatis apparet quod ille 12 ſolidis annis, aut tribus integris Olympiadibus a Varronis Epocha abhorret: atque V. C. annos ita cum Olympicis annis committit ac ſi Vrbs Roma anno 3. Oly. IX. condita foret. Itaque in hac hypotheſi Corinthi clades, quae a Plinio anno V. C. 608. tribuitur, in Pliniano calculo anno 3. Oly. CLXI. vere tamen anno 3. Olymp. CLVIII. adſcribenda foret. Appianus (2) autem cladis huius tempus obſcurius expreſſit, ubi Corinthum occupatam, & everſam fuiſſe dicit ἀμφὶ τὰς ἑξήκοντα κ) ἑκατὸν Ὀλυμπιάδας *circa centeſimam ac ſexageſimam Olympiadem*. Hinc fortaſſe Scaliger in *Collectaneis* anſam arripuit ut Corinthi cladem ab aliquibus Olympiadis CLVIII. anno 2. ab aliis anno 1. Olymp. CLX. adſcribi cenſeret, ideoque ad Olymp. hanc adnotaret Ἀντίθεος πάλιν *Antitheus iterum* Archon: perinde quaſi Antitheus ſemel, iterumque Archontis Eponymi munere perfunctus fuerit.

Quod vero Pauſanias hac Olympiade, qua Corinthus occupata & incenſa fuit, Diodorum Sicyonium Olympiis viciſſe dicit, ita intelligi fortaſſe debet, ut is vel *lucta*, vel alio certaminis genere palmam retulerit. Siquidem in Africani ſerie tunc Ortho Syracuſius veluti *ſtadii* victor memoratur; niſi fortaſſe in alterutro Scriptore mendum irrepſerit.

Ceterum L. Mummius Conſul confecto Achaico Bello tributum univerſae Graeciae indixit, concilia ſuſtulit, Romaeque ſancitum ut quotannis Praetor in Graeciam mitteretur, qui *Achaiae Praetor* dicebatur. Hinc, licet Athenis eadem Reipublicae forma, Magiſtratuum varietas, & Archontis Eponymi dignitas, ac nomen perſeveraverit, gravio-

(1) Lib. XXXIV. cap. 2. (2) De Bello Pun. pag. 84.

viores tamen cauſſae ad hunc ipſum *Achaiae Praetorem*, veluti ſupremum Graeciae tribunal, deferebantur, ut opportune iam alibi demonſtravi [1].

OLYMPIAS CLIX.

Alcimus Cyzicenus *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLX.

Anodocus Cyzicenus *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXI.

Antipater Epirota *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4582. Vrb. Cond. 622.

Heraclitus Athenis Archon DLII.

P. Popilius Laenas
P. Rupilius Nepos Coſſ.

Damon Delphus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Heracliti Archontis nomen hoc loco Faſtis inſcripſi quod illum Meurſius ex Paullo Diacono ſe deprehendiſſe putaverit. Ille nimirum ad annum V. C. 621. cum de Servili Bello in Sicilia excitato dixiſſet, adnotavit [2]: *In Metallis quoque Athenienſium idem tumultus ſervilis ab Heraclito Praetore diſcuſſus eſt*. Ac certe quidem tumultus ille, ac Servile Bellum in Attica excitatum Athenaeus [3] etiam memoravit, additque ſervos cuſtodibus interemptis acropolim in Sunio promontorio poſitam occupaſſe, Atticam diu populationibus vexaſſe, eo tempore, quo ſecunda Servorum defectio in Sicilia excitata fuit.

Ita

(1) Vid. Pauſan. Achaic. cap. 16. (2) Hiſt. Miſcel. Libr. IV. (3) Lib. VI. cap. 20.

Ita Diodorus (1), cum Servile Bellum in Sicilia excitatum deſcriberet, ait: *κὴ κατὰ τὴν Ἀττικὴν ὑπὲρ χιλίων, ἔντε Δήλῳ, κὴ κατ' ἄλλους πόλεις τόπους in Attica vero pluſquam mille* ſervi ſunt interempti, *inque Delo, & aliis multis locis*.

Vereor tamen ne in explicando *Praetoris* nomine Meurſius hic aberraverit, ubi *Praetoris* voce Archontem Eponymum deſignari putavit. Quemadmodum enim opportunius alibi (2) oſtendi, *Strategi* quoque Athenis eligebantur, qui bellicis rebus praeeſſent, ac militibus imperarent, adeoque Reipublicae tranquillitatem curarent, hoſtes propulſarent, ac ſeditioſos compeſcerent. Hinc Phocionem, quem Meurſius ipſe Eponymorum Faſtis inſcripſerat, expungendum demonſtravi, cum ille a Plutarcho Στρατηγὸς ſolum, hoc eſt *exercitui Praefectus*, vel *Praetor* dicatur. Itaque Heraclitus etiam eodem ipſo iure non Eponymus Archon, ſed *Strategus* habendus erit, quod ipſum *Praetoris* nomen perſpicue oſtendit, atque ex compreſſa Servorum ſeditione deduci poterit: quod ſane non ad Archontem Eponymum, ſed ad Strategum potius ſpectaſſe debuit.

OLYMPIAS CLXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4586. Vrb. Cond. 626

Cn. Octavius
T. Annius Coſſ.

Timotheus Trallianus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Huic anno Carneadis Academici Philoſophi mortem tribuendam eſſe putaverim, de qua ſuperiori ſeculo doctiſſimi Viri accerrime diſputarunt. Etenim Laërtius (3) perſpicue diſerteque dicit: *Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς ἀπελθεῖν αὐτὸν ἐξ ἀνθρώπων ἔτει τετάρτῳ τῆς δευτέρας κὴ ἑξακοστῆς κὴ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος ait Apollodorus in Chronicis eum humanis exceſſiſſe rebus anno quarto Olympiadis CLXII.* Eiuſmodi vero Laërtii, vel Apollodori verba ita explicanda putat Stanleius, ut anno illo non *defunctum*, ſed *natum* Carneadem

(1) Eclog. II. Lib. XXXIV. pag. 905. (2) Tom. I. pag. 366. (3) Lib. IV. ſeg. 65.

dem fuiſſe dixerit. Obſervat enim quod Antonius, Cicerone [1] teſte, dum Proconſul in Cilicia foret, Carneadem adhuc ſuperſtitem Athenis audivit; ideoque, cum Antonii Proconſulatus in annum V. C. 652. ſive 3. Oly. CLXIX. inciderit, Carneadis mors Olympiadi CLXIII. adſcribi non poſſet. Addere etiam poterat Stanleius quod Craſſus, qui ſane Q. Caepione, & C. Laelio Coſſ. ortus erat [2], hoc eſt anno V. C 614. dum ex Macedonia Quaeſtor Athenas veniſſet, Carneadem viventem reperit [3], quod circa annum V. C. 650 contigiſſe debuit. Itaque Stanleius Carneadis mortem longe ſerius contigiſſe putat; ideoque a Laërtio non *mortis*, ſed *ortus* annum expreſſum eſſe contendit. Salmaſius [4] tamen, ac Ionſius [5] in utroque Ciceronis loco non *Carneadem*, ſed *Charmidem* reſcribendum eſſe iam viderant, idque veterum Codicum praeſidio a Criticis aliis aſſeritur. Ac certe quidem, ut argumenta cetera a Criticis illis allata diſſimulem, idem ipſe Ciceronis locus, qui fraudi fuerat, oſtendit ibi de Charmide, non vero *Carneade* rem eſſe. Ait enim Cicero *florente Academia, quod eam Carneades, Clitomachus, & Aeſchines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una illum ipſum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum, & copioſiſſimum* [6]. Quis hic aperte non videat Craſſum de Carneadis eloquentia ex fama ſolum, non praeſentia, iudicaſſe; adeoque Craſſum cum Carneade verſatum non eſſe? Quis, ubi viderit tres antea Philoſophos memorari, mox aſſeri quod Metrodorus *una cum illis* Carneadem audiverat, Carneadem ipſum a tribus illis diſtinguendum eſſe non intelligat; adeoque primo loco Carneadem memorari non potuiſſe? Itaque, ſi ex variis Ciceronis locis *Carneadis* nomen expungatur, ibique *Charmidis* nomen reponatur, quem idem Cicero Carneadis una cum Clitomacho auditorem fuiſſe dicit [7], nihil eſt certe cur Carneadis vita ad annum V. C. 652. protrahatur. Accedit etiam quod Laërtius ait τελευτῶντος αὐτȣ̃ φασὶν ἔκλειψιν γενέϑαι σελήνης *ipſo defuncto eclipſim*

(1) De Orat. Libr. I. c. 18. & II. c. 88. (2) Cicer. in Bruto c. 43. (3) Id. de Orat Lib. I. c. 11. (4) Plinian. Exerc. p. 50. (5) Hiſtor. Phil. Lib. II. c. 14. (6) Ib. Libr. I. c. 11. (7) Orator. c. 16.

Lunae contigiſſe; eclipſis autem illa exeunte fere anno 1. Olymp. CLXIII. in Tabulis memoratur; & quamvis illo iam defuncto contigerit, optime tamen ad Carneadis mortem referri illa potuit, adeoque mortis tempus a Laërtio propoſitum mire confirmat.

Quandoquidem vero Scriptores alii contenderant Carneadem noſtrum ad antiquiora potius tempora referendum eſſe, quod a Cicerone (1) Carneades *Epicuro perfamiliaris* fuiſſe dicatur, opportune obſervandum id de alio prorſus Carneade intelligendum eſſe; quemadmodum certe Antipater ille, qui hauſto veneno ante Carneadis noſtri mortem interiit (2), Antipater Tyrius eſſe non potuit, ut Aldobrandinus, ac Menagius perperam exiſtimarunt; cum Cicero in Officiorum Libris (3), quos anno V. C. 709. exaravit, Antipatrum Tyrium *nuper Athenis mortuum* fuiſſe dixerit.

Ceterum Carneades ipſe ex Cicerone (4) quidem, & Valerio Maximo (5) 90., ex Laërtio vero, & Luciano (6) 85. annos vixit, quorum calculum exactiorem eſſe putaverim; cum Cicero, & ipſi inhaerens Valerius id obiter rotundoque numero expreſſiſſe videantur.

Defuncto Carneadi in Academica Schola ſucceſſit Clitomachus Diogneti filius Carthaginienſis.

An. $\frac{2}{3}$. Agathocles Athenis Archon DLVIII.

Eponymi Archontis huius nomen Pſephiſmati inſcriptum conſpicitur, quod Athenis in Hyrcani Iudaeorum Pontificis honorem editum a Ioſepho (7) exhibetur; variiſque mendis reſperſum opportunius alibi emendavi (8). Quod vero decretum ipſum, adeoque Agathocles Archon ad hunc annum referri debeat, exinde facile inferri poteſt, quod Ioſephus perſpicue diſerteque dicat Athenienſium, ac Romanorum decreta *ἐγένετο ἐπὶ Ὑρκάνου Ἀρχιερέως, καὶ Ἐθνάρχου ἔτους ἐννάτου facta ſunt Hyrcani ſacerdotis, & Ethnarchae anno nono*. Itaque, cum Hyrcanus ſenior, ac iunioris avus Pontificatum ſuſceperit anno 2. Olymp. CLXI. V. C. 619.

nonus

(1) Fin. Libr. V. c. 31. (2) Laert. Lib. IV. ſ. 64. (3) Lib. II. c. 24. (4) Acad. Quaeſt. Lib. IV. c. 6. (5) Lib. VIII. c. 5. (6) In Macrob. (7) Antiqu. Iudaic. Lib. XIV. c. 8. (8) Tom. I. pag. 281.

nonus ipſius annus, ideoque Agathoclis magiſtratus in $\frac{2}{3}$. huius Olympiadis annum referri debet. Quo ſane loco miram Ioſephi hallucinationem obſervare cum Petavio (1) decet, quum Ioſephus de Hyrcano iuniore loquens, rebuſque geſtis anno V. C. 710. Romanorum, atque Athenienſium Pſephiſmata repente ſubiecerit, quae non ad iuniorem, ſed potius ſeniorem, non ad annum V. C. 710. ſed 627. ſpectabant.

Syncellus (2) quidem Legationem illam ab Hyrcano, & Herode miſſam fuiſſe ſcribit, eamque circa tertium Auguſti Caeſaris annum contigiſſe indicat; tuncque Pſephiſma ab Athenienſibus de amicitia ſervanda Legatis conceſſum eſſe teſtatur; ſed ipſe quoque perturbata apud Ioſephum temporum ſerie deceptus fuit.

An. $\frac{3}{4}$. Iaſon Athenis Archon DLIX.

Eponymus hic Archon a Phlegonte memoratur (3) ubi Androgynum Romae viſum ait Α῎ρχοντος Α᾽θήνησιν Ἰάσονος, ὑπατευόντων ἐν Ρ῎ωμῃ Μάρκου Πλαυτίου, καὶ Σέξτου Καρμινίου Υ῾ιαίου, καὶ Μάρκου Φουλβίου Φλάκκου *Archonte Athenis Iaſone, Conſulibus Romae Marco Plautio, & Sexto Carminio. Hyiaeo, ac M. Fulvio Flacco*. Meurſius (4) hoc loci reſcribendum putaverat καὶ Σεντίου Α᾽υγουρίνου & *Sentio Augurino*, ideoque hiſtoriam illam referendam aſſerit ad annum V. C. 909. quo 19. Antonino Pio imperii annus agebatur; quod nimirum in Panvinii Faſtis *Sentio Augurino* collega ponatur *Marcus Plautius Sylvanus*. Noriſius (5) tamen, aliique obſervarunt *Sentii Augurini* Collegam fuiſſe *Marcum Ceionium Silvanum*, vel, ut alibi legitur, *Iulium Silvanum*; ideoque in Phlegontis textu pro καὶ Σέξτου Καρμινίου Υ῾ιαίου legendum erit Υ῾ψαίου, καὶ Μάρκου Φουλβίου Φλάκκου & *M. Fulvio Flacco*, qui certe cum Marco Plautio Hypſaeo anno ab V. C. 629. hoc eſt $\frac{3}{4}$. Olymp. CLXIII. Conſul proceſſit.

Ergo etiam Iaſonis Archontis nomen huic anno inſerendum erit.

 OLYM-

(1) Doctr. Temp. Lib. I. c. 26. & Lib. X. c. 56. (2) Pag. 243. (3) De Mirabil. c. 10. (4) In Notis ad Phlegont. (5) Epiſt. Conſ. pag. 97.

OLYMPIAS CLXIV.

Boeotus Sicyonius *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXV.

Acuſilaus Cyzicenus *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXVI. & CLXVII.

Chryſogonus Nicaenſis *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXVIII.

Nicomachus Philadelphienſis *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXIX.

Nicodemus Lacon *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXX.

Simmias Seleucienſis a Tigri *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXXI.

Parmeniſcus Corcyraeus *ſtadio* victor. *Afric.*

OLYMPIAS CLXXII.

Eudamus Cous *ſtadio* victor. *Afric.*

Protophanes Magnes *lucta*, & *pancratio quartus* ab Hercule. Afric.

OLYM.

OLYMPIAS CLXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4626. Vrb. Cond. 666.
Athenion Athenis Archon DXCVI.

L. Cornelius Sulla / *Q. Pompeius Rufus* Coſſ.

Parmeniſcus Corcyraeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano; quemadmodum *ſtadio* ipſo Olymp. CLXXI. palmam retulerat.

Hoc anno, quo Mithridates Ponti rex Athenas occupavit, ſupremam Archontis Eponymi dignitatem ab *Athenione*, ſive, ut ab aliis vocatur, *Ariſtione* ſuſceptam fuiſſe non obſcuris, opinor, indiciis opportunius alibi (1) demonſtravi; ut proinde ipſius nomen hic Faſtis inſerendum putaverim. Certe Mithridatem regem hoc anno Macedoniam, Thraciam, Graeciam, atque Athenas ipſas obtinuiſſe ex Appiano (2), Plutarcho (3), & Livio (4) erudimur.

Itaque plerique Athenienſium optimates haec patriae infortunia declinantes Romam migrarunt. Ita Cicero (5) de ſeipſo loquens ait: *cum princeps Academiae Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamque veniſſet, totum ei me tradidi.* Hic autem Philo Lariſſaeus *quartam* Academiam Athenis invexerat (6), eique defuncto ſucceſſit Antiochus Aſcalonita, quem Cicero Athenis anno V. C. 685. audivit (7).

An. $\frac{2}{3}$. Cum Athenarum Vrbs diuturna, gravique obſidione a L. Sylla Romani exercitus Imperatore preſſa fuiſſet, tandem civibus ad extrema redactis ſuperata, & occupata fuit primo Antheſterionis menſis die, qui eo anno in ipſius Martii Romani Kalendas inciderat. Caedes, incendia, rapinae, quibus miſerrima Vrbs ab Imperatore Sylla, efferatiſque militibus direpta fuit, fuſe a Plutarcho (8), aliiſque Scriptoribus deſcribuntur. Piraeeus quoque mox a Sylla occupa-

(1) Tom. II. pag. 101. (2) Mithridat. (3) In Sylla & Pomp. (4) Epitome 78. (5 Brut. c. 89. (6) Empiric. Hypoth. Lib. I. ſeg. 33. (7) Ibid. c. 91. (8) In Sylla.

cupatus, ac navale, ſive armamentarium ibi iampridem a Philone exſtructum incenſum fuit.

Vna vero cum manubiis, ditiſſimiſque ſpoliis, quae ex direpta Vrbe Athenienſi Romam delata ſunt, Ariſtotelis etiam ſcripta, quae iampridem Apellico Teius Athenienſis civis Mithridatis Magni aetate coëmerat, una cum Apelliconis bibliotheca Romam invecta fuere, ibique a Tyrannione Grammatico recenſita, variaſque in claſſes diſtributa ſunt (1).

Quamvis tamen ingentem adeo cladem Athenienſes a Syllae militibus perpeſſi forent, ipſorum tamen civitas, ut teſtatur Strabo (2), qui Tiberii Caeſaris aetate floruit, μέχρι νῦν ἐλευθερία τέ ἐςι ϗ τιμῇ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις *ad hanc uſque diem libera, atque apud Romanos in honore eſt.*

OLYMPIAS CLXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4630. Vrb. Cond. 670.

L. Cornelius Cinna IV.
Cn. Papirius Carbo II. Coſſ.

Eius, qui hac Olympiade *ſtadio* palmam obtinuit, nomen in mutilo Africani textu deſideratur.

OLYMPIAS CLXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4634. Vrb. Cond. 674.

L. Cornelius Sulla II.
Q. Caecilius Metellus Coſſ.

Epaenetus Argivus in Olympicis Ludis *puerorum ſtadio* palmam obtinuit, perinde quaſi hac Olympiade ſola puerorum certamina peracta fuerint, Σύλλα πάντας ἐις Ῥώμην μεταπεμψαμένυ *cum Sylla omnes Romam miſiſſet*, ut ait Africanus. Ac certe quidem Appianus (3) etiam de inita Romae a L. Sylla dictatura loquens ait Ὀλυμπιάδων ἐσῶν ἐν Ἑλλη-

(1) Plut. in Syll. Strab. Lib. XIII. pag. 608. Athenae. Lib. V. c. 13. (2) Lib. IX. (3) Bell. Civil. Lib. I. pag. 422.

Ἕλλησιν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα πέντε, ϗ ȣ̓δενὸς ἐν Ὀλυμπίᾳ τότε ἀγωνίσματος, πλὴν ϛαδίȣ δρόμȣ, γενομένȣ. Τȣ̀ς γὰρ ἀθλητὰς, ϗ τὰ ἄλλα θεάματα πάντα ὁ Σύλλας ἐς Ῥώμην μετεκέκλητο ἐποιει-κείᾳ Μιθριδατείων ἔργων ἢ τῶν Ἰταλικῶν *peracta apud Graecos Olympiade CLXXV. quo tempore nullum in Olympia certamen, praeter curſum in ſtadio, fuit; nam Athletas, ceteraque ludicra univerſa in Vrbem Sylla Mithridatici, atque civilis Belli occaſione tranſtulerat*. Itaque, licet Africanus Epaeneto *ſtadio inter pueros* victoriam adſcripſerit, facile tamen hic illam *inter viros* obtinuit, cum Appiano teſte Sylla ſolum, conſuetumque *ſtadii curſum* in Graecia reliquerit.

An. $\frac{1}{2}$. Hoc anno *ſecundo* huius Olympiadis Cicero, cum antea Sex. Roſcium Romae defendiſſet, Athenas conceſſit, ut ibi in Oratoria, ceteriſque liberalibus Artibus erudiretur (1). Triennii ſpatio Tullium Athenis ſubſtitiſſe dicit Hieronymus; cum tamen ſex ſolum menſes Athenis exegerit, ibique Myſteriis initiatus fuerit (2).

OLYMPIAS CLXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4638. Vrb. Cond. 678.

Cn. Octavius
C. Scribonius Curio Coſſ.

Dion Cypariſſienſis *ſtadio* in Olympiis victor ex Africano.

OLYMPIAS CLXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4642. Vrb. Cond. 682.

L. Gellius Poplicola
Cn. Cornelius Lentulus Clodianus Coſſ.

Hecatomnus Eleus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, & Phlegonte, a quo tamen victor ille *Mileſius* vocatur, fortaſſe quod is, aliorum Hieronicarum inſtar, plurium Ci-

(1) Plutar. in Cicer. Vid. Gell. Lib. XV. c. 27. (2) Cic. de Legib. Lib. II. c. 14.

Civitatum iure atque honore donatus eſſet. Neque *ſtadio* ſolum, ſed *diaulo* quoque, & *armato curſu* viciſſe eum memorat Phlegon, adeoque tres coronas ex Olympiis retuliſſe.

Ceterum inſignis ille Phlegontis locus, quem nobis Photius (1) conſervavit, reliquos etiam victores omnes enumerat, qui in Olympiis ipſis vario certaminum genere palmas reportarunt, quos eodem ordine hic ſubiiciendos putavi.

Hypſicles Sicyonius *dolicho*
Caius Romanus *dolicho* facile *puerorum*
Aritonymias Cous *pentathlo*
Soterichus Eleus *pugilatu puerorum*
Ariſtolochus Eleus *tethrippo*
Clitias Eleus *biga pullorum equorum*
Iſidorus Alexandrinus *lucta*
Aprotus *periodo*
Atyanas Hippocratis f. Atramyttenus *pugilatu virorum*
Sphodrias Sicyonius *pancratio*
Soſigenes Aſianus *ſtadio puerorum*
Apollophanes Cypariſſienſis *lucta puerorum*
Calas Eleus *pancratio puerorum*
Agemon Eleus *celete*
Hellanicus Eleus *biga*, & *tethrippo pullorum equorum*
Calippus Pelaeus *celete pullo*.

Ex hoc illuſtri Phlegontis loco non modo Victorum horum nomina affulſere; verum etiam maxima certaminum varietas deprehendi poteſt, quae iis temporibus, afflictis etiam Graecorum rebus, committebantur.

An. $\frac{2}{3}$. Magnus Gaius Athenis Archon DCXIV.

Cn. Pompeius Magnus
M. Licinius Craſſus Coſſ.

Plane dubitans, mihique ipſi diffidens huius *Magni Gaii* nomen Faſtis hic inſero, quod is a Ioanne Sariſberienſi Craſſi Conſulis anno *Athenienſium Maior* vocetur, idque for-

(1) Cod. 97.

fortaſſe de Archontis Eponymi dignitate intelligi poſſit ; quamvis integer contextus hunc *Strategum* potius, aut *Polemarchum* fuiſſe ſubindicet, ut iam alibi opportune demonſtravi (1). Ex ipſa vero Sarisberienſis, vel certe antiquioris Auctoris, quam ille exſcripſit, narratione perſpicue apparet tunc temporis Athenienſes *Romani Populi ſocios*, *amicoſque* fuiſſe. Id vero de eius etiam belli tempore intelligi facile debet, quo L. Lucullus Ponto ſubacto, pulſoque Mithridate rege, ac Tigrane ſuperato ingentem Populo Romano gloriam reportavit, quod anno 4. huius Olympiadis CLXXVII. contigiſſe Phlegon (2) teſtatur.

OLYMPIAS CLXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4646. Vrb. Cond. 686.

L. Caecilius Metellus
Q. Marcius Rex Coſſ.

Dinocles Hypepaenus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Strato Alexandrinus Chorragi filius *lucta*, & *pancratio* quinctus ab Hercule victoriam in Ludis ipſis obtinuit ex Africano, qui tamen victorem hunc *Stratonicum* appellat. Victor ipſe a Pauſania (3) quoque, & Aeliano (4) memoratur.

Philoſtratus vero Rhodius *pugilatu* palmam adeptus eſt (5) ; quamvis a Iudicibus multatus eſſet quod victoriam hanc ab Eudelo antagoniſta pecunia comparaſſet.

Hac ipſa Olympiade victorias illas contigiſſe putaverim, quibus idem Strato Alexandrinus tum in *Pythiis*, tum in *Nemeis* Ludis palmam obtinuit, ut Aelianus ipſe teſtatur. Quamvis enim Scriptor ille verum harum victoriarum tempus non expreſſerit, facile tamen ipſae circa hanc Olympiadem contigerunt, qua is eodem *luctae*, & *pancratii* certamine in Olympiis viciſſe legitur.

(1) Tom. II. pag. 103. (2) Apud Phot. Cod. 97. (3) Eliac. I. c. 21. & Achaic. c. 23. (4) Var. Hiſt. Lib. IV. c. 15. (5) Pauſ. Eliac. I. c. 21.

An. $\frac{1}{2}$. Quum Pompeius hoc anno V. C. 687. extraordinarium imperium ſuſcepiſſet ut adverſus Piratas bellum gereret, bellum ipſum, ut ait Cicero, extrema hieme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media aeſtate confecit. Interim vero parta iam fortaſſe victoria Athenienſem urbem ingreſſus eſt; ibique duas Inſcriptiones ab aſſentatoribus civibus poſitas invenit: Ἐφ' ὅσον ἄνθρωπος οἶδας, ἐπὶ τοσοῦτον εἶ Θεός: *quatenus te hominem eſſe agnoſcis, eatenus Deus es*. Alia: Προσεδοκῶμεν, προσεκυνοῦμεν, εἴδομεν, προπέμπομεν *Expectabamus, adorabamus, vidimus, deducimus* (1). Fortaſſe tamen haec ad proximam Olympiadem referri poſſunt, qua certe Pompeius Athenienſem urbem adivit.

OLYMPIAS CLXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4650. Vrb. Cond. 690.

L. Iulius Caeſar
C. Marcius Figulus Coſſ.

Andreas Lacedaemonius *ſtadio* victoriam in Olympiis obtinuit ex Africano.

Ad ineuntem Olympiadem hanc facile revocaverim, quod de Pompeio memorat Plutarchus (2); ipſum nempe Philoſophos Athenis florentes maximo prorſus honore proſequutum eſſe, publicoque Civitatis aerario quinquaginta talenta largitum eſſe, ut Vrbis moenia iam diruta inſtaurarentur. Quo plane beneficii, ac humanitatis genere adeo ſibi Athenienſium animos devinxit Pompeius, ut exorto mox civili bello, cives ipſius partes amplexati ſint. Certe Pompeius Mithridate iam defuncto Athenas conceſſit, ut inde in Italiam triumphaturus tranſiret, quod anno V. C. 692. adſcribi debet.

OLYM-

(1) Zonar. Annal. Lib. IX. num. 3. (2) In Pompeio.

O L Y M P I A S CLXXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4654. Vrb. Cond. 694.
Herodes Athenis Archon DCXXIV.

Q. Caecilius Metellus Celer
L. Afranius Coſſ.

Andromachus, Ambraciota *ſtadio* vicit Olympia ex Africano, quem Dodvellus *Andronicum* appellavit.

Archontis autem Eponymi nomen Diodorus (1) nobis expreſſit ubi de Iulii Caeſaris expeditionibus loquens ait: τȣ́τȣ δ' αἱ πρῶται πράξεις ἀπετελέσθησαν Ὀλυμπιάδος τῆς ἑκατοςῆς καὶ ὀγδοηκοςῆς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος, ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρώδȣ *cuius res principio geſtae incidunt in primum Olympiadis CLXXX. annum, Archonte tum Athenis Herode*. Ac certe quidem ineunte hac Olympiade Caeſar in Luſitaniam profectus ibi bellum geſſit, ſequentique anno Conſulatum obtinuit (2). Itaque corrigendus hic obiter Petavii locus, in quo Caeſaris conſulatum, & Herodis imperium anno 2. huius Olympiadis adſcripſit.

O L Y M P I A S CLXXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4658. Vrb. Cond. 698.

Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus
L. Marcius Philippus Coſſ.

Lamachus Tauromenita *ſtadio* vicit Olympia. *Africanus.*

O L Y M P I A S CLXXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4662. Vrb. Cond. 702.
Polycharmus Athenis Archon DCXXXII.

Cn. Pompeius Magnus ſine Collega Coſ.

(1) Lib. I, c. 4. (2) Dio Lib. XXXVII.

Auteſion Argivus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. In Olympiis ipſis Mario Alexandrinus Marionis filius *lucta & pancratio* palmam *ſextus* ab Hercule obtinuit, ut Africanus ipſe, & Pauſanias [1] teſtatur.

Polycharmi Archontis nomen, quod in contexendis Faſtis primum omiſerat, ſecundis curis adiecit Meurſius. Etenim Cicero [2] ad Atticum ſcribens ait: *Cum Patron mecum egiſſet, ut peterem a veſtro Areopago* ὑπομνηματισμὸν *tollerent, quem Polycharmo Praetore fecerant.* Decretum autem illud, ut ex univerſo Epiſtolae contextu apparet, in C. Memmii gratiam factum erat, ut Athenis eo in loco aedem exſtruere is poſſet, in quo Epicurus habitaverat: quod cum Patroni, ceteriſque Epicuraeis Magiſtri memoriae iniurium videretur, decretum ipſum reſcindi poſtulabant. Itaque, cum Ciceronis Epiſtola pridie Nonas Quintiles anno V. C. 702. ſcripta ſit, facile decretum exeunte poſtremo ſuperioris Olympiadis anno factum fuit, ideoque Polycharmus, cuius nomen veluti perſpicua temporis nota exprimitur, Eponymorum Faſtis inſcribi tunc debet.

An. $\frac{3}{4}$. Quum civile bellum inter Iulium Caeſarem, & Pompeium excitatum foret, Athenienſes Reipublicae Romanae partes tutati Pompeio vires, conſilia, opeſque ſuas contulerunt. Itaque Q. Fufius Calenus Caeſaris Legatus occupato iam Piraeeo Athenas contendit; ſed, cum urbem probe munitam invadere, ac ſuperare non poſſet, circumiectos agros diripuit [3].

Quandoquidem vero Athenienſes in Mithridatico bello regi adhaeſerant, euoque victo Ariobarzanis Cappadociae regis ope in Romanorum gratiam redierant, huius fortaſſe beneficii memores ſtatuam, ac titulum Ariobarzani Athenis excitarunt, quem opportune iam alibi protuli [4], ac explicavi. Quamvis autem tempus, quo id vere contigerit, definiri non poſſit, perſpicuum eſt tamen hoc inter Olympiadem CLXXX. & CLXXXV. contigiſſe, ut ex Ariobarzanis aetate iam demonſtravi.

Ita quoque ad eadem tempora referendam eſſe iam dixi Ariobarzanis ipſius liberalitatem, qua Odeum Athenis ex-

(1) Eliac. I. c. 21. (2) Lib. V. Epiſt. 11. (3) Dio. Lib. XLII. pag. 215. (4) Inſcript. Attic. p. XLVII.

exſtruxit, ut ex alio Marmore a me publicato deprehendi poteſt (1).

OLYMPIAS CLXXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4666. Vrb. Cond. 706.

C. Iulius Caeſar II.
P. Servilius Vatia Iſauricus Coſſ.

Theodorus Meſſenius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Quum Pompeius hoc anno in Pharſalicis campis a Caeſare ſuperatus eſſet, Athenienſes, qui Pompeio iam faverant, in Caeſaris partes ſponte conceſſere. Is vero iniuriarum immemor humaniter illos excepit, hanc ſe defunctis gratiam habere dicens, praeclaris nempe Viris, qui Athenis floruerant (2).

An. $\frac{1}{2}$. Hoc anno, quum M. Marcellus Athenis interemptus eſſet, Servius Sulpicius ipſius amicus ei ſepulcri locum in Academia obtinuit, marmoreumque tumulum ab Athenienſibus exſtrui iuſſit, quod illi veteri religione prohiberi ſe dicerent ne intra Vrbis moenia ſepulcri locum concederent (3).

An. $\frac{2}{3}$. In *tertio* Olympiadis huius anno Diodori Siculi Hiſtoria deſinit, qua 1138. annorum ſeriem Libris XL. accuratiſſime, atque uberrime complexus erat. Maximam tamen eiuſmodi Operis partem temporis edacitas, atque exſcriptorum ſocordia nobis eripuit.

OLYMPIAS CLXXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4670. Vrb. Cond. 710.

C. Iulius Caeſar Dictator V.
M. Antonius Magiſter Equitum Coſſ.

Theodorus Meſſenius, qui ſuperiori Olympiade *ſtadio* vi-

(1) Ibi pag. LVI. (2) Dion. Lib. XLII. pag. 215. (3) Cic. Epiſt. Fam. Lib. IV. ep. 12.

vicerat, hac etiam *ſtadii victoriam* adeptus eſt. *Africanus.*

Quum Iulius Caeſar hoc anno V. C. 710 Idibus Martiis a Bruto, & Caſſio in curia vulneribus confoſſus, atque occiſus eſſet, Athenienſes coniuratis, ac parricidis illis ſtatuas iuxta Harmodii, atque Ariſtogitonis ſtatuas excitarunt [1]. Etenim parricidae illi, cum ſibi ab Auguſto metuerent, anno V. C. 712. Roma digreſſi Athenas migrarunt, ibique honorifice excepti ſunt.

OLYMPIAS CLXXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4674. Vrb. Cond. 714.

Cn. Domitius Calvinus II.
C. Aſinius Pollio Coſſ.

Ariſto Thurius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. $\frac{1}{2}$. Secundo huius Olympiadis anno, quum Antonius in Sex. Pompeii, & Caeſaris gratiam rediiſſet, in Graeciam recedens Athenis hyemavit. Allato Athenas nuncio quod Labienus Parthos ſuperaſſet, Antonius ἐπὶ τύτοις εἱςία τὺς Ἕλληνας, ἐγυμνασιάρχει δὲ Ἀθηναίοις, κ̧ τὰ τῆς ἡγεμονίας παράσημα καταλιπὼν οἴκοι μετὰ τῶν Γυμνασιαρχῶν ῥαβδῶν ἐν ἱματίῳ κ̧ φαικασίοις προήει *huius victoriae gratia Graecos convivio excepit; gymnicos Ludos Athenienſibus praebuit; relictiſque domi inſignibus Imperatoriis, cum virgis Gymnaſiarchicis in pallio, & phaecaſiis proceſſit* [2].

Humanitate vero, ac munificentia illa Athenienſium animos adeo ſibi devinxit Antonius, ut cum ſe Διόνυσον νέον *Dionyſum novum*, vel *iuniorem* diceret, eoque nomine a ceteris etiam appellari cuperet, Athenienſes, immodico aſſentandi ſtudio perciti, ipſi Palladem Athenienſis Vrbis Praeſidem in coniugem deſponderint. Quod quidem Athenienſium munus, ac decretum ſibi gratiſſimum eſſe dixit Antonius, ſed dotis tamen nomine decies centena drachmarum millia exegit [3].

Ante-

(1) Dion. Lib. XLVII. pag. 386. (2) Plutar. in Anton. Appian. in Parth. pag. 156.
(3) Dio Lib. XLVIII. pag. 434. Zonar. Annal. Libr. IX. c. 23.

Antequam tamen deridicula haec ſponſalia cum Pallade inita forent, Antonius primo Olympiadis huius anno poſt Fulviae coniugis mortem Octaviam Octavii Caeſaris ſororem duxerat, quam deinde Cleopatrae amore incenſus repudiavit.

OLYMPIAS CLXXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4678. Vrb. Cond. 718.

L. Gellius Poplicola
M. Cocceius Nerva Coſſ.

Scamander Alexandrinus *ſtadio* victor in Olympiis ex Africano.

OLYMPIAS CLXXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4682. Vrb. Cond. 722.

Cn. Domitius Aenobarbus
C. Soſius Coſſ.

Sopater Argivus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Hoc anno, quum Antonius ex Aegypto Athenas una cum Cleopatra adveniſſet, Ludis, iocis, ac ſpectaculis mirifice indulſit, ut teſtatur Plutarchus (1). Ζηλοτυποῦσα δὲ Κλεοπάτρα τὰς Ο᾽κταβίας ἐν τῇ πόλει τιμὰς (ἠγαπήθη γὰρ ὑπὸ τῶν Α᾽θηναίων ἡ Ο᾽κταβίας μάλιστα) πολλαῖς ἀνελάμβανε φιλοτιμίαις τὸν δῆμον. Οἱ δὲ τιμὰς αὐτοὶ ψηφισάμενοι πρέσβεις ἔπεμψαν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὸ ψήφισμα κομίζοντας, ὧν εἷς ἦν Α᾽ντώνιος ὡς δὴ πολίτης Α᾽θηναίων, καὶ δὴ καταστὰς ἐπ᾽ αὐτῆς λόγον ὑπὲρ τῆς πόλεως διεξῆλθεν *aemulatione autem Cleopatra honorum, quos ibi acceperat Octavia* Antonii uxor, *nam Octaviam Athenienſes in primis habebant caram, proſequuta eſt multis largitionibus Populum. Illi invicem, decretis huic honoribus, Legatos domum ad Plebiſcitum ei perferendum miſerunt, inter quos An-*

(1) In Antonio.

Antonius fuit, utpote civis Athenienſis, orationemque apud eam Civitatis nomine habuit.

An. $\frac{I}{2}$. Hoc anno V. C. 723. Per. Iul. 4683. Antonius una cum Cleopatra Athenis diſcedens claſſem inſtruxit, ut cum Caeſare Auguſto confligeret. Inter alia oſtenta, quae Antonii cladem portendere videbantur, illud etiam a Plutarcho [1] memoratur, quod vis turbinis *καὶ τοὺς Ἐυμενοῦς, καὶ Ἀττάλου κολοσσοὺς ἐπιγεγραμμένους Ἀντωνίους μόνους ἐκ πολλῶν ἀνέτρεψε etiam Eumenis, & Attali coloſſos, qui inſcripto Antonii nomine Antonii vocabantur, ſolos ex multis proſtravit*. Quo illuſtri Plutarchi loco erudimur Athenis olim ingentes Attali, & Eumenis regum ſtatuas, ſive coloſſos excitatos fuiſſe, qui mox ab Athenienſibus deleta veteri epigraphe, *Antonii* nomine inſcripti, & *Antonii* vocati ſunt.

Quinetiam Antonio, & Cleopatrae ſtatuas Deorum forma factas in arce collocatas fuiſſe, eaſque paullo ante Actiacum bellum fulmine everſas memorat Dio [2].

Infauſtis autem his portentis, ſive potius Antonii ſocordia factum, ut ipſius claſſis ab Auguſto prope Actium 2. Septembris Iuliani die vinceretur, poſtquam Antonius, & Cleopatra in Aegyptum contenderant, ubi anno proximo uterque violentam ſibi mortem conſcivit. Octavianus autem Caeſar eodem anno V. C. 724. & facile 29. Auguſti Iuliani die Alexandriam ingreſſus eſt, ex quo non immerito factum putatur ut Aegyptii civilis anni cardinem, ſive *Thoth* antea retrogradum ei diei conſtanter illigaverint, ut adhibito in poſterum embolimo, vel intercalari die ſemper civilis annus a 29. Auguſti die inciperet; quum praeſertim anno V. C. 729. mobilis ac retrogradi veteris anni cardo vel Thoth in eamdem illam 29. Auguſti diem incidiſſet [3]. Itaque civilis novi anni ſeriem nonniſi anno V. C. 729. ab Aegyptiis inſtitutam eſſe ſubtiliter, ac ingenioſe Petavius demonſtravit; ſimulque obſervavit *Actiacos* annos ab anno V. C. 724.; Auguſtaeos ab anno V. C. 727.; annos denique *Actiacos fixos* ab anno V. C. 729. incepiſſe.

An.

(1) In Anton. (2) Libr. L. pag. 489. (3) Vid. Petav. Doctr. Temp. Libr. X. c. 73.

An. $\frac{2}{3}$. Actiaca Caeſaris Auguſti victoria, quae novam Athenis, alibique Gentium rerum faciem invexit, opportune me monet, ut aliqua de *Auguſtaeis*, & *Aegyptiis* annis hic memorem; ideoque nonnulla, quae in altero Operis huius Volumine expoſueram, ſubtilius adhuc explorem, atque ab iis, quae obiecta fuerant, accurate vindicem.

Ac de *Auguſtalibus* quidem, vel *Auguſtaeis* annis Scriptores omnes una veluti voce conſpirant [1] quod a Kal. Ianuariis inceperint anno ab V. C. 727. P. I. 4687. dum priores ſex menſes exacti iam forent anni 1. Olymp. CLXXXVIII.

Actiacos autem Aegyptiorum annos, a die 29. Auguſti anno V. C. 724. P. I. 4684. adeoque affecto iam 3. huius Olympiadis anno numeratos eſſe plerique omnes conſtanter aſſerunt, ut alibi [2] iam demonſtravi; quemadmodum pluribus oſtendi annos illos, qui apud Aegyptios ipſos *fixi*, vel ab immoto conſtantique cardine numerati dicuntur, a die 29. menſis Auguſti anno V. C. 729. Per. Iul. 4689. incepiſſe. Itaque pluribus iiſque opinor perſpicuis, certiſque rationibus, & exemplis contra doctiſſimum Maſfeium evici, Aegyptios Iulianum annum aliquando adoptaſſe; non vero mobilem, ac retrogradum perpetuo retinuiſſe, quod ille tamen non una tantum de cauſſa contra Chronologorum chorum ſentire ſe dixerat.

Quandoquidem vero vir doctiſſimus edito iam ſecundo Faſtorum meorum volumine veterem ſententiam ſuam adverſus me tueri, & maxima tamen, ac mira prorſus humanitate, ab argumentis illis, quae protuleram, vindicare voluit, e re futurum putaverim, ſi receptam, mihique probatam opinionem accuratius adhuc confirmem, eamque, quod mirari quis poterit, eodem illo Marmore, vel exemplo demonſtrem, quod Cl. Virum in oppoſitam ſententiam vel invitum impulerat.

Atque, ut a primo exordiar, quum ex innumeris Ptolemaei locis appareat annos illos, in quibus ille tum ſuas, tum antiquiorum Aſtronomorum τερήσεις conſignavit, prorſus mobiles fuiſſe, eorumque initium, ſive Thot, ſi cum

(1) Vid. Petav. doctr. Temp. Libr. X. c. 72. (2) Tom. II. pag. 396.

anno Iuliano conferatur, ſemper *retrogradum* eſſe oportere; dixi retrogrados, aut vagos annos illos Ptolemaei aetate non *civiles*, ſed *aſtronomicos* ſolum habendos eſſe; adeoque ex Ptolemaei, Cenſorini, aliorumque teſtimoniis inferri non poſſe quod apud Aegyptios *civiles* anni adhuc retrogradi forent. Reponit Vir. Cl. (1) *mihi ſemper mirum viſum eſt Aſtronomis mobilem, & retrogradum annum ab eximiis Scriptoribus tribui, nihil enim minus Aſtronomicum videtur mihi, quam ſex horis neglectis, ſolarique curſu diminuto annum mancum, incompletumque conſtituere. Intercalabant ergo Aſtronomi, & civilis annus ſolus neque horas, neque diem ſuperaddebat.* Ergo annus ille, qui a Ptolemaeo deſcribitur, ac certe mobilis & retrogradus eſſe debuit, ex Maffeii ſententia, non *aſtronomicus*, ſed *civilis* erat. Sed, ne plurima perſequar, quae reponi facile hic poſſent, perſpicuum teſtimonium aliud a Chronologis aliis omiſſum ex Ptolemaeo nunc proferam, quo aperte erudimur ipſius aetate non *aſtronomicum*, ſed *civilem* annum fixum, atque ab immobili cardine deductum eſſe.

Scriptor ille aliorum Veterum inſtar *Parapegma* quoddam deſcribere volens, in quo ſingulis anni diebus accurate indicaretur ſidus, quod ea die oriri, vel occidere debebat, facile intellexit id in anno *mobili*, ſive *retrogrado* praeſtari non poſſe; in quo ſiderum ortus modo in unum, modo in alterum menſis alicuius diem incidiſſet. Etenim in veteris, ac retrogradi Aegyptii anni forma, ſtella illa, quae hoc anno 16. Iulii die oriebatur, poſt 4. annos die 15. orta foret; & poſt 720. annos eius ortus in 16. Ianuarii diem incidiſſet. Ergo, ut Parapegma perpetuum eſſe poſſet, annus ille ſeligendus erat, qui ſingulis quaternis annis diem unum, velut *embolimum*, ſive *intercalarem* inſereret. Ita nimirum ſiderum ortus, atque occaſus in eumdem illum menſis diem erat rediturus, cui ſemel in Parapegmate tributus erat. Itaque Ptolemaeus Kalendarium illud, aut Parapegma in anno Iuliano fixo, atque immobili concinnandum eſſe putavit.

Eam vero anni formam a ſe uſurpatam, ſimulque cauſſam cur ipſam ſelegerit, ita deſcribit Ptolemaeus (2):

Κε-

(1) Muſ. Veron. pag. 482. (2) Apud Fabric. Bibl. Graec. Lib. IV. c. 14. pag. 531.

Κεχρήμεθα δὲ τῇ καθ' ἡμᾶς τῦ ἔτυς χρονογραφίᾳ διὰ τῆς κατὰ τὸ ἔθος ἐπυσίας ἐν ταῖς ἐμβολίμοις διὰ τετραετηρίδος ἡμέρας ἀποδιδομένης ἐπὶ πολὺν χρόνον δύνασθαι τὰς αὐτὰς φάσεις ταῖς ὁμωνύμοις ἡμέραις ὡς ἐπὶ πᾶν ἐκλαμβάνεθαι. Quem ſane locum Fridericus Bonaventura, qui omnium primus aureolum hunc Ptolemaei Libellum, ſed Latine ſolum, vulgavit quum minime eius ſenſum aſſequutus foret, ita reddidit: *Adhibemus autem anni deſcriptionem, qui apud nos in uſu eſt, ne dierum aequivocatio ob intercalationem quarto quoque anno factam in notandis, excipiendiſque apparitionibus committeretur.* Legendum arbitror *διὰ τὸ τῆς κατὰ τὸ ἔτος*, latinoque reddendum: *uſi autem ſumus ea anni deſcriptione*, vel forma, *quae apud nos eſt; propterea quod, quum ob exceſſum, qui quolibet anno in diebus embolimis reperitur*, cuiuslibet *tetraëteridis ſpatio* integra *dies addatur*, idcirco *diu eaedem apparentiae in eosdem*, ſive *eodem nomine* ac numero *deſignatos dies fere omnino incidere poſſunt*. Quis aperte non videat eam prorſus anni formam hic a Ptolemaeo accurate deſcribi, in qua dies una tetraëteridis ſpatio adiungenda foret, ex iis exceſſibus, aut horis conflata, quae ſingulis annis ſupererant: ut ita nimirum iidem ſiderum ortus, & occaſus, qui certo cuidam diei in Parapegmate adſcripti fuerant, etiam poſt multum temporis ſpatium, neglectis minutiis, in eosdem fere dies redirent? Ergo, ſi Ptolemaeus hanc anni formam vocat *καθ' ἡμᾶς*, ſive id ad *tempus*, ſive ad *locum* referatur, perſpicue apparet quod eius aetate in Aegypto civilis annus *intercalarem* diem, ſive ſex epagomenas tetraëteride qualibet admittebat; ideoque Thoth, annique civilis cardo non, ut antea, *retrogradus*, ſed *fixus*, ac *immobilis* habebatur. Sed ſcrupulum, ac dubium omne Ptolemaeus ipſe prorſus excludit ubi mox in Parapegmatis initio civilem annum hunc antea deſcriptum ita exorditur.

α. Θῶθ, καθ' ἡμας κθ' Αὐγύςυ.
1. *Thoth, apud nos* 29. *Auguſti.*

Ergo perennis illa, & conſtans anni forma, quam Ptolemaeus deſcripſit, a prima die menſis Thoth, ſimulque 29. Auguſti Romani die exorditur; quae ſane forma, annique deſcriptio *ἐπὶ πολὺν χρόνον multo tempore* conſervari,

 ſide-

ſiderumque phaſes in eosdem dies reſtituere non poterat, niſi 1. menſis Thoth in communibus annis 29., in intercalaribus 30. Auguſti die reſponderet. Ergo Antonini Caeſaris aetate, qua Ptolemaeus ſcribebat, Aegyptii *civilis* anni cardo prorſus immobilis in diem 29. Auguſti incidebat. Ac certe quidem ex illuſtri Gruteriani Marmoris exemplo manifeſtiſſime oſtendi [1] quod 8. Antonini Caeſaris anno, ſive Chr. 144. undecima Aegyptii Pachon cum ſexta Romani Maii die concurrebat; ideoque Aegyptius Thoth, ſive civilis anni initium in 29. Auguſti diem inciderat. Id optime profecto vidit Maffeius; ſed *nihil* tamen exemplum illud *evincere* dicit. *Neque enim*, inquit, *eas dies perpetuo congruiſſe, easdemque fuiſſe declarat; ſed docet illo ſic contigiſſe. Dies, qua Emben Serapidis cultores honorarunt, ſexta Maii Romanis erat, Alexandrinis Pachon undecima. Conſideratio haec obiectiones conſimiles diluit omnes.*

Subtilis haec doctiſſimi Viri conſideratio exemplorum vim plane dilueret, ſi ex veteris Aegyptii anni forma, quam ille tuetur, anno Chr. 145 una eademque dies Romanis *ſexta Maii*, Alexandrinis *Pachon undecima* eſſe potuiſſet; ideoque anno 145. Thoth in 29. Auguſti diem incidiſſet. At ex retrogradi veteriſque Aegyptii anni forma anno Chr. 145. Thoth in 18. Romani Iulii diem incidiſſet; ergo quod eo Chriſti anno ſic contigerit ex veteris anni forma pendere certe non poterit, adeoque ex nova anni forma deduci debet.

Accedit etiam quod ſi concurſus ille diei *ſextae* Maii cum *undecima* Pachon, ideſt 1. Thoth cum 29. Auguſti, eo ſolum anno ex veteris Aegyptii anni lege contigiſſet, concurſus ipſe nonniſi peracto iam 1440. annorum ſpatio iterum contingere, vel redire potuiſſet. Sed pulcherrimo tamen Theonis teſtimonio perſpicue oſtendi [2] quod etiam anno Chr. 364. prima Thoth in eamdem illam 29. Auguſti diem incidit; ergo concurſus ille veteris anni formae repugnat, certoque oſtendit quod anno Chr. 145. & 364. Thoth ab eadem illa 29. Auguſti diem ſemper incepit, quod in nova ſolum anni forma intelligi ſalvarique poteſt. Ergo tantum abeſt ut eiuſmodi conſideratio has, & conſimiles obie-

(1) Tom. II. pag. 398. (2) Tom. II. pag. 398.

obiectiones omnes diluat, ut potius veterem anni formam evertat, ipſique adverſetur.

Denique illuſtre teſtimonium aliud hic proferam, quo perſpicue certoque confirmatur Antonini Caeſaris, adeoque Ptolemaei aetate vulgares, aut civiles Aegyptiorum annos exeunte Sextili menſe incepiſſe. Arrianus (1) Nicomedienſis, qui Adriani, atque Antonini temporibus floruit (2), de Rubri maris emporio loquens ait merces in illud inferri ἀπὸ μηνὸς Ἰανυαρίυ μέχρι τῦ Σεπτεμβρίυ, ὅ ἐςιν ἀπὸ Τυβὶ ἕως Θώθ: *a menſe Ianuario uſque ad Septembrem*, *ideſt ab* Aegyptio menſe *Tybi uſque ad Thoth*; alibique (3) ſubdit Περὶ τὸν Ἰύλιον μῆνα, ὅς ἐςιν Ἐπιφί: *circa menſem Iulium*, *qui eſt* Aegyptius *Epiphi*, quod mox ſemel, iterumque diſerte repetit. Ergo in civilibus annis, quibus Aegyptii, & Rubri maris accolae utebantur, menſis Thoth Romano Septembri reſpondebat, adeoque ab exeunte Auguſto veluti immoto, & conſtanti cardine ducebatur.

Video tamen, Cl. virum praeſidium, ſpemque omnem in eo praeſertim Marmore collocaſſe, in quo 25. Phaophi dies in Hebraeorum Scenopegiam, adeoque in Iudaicum *Tiſri*, Romanorumque *Octobrem* incidiſſe legitur; quod fieri non poſſe putavit Maffeius, niſi Thoth *undecima* Auguſti die incepiſſet. Etenim, inquit ille, in Marmore, quod anno LV. Auguſtano, hoc eſt V. C. 779. ſculptum fuit, perſpicue diſerteque legitur decretum quoddam 25. *Phaophi die Tabernaculorum conventus tempore* editum fuiſſe. Conventus autem ille, vel Tabernaculorum feriae a 15. Tiſri Iudaici die ad 22. agebatur. Itaque, quum ex Syncello 15. Tiſri dies in 7. Octobris Romani diem incideret, ut 25. Phaophi inter 15. & 22. Tiſri, ſive 7. & 14. Octobris cadere poſſet, prima Phaophi inter 12. & 19 Septembris, ideoque prima Thoth inter 13. & 20. Auguſti Romani diem incidiſſe debuit; atque ubi quinque epagomenae inter Thoth, & Phaophi inſerantur, initium ipſius Thoth inter 8. & 15. Auguſti diem incidiſſet.

Haec quae iam pridem eruditiſſimus Vir ediderat (4), perſpicua adeo, atque explorata putavit, ut argumentis a me

(1) In Periplo pag. 146. (2) Vid. Phot. Cod. 58. (3) Pag. 164. (4) Muſ. Ver. pag. 344.

me prolatis occurrens dixerit [1] : *Nemo, opinor, inficias ierit me hac ratione non oſtendiſſe qui potuerint, imo qui debuerint Hebraeorum Scenopegia in Phaophi diem 25. eo anno incidere, quod eveniſſe Inſcriptio docet, & quod, ſi poſt Alexandriam captam Aegyptii Iuliana methodo utebantur, evenire nullo modo poterat. Huius nodi ſolutio aſſerti veritatem comprobat Qui reiicere, atque adverſari vellet, quo alio cogitato inſigne monumentum intelligi, atque explicari poſſet, afferre tenebatur.*

Itaque ut nodum hunc dirimam, veramque rationem oſtendam, quo inſigne monumentum hoc intelligi, atque explicari poſſit, ſimulque ex hoc ipſo Marmore Cl. Viri ſententiam everti demonſtrem, obſervari plurimum velim illud hic perperam veluti certum, atque exploratum aſſeri, quod 15. Tiſri dies in 7. Octobris Iuliani diem incidebat: perinde quaſi Iudaicus Tiſri ſemper a 23. Septembris die incepiſſe deberet. Id perſpicue ſane Iudaici menſis indoli certoque repugnat, qui *lunaris* erat, adeoque ipſius neomenia cum certo quodam Romani menſis die coniungi non poterat, ſed ultra citraque per varios menſis Romani dies vagabatur. Certe Petavius obſervavit [2] quod Iulii Caeſaris aetate *inter Septembris 2. & Octobris 3. neomenia Tiſri ultro citroque vagabatur*; ſicuti Dodvellus [3] perſpicuo Ioſephi teſtimonio demonſtravit quod anno Chr. 66. V. C. 819. ultima Scenopegiae dies, ſive 22 Iudaici Tiſri, in 1. Octobris diem incidit; ut proinde neomenia Tiſri in 10. Septembris inciderit: quemadmodum prorſus oſtendit quod anno V. C. 717. neomenia Tiſri cum 28. Septembris Iuliani die concurrerat. Itaque Syncello quum ait 15 Tiſri diem cum 8. Phaophi Aegyptii & 7. Octobris die concurriſſe, non ea profecto mens fuit ut concurſum illum perennem, perpetuum, & conſtantem eſſe putaret (quis enim lunaris, ac ſolaris menſis dies ſemper aequabili numero ac lege progredi, atque invicem componi poſſe arbitretur?) ſed indicare ille voluit eo anno, quo ſcribebat, 15. Iudaici Tiſri diem in 8. Phaophi Aegyptii, ſimulque 7. Romani Octobris diem incidiſſe. Ergo ex Syncelli loco, qui Cl. Viro fraudi fuit, nihil prorſus aliud exſculpi poteſt, niſi quod

(1) Pag. 482. (2) Doctr. Temp. Lib. II. c. 30. (3) De Cyclis Diſſ. IX. ſect. 30.

quod eo anno quo Syncellus haec ſcribebat, 15. Tiſri cum 7. Octobris & 8. Phaophi concurrerat, ideoque 25. Phaophi dies poſt Scenopegiae finem erat futurus. Quemadmodum vero annis aliis neomenia Tiſri citius haberi, atque ante 22. Septembris Romani, atque 20. Thoth Aegyptii contingere poterat, ita quoque 25. Phaophi ante 22. Iudaici Tiſri, vel Scenopegiae finem incidiſſet. Certe, ſi Aegyptius Thoth a 29. Auguſti die, ideoque Phaophi a 28. Septembris die ducatur, 25. Phaophi dies cum 22. Octobris die concurreret, quae ſimul etiam 22. Iudaici Tiſri, vel ultima Scenopegiae dies, eſſe poterat iis annis, quibus nemoenia Tiſri in ipſas Kalendas Octobris incidiſſet. Itaque, ut inſigne Monumentum illud, aut Marmor a Cl. Maffeio propoſitum exponatur, non recentior illa, ac vera Aegyptii anni forma negari, ſed vera ac perennis Iudaici anni forma conſtitui, ſervarique debet, omniſque nodus facile dirimetur.

Quemadmodum enim ex Iudaici anni forma contingere profecto poterat ut in anno quodam neomenia Tiſri in Kalendas Octobres incideret, adeoque in nova Aegyptii anni forma 25. Phaophi dies cum 22. Octobris vel Scenopegiae ultima concurreret; quid prohibet quin concurſus ille eo prorſus anno contigerit, quo Decretum illud a Iudaeis editum, Marmorique inſculptum fuit?

Age vero, ne coniecturis ſolum, ſed perſpicuis potius, certiſque characteribus id oſtendatur, ſubtilius inquiramus an concurſus ille, vel neomeniae ſitus ex ipſo Marmore deprehendi poſſit. Ex Scaligeri ſimulque Petavii Tabulis apparet quod anno Chr. 27. vel V. C. 780. neomenia menſis Tiſri in 1. Octobris diem incidiſſe debuit. Eiuſmodi vero annus ab V. C. 780. ab Actiaca quidem victoria 56. foret; quum tamen in Marmore 55. annus exprimatur. Itaque, ſi in Marmore Actiaca Aera uſurpata ſupponatur, unius anni diſcrimen hic haberetur, quod fortaſſe Berenices incolae ſecundo poſt Actiacam victoriam anno Aeram hanc ſuam inſtituerint, quod ab aliis etiam factum conſpicimus. Certe Syncellus (1) veterem aliquem Scriptorem ſequutus ait quod: Οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἀπὸ τȣ̃ ιδʹ ἔτȣς ἀριθμȣ̃σι τȣ̀ς Ἀυ-

γȣ́ςȣ

(1) Pag. 248.

γῦςυ χρόνυς *Alexandrini ab anno* 14. *Auguſti tempora numerant;* ideoque ſignificat Alexandrinorum Epocham ab anno V. C. 724. deduci; ut ſi proinde Berenices incolae Alexandrinorum inſtar annos ab anno 14. Auguſti, ſive V. C. 724. numeraverint, 55. annus in Marmore expreſſus in annum V. C. 779. incideret; quum civilis Iudaeorum & Aegyptiorum annus ab autumno inciperet, adeoque ipſius cardo civilis Romanorum anni initium praecederet. Quod ſi non *Actiaca*, ſed *Auguſtaea* potius Aera hic adhibita ſupponatur, ut Cl. Maffeius optime exiſtimavit, quum Auguſti nomen Octaviano Caeſari anno V. C. 727. conceſſum fuerit, 55. annus in hac Epocha computatus, ac Iudaeorum more autumno inchoatus in annum V. C. 781. adhuc labentem incideret.

Denique, quum ex Kalendario, quod Conſulum Faſtis a Noriſio vulgatis adtexitur, anno V. C. 782. neomenia Tiſri in ipſas Octobris Kalendas inciderit, 55. annus inde retrograda ſerie numeratus in annum V. C. 727. incideret, adeoque in hac hypotheſi Berenicenſes novae Epochae initium exeunte Sextili menſe anno V. C. 727. ſumpſiſſent, quum ante menſes octo Octaviano Caeſari *Auguſti* nomen conceſſum foret. Quandoquidem vero tum in deſignandis neomeniis unius aut alterius diei diſcrimen haberi, & Epochae initium aut unius aut alterius anni ſpatio differri potuit, res accurate conſtitui, vel definiri non poteſt. Quaecumque tamen hypotheſis eligatur, perſpicue certoque conſtabit quod aliquo ex annis illis antea indicatis neomenia Tiſri in Kalendas Octobres incidiſſe debuit.

Hiſce vero iam rite conſtitutis manifeſtiſſime apparet quod ex hoc ipſo Marmore aut monumento, quo Cl. Maffeius hypotheſim ſuam perſpicue, certoque confirmari dixerat, oppoſita potius confirmatur, certoque demonſtratur, quod anno V. C. 780. ſive, ſi mavis 782. Aegyptii fixum, aut Iulianum annum receperant, ut ipſius initium in 29. Auguſti Iuliani diem conſtanter incideret. Etenim ſi Tabernaculorum conventus aut extrema Scenopegiae dies hoc eſt 22. Iudaici Tiſri eo anno in 22. Octobris Iuliani, ſimulque 25. Aegyptii Phaophi diem inciderat, dubitari certe non poterit, quin Phaophi initium Thoth in 29. Auguſti

ſti diem inciderit; quum tamen ex veteris, mobilis, ac retrogradi Aegyptii anni forma Thoth in 11. Auguſti diem incidere deberet. Itaque quum exemplis aliis, quae iampridem attuleram, illud etiam accedere, & adiungi nunc debeat, quod oppoſitum maxime cenſebatur, nullus omnino dubitandi locus ſupererit, quin civilis Aegyptiorum annus anno 3. huius Oly. CLXXXVII. fixus eſſe inceperit, eiuſque cardo vel Thoth diei 29. Auguſti illigatus fuerit.

An. $\frac{2}{3}$. Auguſtus parta iam ad Actium victoria Athenas conceſſit, ibique Eleuſiniis Myſteriis initiatus eſt. Perſpicue id memorat Dio (1), cuius tamen verba leviter vitiata, ac perperam a Xylandro interprete expoſita ſunt. Itaque Dio de Auguſto loquens ait ϗ ὁ μὲν, ὡς ὐδένος ἔτι δείνȣ παρὰ τῶν ἐϛρατευμένων, τάτε ἐν τῇ Ἕλλαδι διῴκησε, ϗ τῶν τοῖν Θεοῖν Μυϛηρίων μετέλαβεν *ac ipſe quidem perinde quaſi, nullo iam imminente a veteranis amplius periculo, res Graeciae conſtituit, ac duorum Divorum ſacris initiatus eſt.* Legendum aſſero ταῖν θεαῖν *duarum Dearum* Myſteriis, *Cereris* nempe, eiuſque filiae *Proſerpinae*, *quae* ταῖν θεαῖν nomine vocari conſueverant. Hinc apud Sponium (2) in Marmore Eleuſine poſito legitur: μυηθέντα ἀφ' ἑϛίας ταῖν Θεαῖν, quod pluribus exemplis aliis oſtendi poſſet.

Itaque, quum Myſteria Boëdromione menſe agerentur, ineunte anno 3. huius Olympiadis Auguſtus Athenis immoratus videtur. Neque enim alieno tempore Myſteria ſpectaſſe dicitur: quod tamen ipſe Dio de Zarmaro Indo obſervavit.

Ad haec ipſa tempora referri facile poterit quod de Olympii Iovis templo Athenis extructo ſcribit Suetonius (3): *Reges amici, atque ſocii & ſinguli in ſuo quiſque regno Caeſareas Vrbes condiderunt, & cuncti ſimul aedem Iovis Olympii Athenis antiquitus inchoatam perficere communi ſumptu deſtinaverunt, Genioque eius dedicare.*

Quamvis autem Auguſtus his, aliiſque honoribus ab Athenienſibus deliniri potuerit, ipſis tamen Aeginam, atque Eretriam anno 4. Olymp. CLXXXIX. ademit, quod in civili bello Antonio faviſſent; vetuitque μηδένα πολίτην ἀργυ-

(1) Lib. LI. pag. 509. (2) Itiner. Par. II. pag. 461. (3) Cap. 60.

γυρίυ ποιεῖϑαι ne quem pecunia civem facerent (1). Ac certe quidem plures Inſulas, quae a Romanis olim Athenienſibus ereptae fuerant, Antonius ipſis reſtituerat; Tenum ſcilicet, Aeginam, Icum, Ceon, Sciathum, & Peparethum, ab Appiano (2) erudimur.

OLYMPIAS CLXXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4686. Vrb. Cond. 726.

L. Caeſar VI.
M. Vipſanius Agrippa II. Coſſ.

Olympiorum victor in mutilo Africani textu prorſus intercidit, nec aliunde ſuppleri, ac reſtitui poteſt.

An. $\frac{1}{2}$. Nicias Serapionis filius Athmoneus Athenis Archon DCLVII.

Exeunte anno primo huius Olympiadis 17. Ianuarii Iuliani die ex Munatii Planci ſententia Octaviano Caeſari *Auguſti* nomen conceſſum fuit; ut proinde Auguſtaei anni ab hoc V. C. 727. anno veluti cardine deduci conſueverint, ut ſuperius obſervavi.

Niciae Archontis nomen ex Marmore nobis affulſit, quod ex *Aſiaticis Antiquitatibus* Chishulli iam protuli (3); ſimulque coniecturam expoſui, qua Minervae Archegetidis templum in Auguſti Caeſaris honorem hoc anno excitatum fuiſſe videtur. Itaque, quum Nicias eo anno Archontis Eponymi munere functus dicatur, quo Herodes Legationem, fortaſſe Athenienſium nomine, ad Auguſtum obivit, eoque abſente Eucles eius filius excitandi Templi curam ſuſcepit, Legatio illa decreta videtur aut repente poſt Actiacam victoriam, quae in annum 2. ſuperioris Olympiadis, hoc eſt V. C. 723. incidit; aut potius hoc anno V. C. 727., quo Caeſar *Auguſti* nomen obtinuit. Itaque facilius Nicias hoc anno imperavit, atque excitati Templi memoria ſeu Marmor anno proximo V. C. 728. poſitum videtur, quo Octaviano Cae-

(1) Dion. Lib. LIV. pag. 601. (2) Bello Civil. Lib. V. (3) Tom. II. pag. 161.

Caeſari *Auguſti* nomen a Senatu decretum iam fuerat.

An. $\frac{2}{3}$. Areus Morionis filius Paeanienſis Athenis Archon DCLVIII.

In Athenarum arce, ac in ipſo veſtibulo templi, quod Minervae Poliadi ſacrum erat, haec Inſcriptio legebatur (1), quam opportune iam alibi (2) exhibui.

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΩΙ
ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ
ΠΑΜΜΕΝΟΥ ΤΟΥ ΖΗΝΩΝΟΣ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ
ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΕΝ ΑΚΡΟΠΟ
ΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΣ
ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΛΕΙΠΙΑΔΟΥ ΑΛΑΙΕΩΣ
ΘΥΓΑΤΡΟΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΕΟΥ ΤΟΥ
ΜΟΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Populus Deae Romae, & Auguſto
Caeſari, Praefecto Armigerorum
Pammene Zenonis filio
Marathonio, ſimulque *Sacerdote Deae Romae*
Et Auguſti Servatoris in Acropo-
li. Sacerdote Minervae Poliadis
Megiſte Aſclepiadis Halaenſis
filia. Archonte Areo filio
Morionis Paeanienſi.

Itaque Areum hunc Meurſius Eponymorum Archontum Faſtis inſcripſit (3), quamvis illum inter incertae aetatis Archontes coniecerit, eiuſque Marmoris praeſidio oſtendi poſſe putaverit (4) huius Archontis aetate *ſummam poteſtatem* Athenis *Militum Strategos* occupaſſe. Sed opportune iam monui in Marmore non πολίτας, ſed ὁπλίτας, legendum eſſe, iiſque temporibus Archontis Eponymi munus adhuc ſupremum extitiſſe.

S 2 Quod

(1) Gruter. pag. 105. num. 9. (2) Tom. I. pag. 42. (3) De Arch. Athen. Lib. IV. c. 20. (4) Ibi Lib. I. c. 10.

Quod vero ad Marmoris aetatem, vel Arei Archontis annum attinet, facile adducor ut ipſum proxime poſt Actiacam victoriam, & *Auguſti* nomen Octaviano Caeſari conceſſum poſitum eſſe exiſtimem. Ea nimirum victoriae fama, quae Octaviano Caeſari imperium aſſeruit, plurimas, omneſque fere Gentes permovit, ut Auguſto Templa excitarent, ipſique honores decernerent. Sic, ut exemplum unum hic proferam apud Cumaeos vivente Auguſto *Romae*, & *Auguſti Sacerdotes* inſtituti ſunt, ut ex pulcherrimo ipſorum Marmore adhuc inedito alibi oſtendam. Ea vero de cauſſa tum apud Cumaeos, tum apud Athenienſes quoque *Auguſto* ſimulque *Deae Romae* templa, ſacerdotes, honoreſque decreti ſunt, quod Auguſtus ipſe *Templa in nulla Provincia niſi communi ſuo, Romaeque nomine recepit*, ut a Suetonio [1] erudimur; ſicuti Tacito [2] teſte *ſibi, atque urbi Romae templum apud Pergamum ſiſti non prohibuit*; atque ſaepiſſime in Nummis arae, atque honores ROMAE, ET AVGVSTO dicati occurrunt. Itaque, quum Actiaca victoria anno V. C. 723. contigerit, & *Auguſti* nomen Octaviano anno 727. conceſſum fuerit, facile hoc ipſo, vel ſequenti anno, nimirum 3. Olymp. CLXXXVIII. Athenis honores *Deae Romae*, & *Auguſto Caeſari*, itemque *Deae Romae*, & *Auguſti Servatoris Sacerdotes* inſtituti ſunt; ut proinde Areus Archon eo potius anno imperaſſe videatur. Ita quoque hoc eodem anno Nummum illum [3] in Auguſti honorem cuſum putaverim, in cuius antica parte Auguſti caput radiatum conſpicitur cum epigraphe ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, in adverſa Templum octaſtylum cum inſcriptione ΚΟΙΝΟΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ quo facile indicatur Templum tunc ab Athenienſibus *Auguſto Deo* dicatum fuiſſe.

An. $\frac{3}{4}$. Claudius Attalus Athenis Archon DCLIX.

Inſigne Marmor, ex quo Archontis huius nomen Meurſius exſculpſerat, alibi (4) protuli, ac illuſtravi. Quamvis autem ipſius aetas incerta ſit adeoque illum Meurſius inter incertae aetatis Archontes recenſuerit (5); vehemens tamen

(1) Cap. 52. (2) Annal. Lib. IV. c. 37. (3) Geſn. Tab. 27. num. 5. (4) Tom. II. pag. 141. (5) De Arch. Athen. Lib. IV. c. 20.

men mihi ſuſpicio ſuborta fuit quod ad haec ipſa Auguſti tempora referri ille debeat. Siquidem in Marmore nominatur Κοσμήτης Ἐφήβων Ἱερεὺς Θεοῦ, καὶ Θεᾶς Εἰρηναῖος ὁ Παιανιεὺς *Coſmeta Epheborum & Sacerdos Dei, ac Deae Irenaeus Paeanienſis*. Quem enim *Deum*, aut quam *Deam* hic inſueta prorſus phraſi indicatam eſſe putabimus, quum Athenis Deorum, ac Dearum quaelibet ſuos, diſtinctoſque viros, aut feminas haberet, quae *ſacerdotii* munere fungerentur? Certe aut plurimum hic ego fallor, aut Deus ille non alius profecto fuit, quam Caeſar *Auguſtus*; ac *Dea* illa non alia eſſe potuit, quam *Dea Roma*; ut quemadmodum nempe in ſuperiori Marmore habetur Παμμένης τοῦ Ζήνωνος Μαραθώνιος Ἱερεὺς θεᾶς Ῥώμης, καὶ Σεβαστοῦ Σωτῆρος *Pammenes Zenonis filius Marathonius Sacerdos Deae Romae, & Auguſti Servatoris*; atque in Cumaeo Marmore nominatur *Polemo Zenonis filius Laodicenſis Sacerdos Romae & Imperatoris Caeſaris Auguſti*, ita quoque in hoc ipſo Cl. Attali Marmore eadem ipſa, ſed breviori tamen, formula Sacerdos *Dei* Auguſti, & *Deae* Romae exprimatur. Quod ſi id ego rite coniecerim, Claudius Attalus Archon proxime poſt *Niciam*, & *Areum* Athenis imperavit, adeoque circa eadem tempora Faſtis inſerendus erit.

Nauſias Athenis Archon

Reineſius Claſſe 1. num. 135. pag. 168. eximium hoc Marmor exhibet Athenis, ut videtur, Venetias translatum

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ
ΕΝ ΤΩ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩ
ΚΑΙ ΟΙ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ ΚΑΙ ΟΙ ΘΕΡΑΠΕΥΤΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ
ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ ΙΔΡΥΣΑΝΤΟ

Caius Caii filius *Acharnenſis Sacerdos factus*
in Nauſiae Archontis anno,
& Melanephori, & Therapeutae pro
Populo Athenienſium, & Populo
Romanorum Iſidi Iuſtitiae dedicarunt.

Ly-

Lyciſcus Athenis Archon

Dionyſius Athenis Archon

Vtrumque ex his Archontibus hic proferendum putavi, quod ipſorum unus alteri proxime ſucceſſerit, ut ex hac Epigraphe apparet, quam Gruterus (1), & ex illo Meurſius exhibuit (2).

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕΡΕΥΣ
ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΘΕΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ
ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ
ΕΝ ΤΩΙ ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕΤΑ
ΛΥΚΙΣΚΟΝ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩΙ
ΙΔΡΥΣΑΤΟ

Caius Caii filius *Acharnenſis Sacerdos*
factus Deorum magnorum
Dioſcurorum Cabirorum
in Dionyſii, qui fuit poſt
Lyciſcum, Archontis anno
dicavit.

Quum unus idemque Caius Acharnenſis Caii filius tum in hoc, tum in ſuperiori quoque Marmore nominetur, vix ullus dubitandi locus ſupererit quin *Nauſias*, *Lyciſcus*, & *Dionyſius* eadem aetate Athenis imperaverint; idque iis temporibus contigiſſe apparet, quibus Athenienſes Romanorum, atque etiam Caeſarum imperio ſubiecti iam fuerant.

Theon Athenis Archon

Gruterus hoc Marmor Athenis in Gymnaſio poſitum exhibet (3)

ΕΠΙ ΘΕΩΝΟϹ	*Sub Theone*
ΑΡΧΟΝΤΟϹ	*Archonte*
ΚΟϹΜΗΤΟΥ ΔΙΟΝ	*Coſmeta Diony-*
ΥϹΙΟΥ ΜΑΡΚΟϹ	*ſio. Marcus*
ΑΝΑ-	*Ana-*

(1) Pag. 319. num. 2. (2) Lib. IV. c. 20. (3) Pag. 317. num. 2.

ΑΝΑΦΛΥϹΤΙΟϹ — *Anaphlyſtius*
ΓΕΙΜΝΑϹΙΑΡΧΗϹΑϹ — *Gymnaſiarcham egit.*

Hunc etiam Archontem hoc potius loco indicandum putavi, quod ipſius aetas plane incerta ſit, & *Marci* nomen ſubindicet ipſum ſub Caeſaribus, aut Romanis Atheniensium imperio potitis vixiſſe.

Agaſias Athenis Archon

Muratorius in novo Inſcriptionum Theſauro (1) brevem epigraphem hanc exhibet, quam Perae Vrnae fictili inſculptam fuiſſe dicit.

ΑΓΑΣΙΑΣ ΑΡΧΩΝ
ΤΩΝ ΑΘΗΝΗΘΕΝ ΑΘΛΩΝ

Agaſias Archon
Certaminum Athenis
praemium

Nullus hic dubito quin haec Vrna fictilis ex iis fuerit, quae oleo plenae Panathenaeorum victoribus concedebantur, ut pulcherrimo Pindari teſtimonio iam alibi demonſtravi (2); atque ipſa vox ἄθλων non obſcure ſignificat. Quod autem *Agaſiae* nomen ad Archontem potius Eponymum, quam ad Magiſtratum alium, referri debeat exinde facile inferri poterit, quod eiuſmodi nomen, veluti perſpicua temporis, atque anni nota adiectum videtur, quo victor ille praemium obtinuit. Id vero conſtanti Athenienſium more ſoli Archontis Eponymi nomini tribuebatur; ideoque, licet Panathenaeis Feſtis ſecundus ex Novemviris, aut *Rex* praeſideret, non eius tamen, ſed Eponymi nomen uſurpatum videtur; quemadmodum ſane in reliquis Atticis Marmoribus, in quibus Lampadis Feſta, & Certamina memorantur, ſolum Eponymi nomen occurrit.

Quamvis autem Archontis huius aetas omnino incerta ſit, eum tamen ſuperioribus, quorum item aetas obſcura eſt, adiungendum putavi.

OLYM-

(1) Pag. 611. num. 1. (2) Tom. I. pag. 31.

OLYMPIAS CLXXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4690. Vrb. Cond. 730.

Imperator Caeſar Auguſtus X.
C. Norbanus Flaccus Coſſ.

Aſclepiades Sidonius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS CXC.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4694. Vrb. Cond. 734.

M. Appuleius Nepos
P. Silius Nerva Coſſ.

Aufidius Patrenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Auguſtus, qui priuſquam haec Olympias iniret, in Graeciam veniens Lacedaemoniis honores, ac beneficia contulit, Athenienſibus vero poenam irrogavit quod in civili bello Antonii partes ſequuti forent, Samum rediens veluti hoſpitii praemium Samiis ipſis libertatem reſtituit.

Quod autem hoc anno Auguſtus Athenas rurſus inviſerit ex Dione [1] deprehendi poteſt, qui de Zarmaro quodam Indo loquens ait: *ἐς ἐπίδειξιν τοῦ Αὐγούστου, καὶ τῶν Ἀθηναίων (καὶ γὰρ ἐκεῖσε ἦλθεν) ἀποθανεῖν ἐθελήσας ἐμυήθη τε τὰ τοῖς θεοῖς τῶν Μυστηρίων καίπερ οὐκ ἐν τῷ καθήκοντι καιρῷ διὰ τὸν Αὔγουστον, καὶ μεμυημένον καὶ πυρὶ ἑαυτὸν ζῶντα ἐξέδωκεν ut oſtentaret ſe Auguſto, & Athenienſibus (Athenas enim venerat) mori volens, Deorum Sacris, etſi non legitimo tempore, initiatus in gratiam Auguſti, inde ſe in ignem dedit.*

Ibi quoque non *τοῖς Θεοῖς*, ſed *ταῖν Θεαῖν*, legendum eſſe perſpicue ex iis apparet, quae ſuperius ad Oly. CLXXXVII. annum 3. obſervavi.

OLYM-

(1) Dio Lib. LIV. pag. 603.

OLYMPIAS CXCI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4698. Vrb. Cond. 738.

L. Domitius Ahenobarbus
P. Cornelius Scipio Coſſ.

Diodorus Tyaneus *ſtadio* in Olympiis victor ex Africano.

OLYMPIAS CXCII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4702. Vrb. Cond. 742.

M. Valerius Meſſala
P. Sulpicius Quirinus Coſſ.

Diophanes Aeolenſis *ſtadio* victor. *Africanus*.
Polyctor Eleus Damonici filius *pugilatu puerorum* in Olympiis ipſis palmam obtinuit ex Pauſania [1].

OLYMPIAS CXCIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4706. Vrb. Cond. 746.

C. Martius Cenſorinus
C. Aſinius Gallus Coſſ.

Artemidorus Thyatirenus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYMPIAS CXCIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4710. Vrb. Cond. 750.

C. Calviſius Sabinus
L. Paſſienus Rufus Coſſ.

Demaratus Epheſius *ſtadio* victor ex Africano.

(1) Eliac. I. c. 21.

OLYMPIAS CXCV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4714. Vrb. Cond. 754. Chriſti 1.

C. Iulius Caeſar
L. Aemilius Paullus Coſſ.

Demaratus Epheſius, qui ſuperiori Olympiade palmam retulerat, hac etiam *ſtadii* curſu victor fuit ex Africano.

Poſtremus ſuperioris Olympiadis annus, ſimulque primus ineuntis huius cum primo ex annis illis concurrit, quos a Chriſto nato numeramus, atque anni *vulgaris Aerae Chriſtianae* vocari ſolent. Etenim, quum Chriſtus ipſe in hac Aera, quae a Dionyſio Exiguo inſtituta fuit, natus ſupponatur 25. Decembris die exeunte iam anno ab V. C. 753. poſtquam ſuperiori aeſtate *quartus* Olympiadis CXCIV. annus inceptus erat, primus Aerae Chriſtianae vulgaris annus, qui a proximis Ianuarii Kalendis una cum civili Romanorum anno 754. exorditur ſex poſtremis Olympiadis CXCIV. primiſque ſex Olympiadis CXCV. menſibus reſpondet; ut fuſius & accuratius in Prolegomenis ad Tomum III. obſervavi. Itaque deinceps praeter annos Olympicos, & Periodi Iulianae, & Vrbis Conditae annos etiam a Chriſto nato, ſive vulgaris Aerae Chriſtianae praefigemus, ut rerum geſtarum ſeries hoc etiam clariori, magiſque uſitato temporum charactere deſignetur.

OLYMPIAS CXCVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4718. Vrb. Cond. 758. Chr. 5.

L. Valerius Meſſala Voluſius
Cn. Cornelius Cinna Magnus Coſſ.

Pammenes Magnes e Magneſia Maeandro proxima *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

OLYM-

OLYMPIAS CXCVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4722. Vrb. Cond. 762. Chr. 9.
Rhoemetalces Thraciae Rex Athenis Archon DCXCII.

P. Sulpicius Camerinus | *C. Poppaeus Sabinus* Coſſ.

Aſiaticus Halicarnaſseus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Rhoemetalcem Regem Athenis aliquando Archontis Eponymi munere perfunctum eſſe ex illuſtri Attico Marmore iam demonſtravi (1), idque de antiquiori ſolum Rhoemetalce intelligendum eſſe conieci, qui Auguſto coaevus, & carus fuit, quum Romanos in Dalmatico bello anno V. C. 759. iuviſſet. Cognominis autem alius Thraciae, vel potius Boſphori rex Reſcyporidis fortaſſe filius Rhoemetalces Antonini Pii aetate vixit; quumque inter ipſum, eiuſque patruum controverſia de regni ſucceſſione excitata foret, uterque Romam a Caeſare accitus fuit, regnumque Rhoemetalci confirmatum: quod circa annum V. C. 900. contigiſſe debuit; ut ex Boſphori regum hiſtoria apud Vaillantium (2) conſpicitur.

Quod vero ſenior potius, quam iunior, in Marmore memoretur exinde facile ſuſpicari quis poſſit, quod rara admodum Romana nomina in ipſo memorentur: quum tamen in iis, quae Hadriani, atque Antonini temporibus exarata ſunt, frequentiſſima occurrant. Itaque facilius hic ſenior Rhoemetalces indicabitur, qui militari gloria, & Auguſti Caeſaris amicitia clarior fuit, ut proinde facile ab Athenienſibus ipſi ſuprema apud illos dignitas offerri potuerit; unde ipſum hac Olympiade Faſtis inſcripſi quod Dalmaticum Bellum ſuperiori anno Rhoemetalcis etiam opera feliciter confectum fuerit.

Si cui tamen inſigne Monumentum illud ad iuniorem Rhoemetalcem referre libeat, praeſidium aliquod ex Philoſtrato habere ille poterit, qui Rhoemetalcem hunc Boſpho-

(1) Tom. II. pag. 194. (2) Pag. 275.

ſphori regem ait (1) in variis Ioniae Vrbibus verſatum eſſe, ut erudiretur. Itaque fortaſſe tunc Athenas etiam conceſſit, ibique a civibus Archontis Eponymi dignitate decorari ille potuit.

Ceterum hic opportune obſervandum quod Latinum Marmor alibi (2) a me prolatum, in quo *C. Iuli regis Rhoemetalcis* nomen occurrit, ad iuniorem potius referendum arbitror, qui Romam profectus *Iuliam Tyndarin libertam* ſuam ſecum duxiſſe potuit, eique morienti Romae titulus excitari potuiſſe videtur: quod de ſeniore Rhoemetalce effingi non poteſt. Quod ſi *Caii Iulii* nomen ſeniori Rhoemetalci ab Auguſto communicatum fuit, ut Fabrettus coniecerat, perſpicuum fiet quod illud idem nomen apud poſteros etiam conſervatum fuit, atque a iuniore quoque Rhoemetalce uſurpatum.

OLYMPIAS CIIC.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4726. Vrb. Cond. 766. Chr. 13.

C. Silius Nepos
L. Munatius Plancus Coſſ.

Diophanes Pruſaeenſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Ariſtaeas vero Stratonicenſis, vel Maeandrius *lucta*, & *pancratio* ſimul victoriam *ſeptimus* ab Hercule in Ludis ipſis obtinuit. Hic victor a Pauſania (3) quoque memoratur.

Circa haec tempora Athenienſes ſeditionem adverſus Auguſtum Caeſarem, vel Romanos tentarunt. Etenim Oroſius (4), cum praemiſiſſet Iani Templum *tertio* iam ab Auguſto clauſum fuiſſe, ac duodecim fere annorum ſpatio portas illas rubigine quoque obſignatas eſſe, ſubdit quod *ſub extrema ſenectute Auguſti pulſatae Athenienſium ſeditione, & Dacorum commotione patuerunt*. Syncellus (5) autem ad annum Chr. 13 hoc eſt V. C. 766., adnotavit: Ἀθηναῖοι ϛασιάζειν ἀρξάμενοι, κολασθέντες ἐπαύσαντο *Athenienſes res novas*

(1) Vitae Sophiſt. Libr. I. num. 25. c. 4. (2) Tom. II. pag. 195. (3) Eliac. I. c. 21. (4) Lib. VI. c. 22. & Paul. Diac. Lib. VII. (5) Pag. 253.

vaſ quum moliti fuiſſent, caſtigati quieverunt. Euſebius tamen, quem Syncellus exſcripſit, haec in anno 1. ſuperiori Olympiadis memoravit.

Facilius tamen ſeditionem hanc ad Olympiadis huius initium revocaverim, quum Auguſtus ineunte anno 2. qui in annum V. C. 767. incidit, e vivis exceſſerit XIV. Kalendas Septembris.

An. $\frac{3}{3}$. Zeno Menneae filius Phlyenſis Athenis Archon DCIIC.

Druſus Caeſar Tiberii Aug. filius
C. Norbanus Flaccus Coſſ.

Archontis Zenonis nomen Eponymorum Faſtis anno 3. Oly. CIIC. ſive 1. Oly. CC. inſerendum eſſe iam monui ex pulcherrimo Athenienſium Marmore, quod alibi exhibui [1]. Huic vero potius anno nunc adſcripſi, quod in illum *primus* Druſi Caeſaris Conſulatus inciderit.

OLYMPIAS CIC.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4730. Vrb. Cond. 770. Chr. 17.

C. Caelius Rufus
L. Pompeius Flaccus Coſſ.

Aeſchines Mileſius alioque nomine Glacias *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Quum vero in Olympiis ipſis *equorum curſus*, qui iampridem ſublatus fuerat, reſtitutus eſſet, Tiberius Caeſar *tethrippo* palmam obtinuit, ut Africanus ipſe teſtatur.

An. $\frac{1}{2}$. Germanicus Caeſar, quum Nicopoli Conſulatum ſecundum iniiſſet, mox adiit *Athenas*, *foederique ſociae*, *& vetuſtae Vrbis datum*, *ut uno lictore uteretur*. *Excepere Graeci quaeſitiſſimis honoribus vetera ſuorum facta dictaque praeferentes quo plus dignationis adulatio haberet* . . . *At*

(1) Tom. II. pag. 154.

At Cn. Piſo Civitatem Athenienſium turbido inceſſu exterritam oratione ſaeva increpat oblique Germanicum perſtringens quod contra decus Romani nominis non Athenienſes tot cladibus extinctos, ſed colluviem illam Nationum comitate nimia coluiſſet . . . offenſus Vrbi propria quoque ira, quia Theophilum quemdam Areo iudicio falſi damnatum precibus ſuis non concederent (1).

Quo ſane illuſtri Taciti teſtimonio erudimur adhuc Athenas ſolo foederis iure Romanorum ſocias, adeoque *liberas* fuiſſe; itemque in illis Areopagitici Senatus auctoritatem, ſummumque ius adhuc incolume perſtitiſſe. Eiuſmodi vero libertatem iterum a Nerone Caeſare Oly CCXI. aſſertam, vel reſtitutam; mox Olymp. CCXII. a Veſpaſiano ademptam fuiſſe oſtendemus.

OLYMPIAS CC.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4734. Vrb. Cond. 774. Chr. 21.

Cl. Tiberius Caeſar Aug. IV.
Druſus Caeſar Tiberii filius Coſſ.

Polemon Petraeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Quum ex Conſulum Romanorum nominibus ac ſitu nihil propemodum ſplendoris ſequioribus hiſce temporibus in Attica hiſtoria ſperari poſſit, ipſorum ſeriem in hac Olympiade CC. abrumpimus, & ſola deinceps Archontum Athenienſium nomina, quae ſubinde nobis affulſerint, exponemus.

OLYMPIAS CCI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4738. Vrb. Cond. 778. Chr. 25.

Damaſias Cydoniata *ſtadio* victor. *Africanus*.

Sarapion Alexandrinus, qui *pancratio* certaturus metu perculſus abſtinuit, ab Eleis *timiditatis* damnatus fuit.

OLYM-

(1) Tacit. Annal. Lib. II. (2) Pauſ. Eliac. I. c. 21.

OLYMPIAS CCII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4742. Vrb. Cond. 782. Chr. 29.

Hermogenes Pergamenus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4746. Vrb. Cond. 786. Chr. 33.

Apollonius Epidaurius *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4750. Vrb. Cond. 790. Chr. 37.

Serapion Alexandrinus *ſtadio* victor. *Africanus*.

Nicoſtratus Aegeates *lucta*, & *pancratio* victoriam *octavus* ab Hercule obtinuit. Pauſanias [1] aſſerit ipſum multas de *pancratio* & *lucta* palmas in Olympiis retuliſſe; ſed victoriae tempora non expreſſit.

OLYMPIAS CCV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4754. Vrb. Cond. 794. Chr. 41.

Metrodorus Athenis Archon DCCXXIV.

Eubulides Laodicenus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Archontem Metrodorum Tiberii Claudii temporibus imperaſſe perſpicue Marmor oſtendit, quod alibi [2] protuli, ac illuſtravi. Quamvis autem Claudius ille 14. annis imperaverit, ac incertum plane ſit quo potius anno Archontis Eponymi dignitas Metrodoro conceſſa fuerit; libentius tamen hoc *primo* Olympiadis huius anno adſcripſi, quo Claudius

(1) Eliac. I. c. 21. (2) Tom. II. pag. 197.

dius imperium iniit, ipſique Athenienſes aſſentari poterant eius nomen publicis eiuſmodi monumentis praefigentes.

Themiſtocles Beſaeenſis Athenis Archon

Themiſtoclem hunc *Tiberii Claudii* temporibus Eponymum Athenis Archontem fuiſſe perſpicue diſerteque legitur in Marmore, quod in Faſtis Atticis exhibui [1]. Quamvis autem tunc in ipſo Tiberium Auguſti ſucceſſorem memorari putaverim, adeoque Themiſtoclem circa Oly. CC. imperaſſe dixerim; alibi [2] tamen veriſimilius putavi ibi de Tiberio Claudio Caii Caligulae ſucceſſore potius agi; adeoque Themiſtoclem, ac Metrodorum poſt Olymp. CCV. Archontum Faſtis inſcribendos eſſe. Si tamen utrumque Archontem ad Tiberii tempora, ac Olymp. CC. revocare libeat, nihil moror.

An. $\frac{1}{2}$. Euſebius ad annum 2. Olympiadis CCVII. adnotavit: *Λιμοῦ κατὰ τὴν Ἑλλάδα γεγονότος μεγάλου, ὁ τοῦ σίτου μόδιος ἓξ διδράχμων ἐπράθη*. Eadem quoque, ſed ad annum 2. ſuperioris Olympiadis exſcribit Syncellus [3], ſubditque *τότε καὶ Ἀθηναίοις ἐπεγράφη βωμὸς, Ἀγνώστῳ Θεῷ* *ingenti fame Graeciam omnem depaſcente tritici modius Didrachmis ſex venit. Eo tempore altari ab Athenienſibus inſcriptum = Ignoto Deo.* Ac certe ingentem hanc famem 2. Claudii Caeſaris anno, hoc eſt 2. Olymp. CCV. univerſae Graeciae incubuiſſe teſtatur Dio [4]; eamdemque prorſus habendam eſſe, quam Agabus praedixerat [5], eruditi Viri obſervarunt, Itaque nullus hic dubito quin Euſebius de eadem ipſa fame loquatur, quae a Dione, ceteriſque Scriptoribus memorata fuit; adeoque hiſtoria tum ab Euſebio, tum a Syncello narrata ad annum hunc revocari debeat.

Suſpicor etiam ea de cauſſa tunc aram *Ignoto Deo* Athenis a civibus fame laborantibus excitatam fuiſſe, quod infortunia ab iratis Diis, veluti poenas, inflicta cenſerent; neque tamen ſcirent quo numine laeſo fames illa ingrueret; adeoque ignotum hunc Deum famis auctorem placaturi aram ipſi

(1) Tom. II. pag. 160. (2) Pag. 197. (3) Pag. 265. (4) Lib. LX. (5) Act. Apoſt. c. 11.

ipſi excitaverint. Certe Thucydides (1) obſervavit veterem hunc Athenis morem fuiſſe ut fame laborantes ad aram in Acropoli poſitam confugerent, neque tamen expreſſit cuinam Deo, vel Deae vetus etiam ara illa dicata foret.

OLYMPIAS CCVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4758. Vrb. Cond. 798. Chr. 45.

Antipater Athenis Archon DCCXXVIII.

Valerius Mitylenaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Antipatri vero Archontis nomen in Phlegonte nobis occurrit, qui in Libro *de Mirabilibus* (2) ait: Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ ποταμῷ ἐγένετο ἀνδρόγυνος, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀντιπάτρου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Βινιτίου, καὶ Τίτου Στατιλίου Ταύρου τοῦ Κορβιλίου ἐπικληθέντος *Antiochiae, quae eſt ad Maeandrum fluvium, homo mixto ſexu fuit, Archonte Athenis Antipatro, Romae M. Vinicio, & T. Statilio Tauro cognomento Corvilio Conſulibus*. Itaque, quum Conſulum iſtorum nomen anno V. C. 798. in Faſtis occurrat, Antipatri quoque Archontis nomen eodem anno Eponymorum Faſtis inſerendum erit. Ceterum verum ſecundi Conſulis nomen fuit *M. Statilius Corvinus*; adeoque graecus Phlegontis textus corrigendus erit.

OLYMPIAS CCVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4762. Vrb. Cond. 802. Chr. 49.

Dinophilus Athenis Archon DCCXXXII.

Athenodorus Aegienſis *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Dinophili quoque Archontis nomen Phlegonti debemus, qui ait (3): Ἐγένετο σημεῖον παράδοξον ἐπὶ Ῥώμης Ἄρχοντος Ἀθήνησι Δεινοφίλου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Κοΐντου Οὐρατίου, καὶ

(1) Lib. I. (2) Cap. VI. (3) De Mirabil. c. 22.

Γναίου Πομπεΐυ Γάλλυ *admirabile monſtrum Romae natum fuit Archonte Athenis Dinophilo*, *Conſulibus Romae Q. Veranio*, *& Cn. Pompeio Gallo*, quorum uterque anno V. C. 802. Conſulum Faſtis inſcribitur.

An. $\frac{2}{3}$. Hoc anno Paulus Apoſtolus quum Philippis, ac Theſſalonica pulſus foret, Athenas conceſſit; ibique, quum aram *Ignoto Deo* dicatam conſpexiſſet, ad Areopagitas veluti novi Numinis praedicator delatus, ſe non novum, ſed eumdem illum Deum praedicare dixit, quem iampridem Athenienſes veluti *ignotum* colebant [1]. De hac Ara *Ignoto Deo* dicata plurima Meurſius [2], Reineſius [3], aliique prodidere. Illud unum obſervaſſe nunc libet, quod ſicuti Apoſtolus hanc Aram ad verum Deum revocavit, ita quoque verſus, quos Clearchus de Iove ediderat, ad Deum ipſum retulit, perinde quaſi Clearchus, qui in Hymno Iovem alloquens dixerat

ἐκ σῦ γὰρ γένος ἐσμέν
ex te enim propago ſumus,

aut Aratus Cilix, qui hoc idem ante Clearchum expreſſerat, ad unicum, verumque Numen reſpexerint. Certe Paulus eximium hoc effatum a pluribus uſurpatum eſſe demonſtrat cum ait: *ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς Ποιητῶν εἰρήκασι*
Οὗ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν
ſicuti & quidam ex Poëtis veſtris dixerunt:
Ipſius enim & genus ſumus

OLYMPIAS CCVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4766. Vrb. Cond. 806. Chr. 53.

Dionyſodorus Athenis Archon DCCXXXVI.

Athenodorus ipſe ſuperioris Olympiadis victor, hac etiam *ſtadio* palmam obtinuit.

Phlegon [4] in eodem ipſo Libro de *Mirabilibus* Archontis Dionyſodori nomen expreſſit: Ἐγένετο καὶ ἐν Μεσανίᾳ πόλει τῆς Ἰτα-

(1) Act. Apoſt. c. 17. (2) Piraeeus c. 10. (3) Inſcript. Claſ. 1. num. 1. (4) Cap. 7.

Ἰταλίας ἀνδρόγυνος ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησι Διονυσοδώρου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Δεκίμου Ἰουνίου Σιλανοῦ Τορκουάτου, καὶ Κοΐντου Ἀστερίου Ἀντωνείνου *natus eſt etiam androgynus in Mevania Italiae urbe Archonte Athenis Dionyſodoro, Romae vero Conſulibus Decimo Iunio Silano Torquato, & Q. Aſterio Antonino*. Decimus Iunius, & Quintus Haterius (ſic enim legi debet) anno V. C. 806. Faſtos ſignarunt; ideoque huic anno Dionyſiodori magiſtratus adſcribi debet.

An. $\frac{3}{4}$. Conon Athenis Archon DCCXXXIX.

Phlegon (1) alia androgynorum exempla memorans ait quemdam militis ſervum in Germania peperiſſe Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Κόνωνος, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Κοΐντου Οὐολουσίου Σατορνίνου, καὶ Ποβλίου Κορνηλίου Σκιπίωνος *Archonte Athenis Conone, Conſulibus Romae Q. Voluſio Saturnino, & P. Cornelio Scipione*. Eorum Conſulatus incidit in annum V. C. 809. ſive 4. Olymp. CCVIII., quo proinde Athenis Conon ille imperavit.

OLYMPIAS CCIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4770. Vrb. Cond. 810. Chr. 57.

Callicles Sidonius *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4774. Vrb. Cond. 814. Chr. 61.

Thraſyllus Athenis Archon DCCXLIV.

Athenodorus Aegienſis, qui Oly. CCVII. & CCVIII. *ſtadio* vicerat, tertiam *ſtadio* victoriam hac Olympiade retulit.

Thraſyllus autem Archon a Phlegonte (2) nominatur ubi narrat quod infans quadricephalus, Neroni Auguſto oſtenſus fuit Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Θρασύλλου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Ποβλίου Πετρωνίου τοῦ Σπαλιανοῦ, καὶ Κεσεννίου Πέτου *Archonte Athenis*

V 2

(1) Cap. 27. p. 85. (2) De Mirab. c. 20.

nis Thraſyllo, *Conſulibus Romae P. Petronio Spaliano*, *&* *Ceſennio Peto*. C. Caeſonius Paetus, & C. Petronius Sabinus anno V. C. 814. Conſulum Faſtos implerunt; cui proinde anno Thraſylli quoque Archontis imperium adſcribi debet.

OLYMPIAS CCXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4778. Vrb. Cond. 818. Chr. 65.

Demoſtratus Athenis Archon DCCXLVIII.

Olympicus Agon, qui ineunte hac Olympiade celebrari debebat, ad annum 3. dilatus fuit, ut Nero Caeſar ipſi intereſſet.

Demoſtrati Archontis nomen, ac ſitus ex Phlegonte (1) nobis innotuit ubi ſcripſit Romae mulierem infantem enixam fuiſſe eum Anubidis capite Α῎ρχοντος Α᾿θήνησιν Δημοςράτε, ὑπατευόντων ἐν Ρ῾ώμῃ Αὔλε Λεκιννίε Νέρεα Σιλανιανε͂, ϗ Μάρκε Οὐηςίνε Α᾿ττικε͂ *Archonte Athenis Demoſtrato*, *Conſulibus Romae Aulo Lucinnio Nerva Silaniano*, *&* *M. Veſtino Attico*. Vera Conſulum nomina, qui anno V. C. 818 imperarunt, in Phlegonte reſtitui debent, ut in accuratioribus Faſtis occurrunt; nimirum *P. Silius Nerva*, & *C. Iulius Atticus Veſtinus*.

An. $\frac{2}{3}$. Hoc *tertio* Olympiadis anno Ludi, qui ineunte *primo* celebrari debuerant, poſt Neronis adventum in Graeciam celebrati ſunt. Africanus in Olympiadum Serie de hac loquens ait: ἐκ ἤχθη, Νέρωνος ἀναβαλλομένε εἰς τὴν ἑαυτε͂ ἐπιδημίαν. Μετὰ δὲ ἔτη δύο ἀχθείσης αὐτῆς, ςάδιον μὲν Τρύφων Φιλαδελφεὺς ἐνίκα, Νέρων δὲ Κηρύκων ἀγῶνα ἐςεφανε͂το, Τραγῳδὲς, Κιθαρῳδὲς, ἅρμα πωλικὸν, ϗ τὸ τέλειον, ϗ τὸ δεκάπωλον *celebrata non fuit*, *Nerone ipſam in adventum ſuum differente*. *Quum vero ea poſt annos duos acta fuiſſet*, *ſtadio quidem Tryphon Philadelphienſis vicit*; *Nero autem certaminibus Tragicis*, *Citharoedicis*, *ſub praeconio coronabatur* (ut Scaliger interpretatur), itemque *curru pullorum*, *&* *adultorum equorum*, *decemque pullorum equorum curru* victor renunciatus eſt. Eadem fere Euſebius in Chro-

(1) De Mirab. c. 23.

Chronicis ad annum hunc adnotavit; ſed utroque tamen accuratior Philoſtratus [1], qui Pythiis etiam, atque Iſthmiis Ludis Neronem viciſſe memoravit, quod a Xiphilino quoque factum conſpicimus. Qui plura de ridiculis hiſce Neronis victoriis deſideret, Suetonium [2], alioſque adire poterit.

Tryphon tamen Philadelphienſis veluti *ſtadii* victor in his Olympiis ab Africano memoratur, ut ſuperius eſt obſervatum.

Xenodamus Anticyrenſis eadem ipſa Olympiade *pancratio* viciſſe videtur. Etenim Pauſanias [3] ait in Anticyrae Gymnaſio aeream cuiusdam Xenodami pancratiaſtae ſtatuam reperiri, qui viros in Olympiis vicerat; ſubditque quod, ſi inſcriptio ſtatuae ſubiecta non mentitur, *Ὀλυμπιάδι τῇ πρώτῃ μετὰ δέκα καὶ διακοσίας φαίνοιτο αὐτὸν κότινον ὁ Ξενόδαμος εἰληφώς· αὕτη δὲ ἐν τοῖς Ἠλείων γράμμασι παρεῖται μόνη πασῶν ἡ Ὀλυμπιὰς Olympiade CCXI facile appareat Xenodamum oleaſtrum reportaſſe, quum haec una Olympias ex omnibus in Eleorum litteris praeterita ſit*. Nimirum Pauſanias, quum in Olympionicarum omnium ſerie ex Eleorum litteris contexta *Xenodami* nomen nullibi occurrere conſpexiſſet, optime victorem illum ad eam ſolum Olympiadem referri poſſe putavit, quae ſola in Olympiadum ſerie ab Eleis recenſita non fuerat.

Ceterum Nero Auguſtus impenſe adeo aſſentantium Graecorum ſtudio, ac plauſu, partiſque in Graecia victoriis delectatus fuit, ut ipſo Iſthmiorum die e medio ſtadio libertatem Graeciae a ſe conceſſam, praeconis inſtar, publicaverit [4]. Itaque Athenienſes etiam hanc libertatem una cum ceteris conſequuti ſunt; quam tamen Veſpaſianus Caeſar mox ipſis ademit, ut alibi obſervabitur. Quamvis autem Nero ſingulas Graeciae urbes inviſerit, in quibus Certamina committebantur, Lacedaemone tamen, atque Athenis abſtinuit, quod ibi ſeveriores Lycurgi leges, hic autem Erinnyes eſſe dicebantur [5]. Vbi vero a Graecia redux inſanum victoriae triumphum egit, *mille octingentas octo* coronas antea partas oſtentavit.

OLYM-

(1) Vita Apoll. Lib. IV. c. 23. 24. (2) In Neron. c. 24. Xiphil. pag. 295. (3) Phoc. c. 36. (4) Pauſan. Achaic. c. 17. Philoſtr. Vit. Apol. Lib. V. c. 14. Plin. IV. c. 6. Suet. c. 24. (5) Xiphil. pag. 296.

OLYMPIAS CCXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4782. Vrb. Cond. 822. Chr. 69.

Polites Ceramites, ex Ceramo nempe vel Maeoniae, vel Cariae urbe, *ſtadio* vicit Olympia ex Africano; Pauſanias [1] vero Politem hunc non *ſtadio* ſolum, ſed *diaulo* quoque, & *dolicho* eadem die victoriam retuliſſe teſtatur.

Artemidorus autem Trallianus in Olympiis ipſis *virorum pancratio* palmam obtinuit [2].

OLYMPIAS CCXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4786. Vrb. Cond. 826. Chr. 73.

Rhodus, ſive Theodorus Cumaeus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. $\frac{2}{3}$. Secundo huius Olympiadis anno Veſpaſianus Auguſtus plurimas Orientis regiones, atque urbes, quae vel liberae, vel ſub amicis, ac foederatis Regibus erant, libertate ſpoliavit, eaſque in Provinciae formam redegit [3]. Itaque Athenienſibus etiam antiqua libertas, quae iterum ipſis a Nerone aſſerta iam fuerat, prorſus erepta tunc fuit; ac proinde temporibus mox inſequutis, quamvis Athenis & Magiſtratus eligi, & Senatus haberi, & pleraque inſtituta ſervari conſueverint, graviores tamen cauſſae ad Achaiae Praeſidem referebantur, qui τῆς Ἑλλάδος Ἄρχων dicebatur, ut opportune iam alibi oſtendi [4].

Atque exinde ſane ego factum putaverim quod, quum aliorum Caeſarum aetate nullus omnino Athenienſium Nummus occurrat, in quo Caeſaris nomen habeatur, unius tamen Veſpaſiani Nummi reperiantur, in quibus caput Veſpaſiani laureatum cum Epigraphe inſculptum conſpicitur, ut mox obſervabitur.

OLYM-

(1) Eliac. II. c. 13. (2) Pauſan. ibi c. 14. (3) Hieron. in Chron. Suet. c. 8. (4) Tom. I. pag. 46.

OLYMPIAS CCXIV.

An. $\frac{\pm}{1}$. Per. Iul. 4790. Vrb. Cond. 830. Chr. 77.

Atelianus Athenis Archon DCCLX.

Strato Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Ateliani velut Archontis Eponymi nomen ideo hic Faſtis inſeri poſſe conieci, quod nomen illud in Athenienſi Nummo inſcriptum repererim. Etenim apud Vaillantium (1) Nummus occurrit, in cuius antica parte Veſpaſiani Auguſti vultus, ac nomen; in adverſa vero Palladis caput conſpicitur cum epigraphe ΕΠΙ ΑΤΕΛΙΑΝΟΥ *ſub Ateliano*. Quandoquidem ergo tum antiquioribus, tum recentioribus etiam Athenienſium Nummis, quos alibi iam recenſui (2), ſola civium, ac fortaſſe Magiſtratuum, nomina inſcripta ſunt, atque in hoc uno nova, ac inſueta formula, unicumque nomen conſpicitur; dubitari certe vix poterit, quin nomen illud Magiſtratum deſignet: quemadmodum ſane in omnium Graecarum urbium Nummis in quibus phraſis illa occurrit, ſemper Eponymum, ſupremumque Vrbis Magiſtratum deſignat. Quem ergo potius in hoc Athenienſium Nummo deſignari putabimus, quam Eponymum urbis Archontem; quum & nomen Graecum ſit, & ad Proconſulem, vel Romanum Magiſtratum alium referri non poſſit? Itaque, ſicuti in reliquis earum Vrbium Nummis, quibus Athenarum inſtar libertatem Veſpaſianus ademerat, Eponymi Magiſtratus nomen occurrit; ita facile in hoc ipſo *Ateliani*, velut Eponymi, nomen inſculptum fuit. Nec plurimum fortaſſe ego fallar ſi Athenis ipſis Nummum alium conceſſerim, in cuius antica parte Veſpaſiani caput, ac nomen, in adverſa galeatum Palladis caput, ſed ſine epigraphe, reperitur (3): perinde quaſi iis temporibus, quibus cuſus eſt nummus, Athenienſes libertate privati nondum ſcirent cuiusnam Magiſtratus nomine pecunia publica ſignanda foret.

OLYM-

(1) Num. Graec. pag. 20. (2) Tom. II. Differ. XII. (3) Muſe. Theup. pag. 850.

OLYMPIAS CCXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4794. Vrb. Cond. 834. Chr. 81.

Hermogenes Xanthius *ſtadio* victor. *Africanus*. Vide in Olymp. CCXVII.

Huic ipſi Olympiadi facile victoriam adſcripſerim, quam Melancomas e Caria oriundus in Olympicis ludis *pugilatu* reportavit. Siquidem Melancomam hunc pulcritudine, robore, & dexteritate inſignem plurimas, patris inſtar, *pugilatu* variis in locis, ac Olympiae quoque victorias retuliſſe Dio (1) Chryſoſtomus fuſe memorat. Quandoquidem vero Themiſtius (2) ait ὃ καὶ Τίτον φασὶν ἐραστὴν γενέσθαι τὸν αὐτοκράτορα *cuius Titum quoque Imperatorem amicum fuiſſe dicunt*, perſpicue apparet ipſum Titi temporibus vixiſſe, qui imperium adeptus anno 3. Olymp. CXIV. obiit anno 1. huius Olymp. CXV. idibus Septembris. Itaque circa hanc Olympiadem aliqua ex Melancomae victoriis contigerat. Quod vero Dion ſubdit Melancomam ipſum paullo poſt obiiſſe quam Neapoli agone vicerat, id optime Caſaubonus de *Auguſtalibus* intelligendum eſſe coniecit, quae, ut opportunius alibi (3), oſtendi anno V. C. 755. inſtituta ſunt; quamvis ipſorum initium, & cardo doctiſſimis antea viris incognitus foret.

An. $\frac{2}{3}$. Anarchia Athenis

Hoc anno nullum Athenis Archontem Eponymum electum eſſe, ſed ibi *Anarchiam* fuiſſe, quemadmodum prorſus anno primo Olymp. XCIV. contigerat, a Phlegonte (4) erudimur, qui ſerpentes a muliere partu editos fuiſſe ſcribit ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Δομετιανοῦ Καίσαρος τὸ ἔνατον, καὶ Πετιλίου Ῥούφου τὸ δεύτερον ἐν Ἀθήναις Ἀναρχίας οὔσης *Conſulibus Romae Domitiano Caeſare IX. & Petilio Rufo II., quum Athenis Anarchia foret*. Conſules illi in annum V. C. 836. & 3.

(1) Orat. 28. & 29. (2) Orat. X. (3) Differt. Agoniſt. pag. 109. (4) De Mirab. c. 22.

& 3. Olymp. CCXV. incidunt; quamvis in Faſtis aliis Domitiani Collega *T. Virginius Rufus* dicatur.

Iis vero Conſulibus Domitianus Vrbe, ac Italia Philoſophos expulit, ut a Suetonio, Dione, & Euſebio erudimur.

OLYMPIAS CCXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4798. Vrb. Cond. 838. Chr. 85.

Apollophanes, vel Papes Tarſenſis *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4802. Vrb. Cond. 842. Chr. 89.

Hermogenes Xanthius, qui Olympiade CCXV. victor fuerat, iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Pauſanias [1] autem ait ipſum tribus Ludis *octies* palmam retuliſſe, ideoque *Hippi*, vel *equi* nomen obtinuiſſe: quod nimirum ille victorias omnes curſus pernicitate adeptus eſſet.

Hac ipſa Olympiade *puerorum pugilatu* in Olympiis viciſſe dicit Pauſanias [2] Serapionem Alexandrinum; qui ab alio ſane diſtinguendus erit, qui Olymp. CCIV. *ſtadio* victoriam reportaverat; itemque ab alio, qui Olymp. CCI. ad *pancratii* victoriam adſpiraverat.

Hoc anno quamvis Domitianus Caeſar Philoſophos ac Mathematicos urbe Roma eieciſſet [3], Apollonius tamen Tyaneus Romam accerſitus cauſſam coram Imperatore peroravit [4].

OLYMPIAS CCXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4806. Vrb. Cond. 846. Chr. 93.

Domitianus Imperator Athenis Archon DCCLXXVI.

(1) Eliac. II c. 13. (2) Pauſ. Eliac. II. c. 23. (3) Euſ. in Chr. (4) Philoſtr. Vit. Apoll. Lib. VII. c. 8.

Apollonius, alioque nomine Heliodorus Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Quum vero Apollonius cognomento *Rhantis* Alexandrinus a *pugilatus* certamine excluſus eſſet, eius loco Heraclides Alexandrinus, quamvis intacto pulvere, palmam obtinuit [1].

Heraclides ille etiam a Plutarcho memoratur [2].

Eponymus autem hic Athenienſium Archon, qui Hadriani, & etiam Gallieni inſtar, Caeſaris dignitati Athenienſis etiam Archontis munus adiunxit, nunc mihi primum ex ambiguis profecto, ſed non obſcuris tamen Philoſtrati [3] verbis affulſit. Narrat Philoſtratus Apollonium Tyanenſem Olympiorum tempore Piſas veniſſe, ibique iuvenem quemdam Athenienſem, qui Ludos ſpectatum venerat, Apollonio dixiſſe maxime benevolam Imperatori Palladem eſſe, *κ̀ δίκαια πράττειν τὴν Θεὸν, ἐπειδὴ κ̀ ὁ βασιλεὺς τὴν ἐπώνυμον Ἀθηναίοις ἦρξεν & recte facere Deam, quoniam Imperator Eponymo magiſtratu apud Athenienſes imperaret*. Cl. Fabricius in hoc Philoſtrati loco reſcribendum aſſerit *ἐπώνυμον Ἀθήνας ἦρξεν*, adeoque reddit *quoniam Imperator in urbe ipſi* (Palladi) *cognomine rerum ſummam teneret*. Itaque Fabricius vocem *ἐπώνυμον* ad *πόλιν* Athenienſium *urbem* referendam eſſe putavit. Nullibi tamen Philoſtratus, aut ullus ex Graecis Scriptoribus *ἄρχειν τὴν ἐπώνυμον πόλιν* dixit; ſed in proſa oratione ipſorum quilibet *τῆς ἐπωνύμȣ πόλεως* dixiſſet; quamvis eleganter ſaepiſſime occurrat *τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν ἄρχειν*, ſive brevius *τὴν ἐπώνυμον ἄρχειν*, ut ex ipſo quoque Philoſtrato variis in locis oſtendi [4]. Itaque vox *ἐπώνυμον* ad *πόλιν* referri non poterit; adeoque non *Ἀθήνας*, ſed veterum codicum auctoritate *Ἀθηναίοις* legendum erit. Ergo, ſi Domitianus Caeſar *τὴν ἐπώνυμον Ἀθηναίοις ἦρξεν*, eaque formula apud Philoſtratum ipſum Eponymus Athenienſium Magiſtratus exprimitur, dubitari ſane non poterit, quin eo Olympiadis anno Domitianus Caeſar Athenis ſupremam Archontis Eponymi dignitatem obtinuerit. Ac certe quidem, ſi Fabricii ſenſus & explicatio admittatur, quî inferri poterat ea de cauſſa Palladem

(1) Pauſ. Eliac. I. c. 21. (2) Sympoſ. Lib. I. quaeſt. 6. (3) Vita Apoll. Lib. VIII. c. 16. (4) Tom. II. pag. 115.

dem Domitiano Caeſari benevolam eſſe oportere, quod ille Athenis in urbe Palladi cognomine imperaret, perinde quaſi in ceteris etiam urbibus ille non imperaret? Ergo perſpicuus, ac nativus ſenſus hic poſtulat ut diſtincta quaedam, ac peculiaris cauſſa, & diſtinctum aliquod, ac peculiare imperii genus afferatur, quod Palladis amorem ac praeſidium ſibi vindicaret: quod facile profecto intelligi, & explicari poterit, ſi Domitianus ipſe privatum ac peculiare Athenienſis Vrbis Palladi conſecratae imperium obtinuiſſe dicatur. Haec eadem concinnior, ac vera Philoſtrati ſententia ex verbis aliis inferri poterit, ſi tamen rite contra Interpretum aliorum mentem explicentur. Subdit Philoſtratus adoleſcentem illum ab Apollonio interrogatum eſſe εἰ δὲ ϗ ἐν Παναθηναίοις; *an vero in Panathenaeis etiam* Domitianus Caeſar *rerum ſummam tenebit*? ſubditque Apollonius Athenienſes ea in re parum conſentanea iis facturos, quae pro Harmodio, atque Ariſtogitone decreverant; ſi poſtquam ipſis ſtatuas erexerant, quia in Panathenaeis Feſtis Hipparchum Athenienſium Tyrannum ſuſtulerant, τυράννοις λοιπὸν χαρίζονται τὸ κεχειροτονημένους αὐτῶν ἄρχειν *poſtea Tyrannis hoc lubentes conceſſerint, ut eorum Legati ſummae rerum praeeſſent*. Ergo Philoſtratus, aut Apollonius hic loquitur de dignitate, ac imperio quod Athenienſes ipſi veteris in Tyrannos odii prorſus immemores huic Tyranno Caeſari *lubentes conceſſerant*. Id vero non de communi ſane Romani orbis, adeoque Athenienſis etiam Vrbis imperio intelligi poterit, quod Domitianus aliorum Caeſarum inſtar occupaverat; ſed de peculiari ſolum Magiſtratu, quem Athenienſes ſponte ipſi conceſſerant, ſimulque de poteſtate, qua Domitianus tanquam Eponymus Archon, adeoque iure ſuo, Panathenaeis Feſtis praeſideret, eoſque ablegaret, qui eius tamquam Archontis nomine Feſtis illis praeeſſent. Itaque prorſus immerito aut *Proconſules*, aut *Conſulares* intelligendos eſſe putat Fabricius; neque enim illorum eligendorum poteſtas Caeſari a *lubentibus* Athenienſibus ſolis conceſſa fuit; nec Proconſules, aut Conſulares illi Panathenaeis Feſtis praeeſſe poterant; ut inde Apollonius Athenienſium inconſtantiam inferre, & obiurgare poſſet, quod in Panathenaeis olim quidem Tyrannum occidiſſent, tunc vero

ro in Panathenaeis ipſis Tyranni Legatos lubentes exciperent.

OLYMPIAS CCXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4810. Vrb. Cond. 850. Chr. 97.

Stephanus Cappadox *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4814. Vrb. Cond. 854. Chr. 101.

Achilleus Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

His temporibus circa Traiani Caeſaris initia Maximus quidam in Achaiam miſſus eſt, qui Graecarum Vrbium res mire perturbatas componeret. Id ex Plinii Epiſtola (1) perſpicue apparet in qua is de Athenis loquens ait: *Habe ante oculos hanc eſſe terram, quae nobis miſerit iura, quae leges non victa acceperit, ſed petentibus dederit: Athenas eſſe, quas adeas, quibus reliquam umbram, & reſiduum libertatis nomen eripere durum, ferum, barbarumque eſt.* Itaque iis temporibus Athenienſes adhuc libertate, ſed fera umbratili fruebantur, ſuiſque ſolum legibus utebantur; quemadmodum ſane ſuis magiſtratibus parebant, ut opportunius, ac illuſtrius oſtendetur ad Olymp. CCXXVII.

OLYMPIAS CCXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4818. Vrb. Cond. 858. Chr. 105.

Theonas, alioque nomine Smaragdus Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

An. $\frac{1}{2}$. Quum Traianus Auguſtus hoc anno V. C. 859. bellum adverſus Armenios, ac Parthos moveret, Athenas in-

(1) Lib. VIII. Epiſt. 24.

ingreſſus ibi Osrhois Parthorum regis Legatos excepit, iiſque reſponſum, poſtquam in Syriam appuliſſet, ſe daturum promiſit (1). Hoc autem Traiani iter hoc anno, non 865. V. C. contigiſſe fuſius, atque accuratius in Diſſertatione *de Miniſſari Regis Nummo* demonſtravi.

OLYMPIAS CCXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4822. Vrb. Cond. 862. Chr. 109.

Calliſtus Sidetes *ſtadio* victor. *Africanus*.

Ariſtarchus Phalereus Athenis Archon.

Suſpicionis, & coniecturae genus, quod mihi pridem affulſerat, ut hunc Ariſtarchum Eponymorum Archontum Faſtis insererem, opportune iam alibi (2), ingenueque propoſui.

An. $\frac{3}{4}$. Hadrianus Caeſar Athenis Archon DCCXCV.

Hoc anno ſupremam Archontis Eponymi dignitatem ab Hadriano Caeſare ſuſceptam fuiſſe ex Phlegontis teſtimonio perſpicue iam alibi (3) demonſtravi. Ita quoque ſingula ſubtilius exploravi, quae tunc temporis ab Hadriano Athenis degente geſta a variis Scriptoribus memorantur; ac proinde iis iterum recenſendis haud immorabor.

OLYMPIAS CCXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4826. Vrb. Cond. 866. Chr. 113.

Euſtolus Sidetes *ſtadio* victor. *Africanus*.

An. $\frac{3}{4}$. Macrinus Athenis Archon DCCIC.

Phlegon in Libro *de Mirabilibus* (4) Macrinum hunc memoravit ubi de androgyno Antiochiae viſo loquens ait id

(1) Dio Lib. LXVIII. (2) Tom. II. pag. 104. (3) Tom. II. pag. 105. (4) Cap. 9.

id contigiſſe Α῎ρχοντος Α᾽θήνησι Μακρίνου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Λουκίου Λαμία, ϗ Αἰλιανοῦ Οὐέτερος *Archonte Athenis Macrino, Cenſulibus Romae Lucio Lamia, & Aeliano Vetere*. Ibi Meurſius reſcribendum aſſerit Λουκίου Αἰμιλίου Αἰλιανοῦ, ϗ Οὐέτερος; ſed tamen in Faſtis aliis habetur Λουκίου Αἰλίου Λαμία, ϗ Αἰλιανοῦ Οὐέτερος: licet alii *Aemilium Aelianum, & Lucium Antiſtium Veterem* anno V. C. 869. ſive 4. Oly. CCXXIII. Coſſ. nobis exhibeant.

OLYMPIAS CCXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4830. Vrb. Cond. 870. Chr. 117.

Iſarion Alexandrinus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4834. Vrb. Cond. 874. Chr. 121.

Ariſteas Mileſius *ſtadio* victor. *Africanus*.

Nicaretus
Paranomus — Athenis Archontes
Dionyſius

Haec tria Eponymorum Archontum nomina ex illuſtri Attico Marmore nuper exſculpſi [1], quod in *Inſcriptionibus Atticis* edidi. Certe Dionyſium in Archontis munere proxime Paranomo ſucceſſiſſe Marmor teſtatur, Nicaretus vero ipſis antiquior aſſeritur; ſed ita tamen ut ille Paranomum proxime praeceſſerit, aut certe paucis omnino annis ipſo antiquior cenſendus ſit.

Quandoquidem vero in Marmore nullus omnino temporis character occurrit, cuius praeſidio horum Archontum aetas arctioribus finibus circumſcribi poſſit, illud unum opportune obſervavi, quod Archontes illi inter Oly. CXVIII. & CCXXVII.

(1) Pag. XXXVII.

& CCXXVII. imperarunt; poſtquam nimirum duae novae Tribus Athenis inſtitutae fuerant, ſed prius tamen quam nova, ac *decima tertia* Tribus *Hadrianis* invecta foret. Characterum forma, aut, ſi quod monumentum aliud in lucem prodiret, definiendae Archontum horum aetati conferre poſſet.

An. $\frac{2}{3}$. Euſebius hoc anno 2. Olympiadis CCXXV. Chr. 122. *Aviola*, & *Panſa* Coſſ. Hadrianum Athenienſibus leges petentibus ex Solonis, & Draconis legibus hauſtas dediſſe memorat, proximoque anno Chr. 123. dum Athenis hiemem ageret, Eleuſiniis Myſteriis initiatum eſſe, pontemque Cephiſo flumini exundanti impoſuiſſe. Perſpicua Euſebii verba opportunius alibi [1] exhibui, ſimulque oſtendi Hieronymum Euſebii interpretem rerum, ac temporum illorum ſeriem perturbaſſe. Itaque longe veriſimilius videtur Hadrianum exeunte anno V. C. 875. Athenas veniſſe, ibique ſequentis anni 876. hiemem exegiſſe; ac leges aliquas edidiſſe. Certe Dio [2] ab Hadriano Caeſare Athenis edita lege cautum fuiſſe dicit, nequis Senator publicorum vectigalium redemptor eſſe poſſet; ac Sponius integram Hadriani legem tunc fortaſſe Athenis editam exſcripſit de oleo ex Atticae finibus exportando. Neque tamen hinc fieri, vel inferri poſſe putaverim quod integram Legum ſeriem Athenienſibus ille praeſcripſerit; multoque minus quod leges illae ex Draconis, & Solonis legibus hauſtae, atque Athenienſibus petentibus editae ſint, ut ſcribit Hieronymus. Quid enim Athenienſes ab Hadriano leges illas petiiſſent, quas a Solone, ceteriſque Legumlatoribus acceperant: perinde quaſi ignotae, vel obliteratae illae forent? Accedit etiam quod Hadriani lex de oleo exportando lata Solonis legi prorſus oppoſita fuit; ac ſeveriores illae Draconis leges, quae iam ſublatae prorſus, & extinctae fuerant, nullibi certe ab Hadriano reſtitutae effingi poſſunt. Ergo Hieronymi verba hoc uno ſenſu intelligi debent, quod nempe Hadrianus Draconis, & Solonis inſtar leges aliquas Athenienſium hortatu edidit; quemadmodum ſane Dion *plures* leges ab illo conſtitutas eſſe teſtatur; idque facilius in-

(1) Tomo II. pag. 110. Vid. Syncell. pag. 277. (2) Lib. LXIX. pag. 358.

intelligi poteſt, ſi characteres ΚΝΘ initio Legis praefixi explicari debeant, ut in *Notis Graecorum* conieci [1] Κεφάλαιον Νόμου Θεοῦ *Caput Legis Divi* Hadriani: ſic enim innueretur alia Legum capita ab Hadriano propoſita fuiſſe.

Interim vero dum Hadrianus Athenis degebat Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Ariſtides Athenienſis Philoſophus Imperatori Libros a ſe conſcriptos obtulerunt, quibus Chriſtianae religionis defenſio continebatur, ut Euſebius [2] ſemel, iterumque teſtatur. Hoc quidem Euſebius in Chronico ad annum 2. Oly. CCXXVI. revocavit. Sed perſpicua temporum ſeries oſtendit id ad hanc CCXXV. ſive ad CCXXVII. Olympiadem referendum eſſe. Certe Hieronymus [3] eodem ipſo tempore id contigiſſe memorat, quo Hadrianus Eleuſine Myſteriis initiatus eſt: *Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Athenienſis Pontifex, Eccleſiae nomine Hadriano Principi Eleuſine Sacra inviſenti Librum pro noſtra Religione tradidit; & tantae admirationi fuit, ut perſecutionem maximam illius excellens ſedaret ingenium*. Itaque quum Hadrianus hac Olympiade Eleuſinam inviſerit, ut ſuperius eſt obſervatum, Quadrati Apologia ad hanc ipſam Olympiadem referri debet.

Illud autem hic opportune obſervandum quod, ſicuti in Demetrii, & Antigoni regis honorem duae novae Tribus, nimirum *Demetrias*, & *Antigonis* inſtitutae, ac decem antiquis adiectae ſunt, iiſque demum ſublatis in Ptolemaei, & Attali regis memoriam *Ptolemaeis*, & *Attalis* ſubſtitutae ſunt; ita quoque in Hadriani Caeſaris amantiſſimi, ac benefici honorem nova, ac *decimatertia* Tribus inſtituta fuit, ut ex Pauſaniae [4] teſtimonio, pluribuſque Atticis Marmoribus demonſtratur. Id vero hac ipſa Olympiade, & hoc eius anno contigiſſe putaverim, quo Athenienſes innumeris beneficiis ab Hadriano Caeſare ornati ſac le memorem, gratumque animum hac etiam ſignificatione teſtari voluerunt. Quae tamen varietas in Prytanum numero, ac Prytaniarum tempore ex hac nova Tribu invecta fuerit, in tanto veterum Scriptorum ſilentio conii-cere, vel definire non poſſumus. Credibile eſt tamen inte-

(1) Pag. 37. (2) In Chron. Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. *Syncellus* pag. 277. (3) Epiſt. ad Magnum. (4) Vid. Tom. I. pag. 121.

tegrum civilis anni ſpatium tredecim in partes tunc dividi coepiſſe; adeoque Prytanias ſingulas 27. dierum fuiſſe.

OLYMPIAS CCXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4838. Vrb. Cond. 878. Chr. 125.

Dionyſius Sameumus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Didas autem Arſinoita in Ludis ipſis *pugilatu* palmam obtinuit; ſed ab Eleis tamen mulctatus fuit, quod cum Garapammone Arſinoita pacta pecunia de victoria pepigiſſet (1).

OLYMPIAS CCXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4842. Vrb. Cond. 882. Chr. 129.

Tiberius Iulius Macer Athenis Archon

Dionyſius Oſameumus, ſive Sameumus Alexandrinus, qui ſuperiori Olympiade *ſtadio* Olympia vicerat, iterum *ſtadii* coronam hac Olympiade reportavit.

Tiberium Iulium Macrum iis temporibus Athenis imperaſſe, quibus a Mileſiis, aliiſque Graeciae, vel Aſiae Populis Aedes, ac Statuae Hadriano Caeſari Athenis excitatae fuerunt, iam alibi (2) demonſtravi; ſimulque obſervavi quod hac Olympiade, vel exeunte ſuperiori contigiſſe id debuit. Itaque ea ſolum de cauſsa, eiuſque tantummodo coniecturae praeſidio *primo* huius Olympiadis anno Tiberii Archontis nomen Faſtis inſcripſi.

Caius Iulius Caſius Stirienſis Athenis Archon.

Lucius Bulaei Equitum Magiſtri filius Athenis Archon.

Duos hoſce Archontes iiſdem fere temporibus imperaſſe iam

(1) Pauſ. Eliac. I. c. 21. (2) Tom. II. pag. 165.

iam demonſtravi (1), ſed utriuſque aetas incerta eſſe debet; licet ambo poſt initum ab Hadriano Imperium dignitatem illam obtinuerint. Illud etiam hic obiter obſervaſſe nunc libet quod in Oxonienſi Marmore XV., quod alibi (2) exhibui, legitur ὑποκοσμητεύοντος Κασίου Ἀπολλωνίου Στειριέως *Sub-Coſmeta Caſio Apollonii filio Stirienſi*; ut proinde facile tum hic *Coſmeta*, tum Eponymus *Archon* ille ad unam eamdemque Familiam ſpectaſſe videantur.

M. Munatius Maximianus Vopiſcus Athenis Archon.

Latinum prorſus huius Archontis nomen oſtendit ipſum Caeſarum aetate Athenis imperaſſe; quamvis ex Marmore iam alibi (3) prolato vera ipſius aetas certis characteribus definiri non poſſit. Itaque duobus aliis Archontibus iam recenſitis ipſum adieci clariora daturus, ſi ex veteribus Monumentis lumen aliquod affulſiſſet.

. . . . . carpus Athenis Archon.

Indicium, quo Archontis huius nomen his temporibus Faſtis inſcribendum conieci, opportunius alibi (4) expoſui.

. . . . us Palleneus Athenis Archon.

Archontem hunc addita iam *Hadrianide* Tribu, adeoque poſt Hadrianum Auguſtum Athenis imperaſſe iam dixi (5); ut proinde ipſius nomen hic Faſtis commodius inſerendum videatur.

Demoſtratus Marathonius Athenis Archon.

Poſt Hadriani Caeſaris aetatem, atque inſtituta iam *Hadrianide* Tribu Demoſtratum hunc imperaſſe opportunius alibi (6) oſtendi. Nunc vero addidiſſe libet Demoſtratum

(1) Tom. II. pag. 171. 177. (2) Ibi pag. 140. (3) Tom. II. pag. 106. (4) Tom. II. pag. 170. (5) Tom. II. pag. 187. (6) Tom. II. pag. 209.

tum ipſum, niſi plurimum fallor, a Philoſtrato (1) quoque memorari. Quum enim in Herodis Marathonii Sophiſtae Vita dixiſſet Philoſtratus quod primores quidam Herodem veluti tyrannidis affectatae reum acerbius exagitarunt, inter alios *Demoſtratum* fuiſſe dicit, qui Herodem ipſum Sirmii coram M. Aurelio Caeſare circa annum V. C. 924. accuſavit. Quandoquidem vero Philoſtratus de Demoſtrato, Mamertino, aliiſque pluribus loquens ait quod illi ἐς τὸ ἀντίξοον τῷ Ἡρώδῃ πολιτεύοντες *in Reipublicae adminiſtratione Herodi contrarii erant*, perſpicue apparet quod Demoſtratus, ac Mamertinus primas in Athenienſi Republica partes obtinebant; ut proinde facile ipſorum uterque ſupremam Archontis Eponymi dignitatem occupaſſe videatur.

An. 3/4. Hadrianus Imperator Athenis Archon DCCCXV.

Iterum Eponymorum Archontum Faſtis Hadriani Caeſaris, ſed iam Auguſti, nomen hoc anno inſerendum eſſe fuſe, atque, ut opinor, accurate iam alibi (2) demonſtravi; quamvis Scaliger, Meurſius, ceterique Faſtorum Scriptores ſemel tantum id muneris ab Hadriano nondum Imperatore ſuſceptum eſſe putaverint.

Interim vero dum Hadrianus Athenis Archontis Eponymi munere fungeretur Dionyſia Feſta celebravit, Agonem edidit, Gymnaſium, & Bibliothecam exſtruxit, Olympieum dedicavit, Cephalleniam Inſulam Athenienſibus conceſſit; aliaque plura ipſis largitus eſt, quae fuſe a variis Scriptoribus (3) memorantur. Philoſtratus (4) autem addit in eiuſmodi Olympiei dedicatione Polemonem diſertiſſimum Sophiſtam Smyrna accitum fuiſſe, qui admirabilem, planeque divinam Orationem habuit. Itaque Hadriani Caeſaris munificentia factum ut Athenae, quae poſt Syllae tempora ſquallore fere obſitae iacere videbantur, priſtinum decus, novamque lucem adeptae reviviſcerent, ut Pauſanias (5) obſervavit.

(1) Vit. Sophiſt. Lib. II. § 8. 11. 13. (2) Tom. II. pag. 106. (3) Spartian. Pauſan. Attic. c. 18. Dio Lib. 69. (4) Philoſtr. Vit. Sophiſt. Libr. I. §. 25. c. 3. (5) Ibi c. 20.

Claudius Heraclides Melitenſis Athenis Archon.

Heraclidem hunc Faſtis Atticis inſerendum eſſe demonſtrat mutilum Marmor, quod alibi (1) ex Sponio iam protuli. Ipſum vero facile ad Hadriani Caeſaris tempora revocandum eſſe indicare videntur voces illae *Titus Aelius Lucius*, quae in Marmore conſpiciuntur; quod nimirum *Titi Aelii* nomen Athenienſi civi a Caeſare fortaſſe conceſſum fuerit.

OLYMPIAS CCXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4846. Vrb. Cond. 886. Chr. 133.

Lucas Alexandrinus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4850. Vrb. Cond. 890. Chr. 137.

Herodes Atticus Marathonius Athenis Archon

Epidaurus, alioque nomine Ammonius Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Herodis Attici nomen hoc anno Faſtis inſcripſi, quod ille ſupremam hanc dignitatem Athenis aliquando obtinuerit, ut pluribus argumentis alibi (2) oſtendi: id vero circa hanc ipſam Olympiadem contigiſſe ex ipſius aetate facile inferri poſſe videtur, quum ille anno 2. Oly. CCXVIII. in lucem editus ſit, adeoque ineunte hac Olympiade *quadragenarius* iam foret.

In hac Olympiade Phlegontis Opus *de Olympiadibus*, quod initio XVI., mox ſolum VIII. Libros complectebatur, deſinebat, ut ex Suida erudimur: *Φλέγων Τραλλιανὸς .. ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ις'. ἔϛι δὲ μέχρι τῆς σκθ' Ὀλυμπιάδος τὰ πραχθέντα πανταχȣ̃· τὰ δὲ αὐτὰ ἐν βιβλίοις ή. Phlegon Trallianus .. ſcripſit Olympiadas Libris XVI. Continent au-*

(1) Tom. II. pag. 196. (2) Tom. II. pag. 115.

autem res ubique terrarum geſtas uſque ad Olympiadem CC-XXIX. Easdem etiam VIII. Libris expoſuit.

Ad haec ipſa tempora magnificum opus illud referri facile poterit, quod Herodes ipſe exſtruendum curavit; integrum nempe ſtadium, quod ſecto marmore effictum & ornatum fuit, ut a Philoſtrato (1), ac Pauſania (2) erudimur. Eiuſmodi vero ſtadium *Panathenaicum* vocatum fuit, quod in ipſo in magnis Panathenaeis Spectacula ederentur. Ac Philoſtratus quidem opus illud ab Herode ante Regillae uxoris mortem ſuſceptum fuiſſe ſubindicat; ideoque ante annum V. C. 913.; quum Odeum poſt Regillae mortem conſtruxerit, ut teſtatur Pauſanias (3). Herodes autem ipſe anno V. C. 896. Romae conſulatum obtinuit, ac Regillae defunctae inſigne monumentum excitavit. Integrum ipſius nomen, ut in Conſulum Faſtis exprimitur, fuit *Tiberius Claudius Atticus Marathonius*.

An. $\frac{2}{3}$. Ad hunc Olympiadis huiuſce annum revocandum eſt procul dubio inſigne Marmor, quod Florentiae in Riccardiorum Aedibus, licet aliqua ex parte vitiatum, minuſque accurate diſpoſitum, adhuc conſpicitur. Dum opportunius alibi (4) ignotam hactenus Tribuum Athenienſium ſeriem partim ex Scriptoribus, partim etiam ex ſuperſtitibus, atque ad eam diem vulgatis Marmoribus in lucem efferrem, Marmor ipſum exhibui; eiuſque partes, aut Tabulas tres quibus componitur, tum Athenis, tum etiam in antiquioribus Riccardiorum Aedibus ad Vrbis pomoeria alio prorſus ordine collocatas olim fuiſſe demonſtravi; ut ea nimirum tabula, quae modo ſiniſtram partem occupat dextra foret; ea viciſſim quae modo dextra conſpicitur, ſiniſtra fuerit. Quod tunc argumentis aliis oſtenderam, id nunc magis perſpicuo certoque monumento aſſerere, vel confirmare poſſum, autographo nempe exemplo, quod 130. ab hinc annis Cl. Donius accuratiſſime exſcripſit, ubi Graecas, latinaſque Inſcriptiones *in Hortis Riccardianis*, ut ille ait, collocatas in Schedas, atque Adverſaria ſua referret. Quin etiam Salvinus ipſe Graecam hanc, aliaſque plures Inſcriptiones in Hortis illis exſcribens

(1) Vit. Sophiſt. Libr. II. num. 1. c. 5. (2) Attic. c. 19. (3) Achaic. c. 20. (4) Tom. I. pag. 170.

bens eam non alio prorſus ordine expreſſit, quam qui in Donii, & Salvinii Schedis apparet, quas Cl. Gorius mihi legendas & exſcribendas humaniter conceſſit. Itaque dubitari non poterit, quin in Hortis Riccardianis tres Marmoris huius tabulae eo prorſus ordine collocatae forent, quem argumentis aliis innixus conſtitueram. Neque vero ſuſpicari licet Monumentum hoc *turriculam* quadratam fuiſſe, in cuius anteriori facie ea Tabula, quae nunc media eſt, reperiretur; in ſiniſtra foret ea, quae Erechtheidem, aliaſque Tribus complectitur; in averſa vero vel poſteriori turriculae facie altera exſtaret, quae modo interciderit, ac Tribus hic omiſſas complexa fuerit; in dextra denique, ac ultima facie ea Tabula reperiretur, quae Cecropidem, aliaſque Tribus continet, & modo dextram partem occupat. Etenim obſervari plurimum velim quod, quum hiatus ille, qui in dextrae Tabulae fine irrepſit, in ſiniſtrae quoque fine procul dubio irrepſerit; immerito prorſus poſterior, vel intermedia Tabula effingeretur, in qua intermediae Tribus inſcriptae forent. Ergo non alia Tabularum ſeries, non alius Tribuum ordo effingi poteſt, quam qui ex Tabulis rite reſtitutis oriri debet, & Marmoribus aliis nunc a me primum in lucem editis mirifice confirmatur. Marmoris ipſius exemplar ex Donii Schedis accuratiſſime expreſſum apud me reperitur; eiuſque praeſidio errorem, quem Montfauconii, & Gorii fidem ſequutus imprudens olim admiſi, opportune corrigere, atque inſigne Atticae Chronologiae caput illuſtrare poſſum.

Ex eo enim perſpicue apparet, quod in 3. Epigraphes verſu, ubi (1) Montfauconius, & Gorius legerat ΤΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ, legi debet ΣΕΒΑΣΤΟΥ; in quarto vero & quinto legendum

4 ΕΤΟΥΣ ΑΠΟ ΤΗΣ ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΠΡΩ

5 ΤΗΣ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΣ ΕΠΙΔΗΜΙΑΣ

ut nempe exprimatur Monumentum illud excitatum fuiſſe *viceſimo ſeptimo anno a primo Divi Hadriani Athenas adventu*. Ergo nunc primum pulcherrimo hoc Marmore erudimur quod Athenienſes novam quamdam Epocham invexerunt, in qua civiles anni a primo Hadriani ſuam in Vrbem adventu veluti cardine numerarentur; ideoque, quum primus Hadria-

(1) Vid. Tom. I. pag. 170.

driani adventus in Vrbem illam inciderit in annum 4. Olymp. CCXXII. V. C. 865. Chr. 112. ac fortaſſe quoque in Boëdromionem menſem, ut alibi (1) oſtendi, *viceſimus ſeptimus* annus ab hoc *primo adventu* numeratus incideret in annum 3 Olymp. CCXXIX. V. C. 892. Chr. 139. quo *primus* T. Aelii Hadriani Antonini in imperio annus agebatur.

Quamvis autem, ſi unicum Marmor iſtud exceperis, nullum omnino eius Aerae veſtigium in Monimentis aliis appareat, facile tamen hic novae ab adventu Caeſarum inſtitutae Aerae mos exemplis aliis illuſtrari, probarique poteſt. Ita Suetonius (2) in Auguſti Vita memorat, quod *quaedam Italiae Civitates diem, quo primum ad ſe veniſſet, initium anni fecerunt*. Ita quoque Noriſius (3) ex Gazenſium Nummis optime coniecit quod *Gazenſes novae Aerae initium ab adventu Hadriani Gazam coepiſſe videntur*. Certe in quodam Gazenſium Nummo legitur Γ. ΕΠΙ. ΒϘΡ., in alio Δ. ΕΠΙ. ΓϘΡ. in alio Ε. ΕΠΙ. ΔϘΡ. Poſtremis notis illis certiſſime exprimitur annus 192 193. 194. in Gazenſium Aera numeratus, quae ut optime Noriſius ipſe demonſtrat, incoepit a die 28 Octob. anno V. C. 693, ideoque Nummi illi cuſi ſunt anno V. C. 884. 885 886. Quum vero Hadrianus Auguſtus labente anno Gazenſium 190., qui Octobri menſe anni V. C. 883. compleri debebat, Gazam advenerit, characteres alii Γ. Δ. Ε. annos ab Hadriani adventu in nova Gazenſium Aera numeratos indicabunt. Haec ingenioſe quidem, feliciterque Noriſius; qui tamen haerere, ac ignorare ſe dicit quid vocula ΕΠΙ numeralibus notis interiecta ſignificetur; tandemque arbitratur illam aliud, quam praepoſitionem eſſe, qua exprimatur Nummos illos ἐπὶ τοῦ ἔτους *anno* 192. vel 193. vel 194. cuſos fuiſſe. Ego vero vocem illam compendium, aut Siglam eſſe ſuſpicor, qua exprimatur ΕΠΙΔΗΜΙΑ, hoc eſt Hadriani *adventus*, ex quo nova Aera ducebatur; ut ſenſus nimirum ſit, Nummum illum cuſum fuiſſe anno 3. ab *adventu*, veteris autem Aerae 192.

Sic in Perinthiorum Nummo (4) in honorem Septimii Severi percuſſo legitur ΕΠΙΔΗΜΙΑ Β. *Adventus II.*; ſicuti in

(1) Tomo II. pag. 403. (2) In Auguſt. c. 19. (3) De Anno & Epoch. pag. 422. (4) Vaill. pag. 86.

in Philippi Auguſti Nummo [1] Epheſi cuſo habetur ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ Α *Adnavigatio I.*

Quum tamen in Marmoribus aliis, quae vel Antonini, vel inſequentium Caeſarum aetate Athenis excitata ſunt, nullus prorſus Aerae huius uſus occurrat, ſuſpicari facile poſſumus hanc Aeram, vel exprimendi temporis morem aut non publice receptum, aut non diu uſurpatum fuiſſe; quod de alia quoque Aera a Iuliani Caeſaris initio ducta ad Olymp. CCCXVI. obſervabitur.

OLYMPIAS CCXXX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4854. Vrb. Cond. 894. Chr. 141.

Didymus Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Tiberius Claudius Soſpis Athenis Archon.

Sola nominis affinitas ambiguo ſane, leviſſimoque indicio eſſe poterat quod *Tiberius Claudius Soſpis*, quem Faſtis Atticis inſerendum eſſe iam monui [2], Tiberii Claudii Caeſaris temporibus imperaverit. Itaque quum ipſius aetas, ac ſitus plane incompertus ſit, hoc loco ceteris adiungi ille poterat. Quum tamen *Soſpidis* cuiusdam mentionem apud Philoſtratum (3) invenerim, qui Eloquentiae, ac Philoſophiae laude Athenis M. Aurelii Caeſaris aetate floruit, atque a Philoſtrato fuiſſe dicitur *ὁ ἐπὶ βώμῳ Cereris Eleuſiniae arae praefectus*, non plurimum fortaſſe fallar, ſi hunc ipſum Soſpidem in Marmore memoratum cum Philoſtrati Soſpide confundendum, adeoque ad hanc Olympiadem revocandum eſſe coniecerim.

OLYMPIAS CCXXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4858. Vrb. Cond. 898. Chr. 145.

Cra-

(5) Ibi pag. 162. (2) Tom. II, Pag. 169. (3) Vit. Sophiſt. Libr. II. §. XI. numer. 1.

Cranaus Sicyonius *ſtadio* victor. *Africanus* .

A Pauſania (1) quoque victor hic memoratur, ſed *Granianus* vocatur .

OLYMPIAS CCXXXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4862. Vrb. Cond. 902. Chr. 149.

Atticus Sardianus *ſtadio* victor. *Africanus* .

Africanus ipſe ad Olympiadem hanc adnotavit Σωκράτης πάλην κ̀ παγκράτιον ἀπογραψάμενος ὑπὸ Ἠλείων, παρεβραβεύθη ὑπὸ Διονυσίου Σελευκέως *Socrates lucta & pancratio* victor *excluſus* eſt *ab Eleis* , *corona privatus a Dionyſio Seleucienſi* . Idem prorſus in Graecis Collectaneis legitur, quae Scaliger (2) Africani textui ſubiecit, additurque victorem illum *nonum* ab Hercule numerari. Ego vero ſuſpicor ne Dionyſio quidem Seleucienſi veram victoriae laudem ab Eleis tributam eſſe. Siquidem Pauſanias (3), qui nitide diſerteque tradit ſe *Eliaca priora* ſcripſiſſe anno 217. poſt Coloniam Corinthum deductam, adeoque anno Vrb. Con. 927. ſive 2. Olymp. CCXXXVIII. ubi de Stratonis Alexandrini victoria *lucta & pancratio* parta diſſerit, ait poſt illum *tres* ſolum eo certaminis genere viciſſe, nimirum Marionem, Ariſteam, & Nicoſtratum, qui Olymp. CCIV. palmam illam obtinuit. Ergo in Eleorum monumentis neque Socratis, neque Dionyſii victoria Olymp. CCXXXII. parta recenſita fuit, alioquin Pauſanias ipſam ex monumentis illis, quae viderat, ac ſaepe laudaverat, exſcripſiſſet.

OLYMPIAS CCXXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4866. Vrb. Cond. 906. Chr. 153.

Demetrius Chius *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

(1) Corinth. c. 4. (2) Pag. 354. (3) Eliac. I. car. 21.

OLYMPIAS CCXXXIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4870. Vrb. Cond. 910. Chr. 157.

Heras Chius *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4874. Vrb. Cond. 914. Chr. 161.

Mnaſibulus Erateus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano. Pauſanias [1] tamen ipſum *Mneſibulum Elateum* appellat, eumque *ſcuto armatum diauli* victoriam retuliſſe dicit.

Hac ipſa Elidenſium Olympiade Ludos Olympicos Alexandriae inſtitutos eſſe putavit Dodvellus [2] quod in Gruteriano Marmore 240. Eleorum Olympias cum ſexta Alexandrinorum Olympiade committatur. At eximius Auctor ille admirabilis alioquin ſolertiae a Gruteriani Marmoris [3] ſenſu profecto aberrat. Etenim, quam in illo perſpicue diſerteque dictum foret quod M. Aurelius Aſclepiades, alioque nomine Hermodorus Alexandrinus Ὀλύμπια τὰ ἐν Πίσῃ CM Ὀλυμπιάδι *Olympia Piſae CCXL. Olympiade* vicerat; tum memoratis certaminibus, ac victoriis aliis ſubditur ἀθλήσας τὰ πάντα ἔτη ἕξ, παυσάμενος τῆς ἀθλήσεως ἐτῶν ΚΕ. ϗ μετὰ τὸ παύσασθαι μετὰ πλείονα χρόνον ἀναγκασθεὶς ἐν τῇ πατρίδι Ἀλεξανδρίᾳ, ϗ νικήσας Ὀλύμπια παγκράτιον Ὀλυμπιάδι ἕκτῃ *qui certavit in univerſum annos ſex, deſtititque a palaeſtra annos natus* 25. *& poſtquam deſtitiſſet, poſt multum temporis* certare *coactus in patria Alexandria, vicit Olympia pancratio Olympiade ſexta*. Itaque ex integra Marmoris ſerie perſpicue apparet quod inter Elidenſium Olympiadem CCXL. & VI. Alexandrinorum *multum temporis* interceſſit, quo Aurelius Aſclepiades a palaeſtra abſtinuit; ideoque *ſexta* Olympias illa, qua coactus iterum in arenam deſcendit, in Olympiadem CCXXXX. incidere non potuit, ſed pluribus annis illa poſterior fuit. Ergo Alexandrinarum Olympiadum inſtitutio non ad Oly. CCXXXV. cum Dodvello referri, ſed ad Olympiadem CCXXXVIII.

(1) Phoc. c. 34. (2) Diſſert. De Cyclis pag. 761. (3) Gruter. pag. 314.

CCXXXVIII. aut CCXL. veriſimilius revocari debebit. Ita quoque doctiſſimi viri Petri Fabri [1] error hic obiter corrigendus, qui aſſerit Aſclepiadem *intermiſiſſe ipſam artem athleticam quum iam 25. annos attigiſſet, per totos ſex annos*. Siquidem in Marmore perſpicue legitur illum *ſex* quidem annis certaſſe, ſed alio tamen nobis incognito, ac longiori fortaſſe, tempore quieviſſe. Niſi vero plurimum fallor, Aurelius ipſe Romae quoque *pancratio ſimulque lucta* palmam obtinuit. Etenim Africanus, vel Graecus Scriptor Africano ſubiectus poſt Olympionicarum ſeriem *decem* illos memorans, qui *pancratio*, & *lucta*, Herculis inſtar, vicerunt, poſtremo loco ait [2] Αὐρήλιος ἐπὶ Σεβήρȣ μόνος ἐν τοῖς κατὰ Ῥώμην ἀγῶσι πάλην ὁμȣ̃, ϗ παγκράτιον ἐνίκησεν *Aurelius ſub Severo ſolus in Certaminibus Romae actis luctam ſimul & pancratium vicit*. Itaque quum Severus anno 3. Olymp. CCXLIV. magnificos Ludos Romae ediderit, facile in Ludis illis Aurelius palmam reportavit. Certe Aurelium ipſum Romam veniſſe ex Gruteriano Marmore perſpicue erudimur. Itaque, licet in Athleticis Inſcriptionibus a Falconerio collectis M. Aurelius Demoſtratus Sardianus memoretur, qui *pancratiaſta*, & *pugilatu bis Victor* vocatur, fortaſſe tamen, ab Africano M. Aurelius Aſclepiades indicatur. Ab Africano quidem Aurelius ille Romae victor mox Ἕλιξ vocatur; ſed facile id nominis Aurelio cognomenti inſtar inditum fuit, quod in pleriſque Athletis aliis factum conſpicimus.

An. $\frac{1}{2}$. Secundo huius Olympiadis anno ſcribit Euſebius quod Λέκιος Καῖσαρ ἱερȣργῶν ἐν Ἀθήναις εἶδε πῦρ ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολὴν κατ᾽ ȣ̉ρανὸν φερόμενον *Lucius Caeſar Athenis ſacra faciens ignem ab occaſu verſus orientem in caelo ferri conſpexit*. Eadem prorſus exſcripſit Syncellus [3]; niſi quod pro φερόμενον legit φαινόμενον. Ac certe quidem hoc anno L. Aelius Verus Caeſar a M. Aurelio Auguſto adverſus Vologeſem Parthorum regem miſſus fuit; tandemque confecto feliciter bello anno 2. ſequentis Olympiadis de iis triumphavit [4].

(1) Agoniſt. Lib. III. car. 12. (2) Pag. 354. (3) Pag. 280. (4) Capitolin.

OLYMPIAS CCXXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4878. Vrb. Cond. 918. Chr. 165.

Tiberius . . . . Ponticus Beſaeenſis Athenis Archon.

Acithales Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

In Olympiis hiſce Peregrinus Philoſophus, quum rogum conſtruxiſſet, ſubiectoque igne incendiſſet in ipſum proſiliens ſeipſum combuſſit, ut accurate deſcribit Lucianus [1] Samoſatenus, qui ſpectaculo interfuit. Itaque corrigendus Euſebius, qui hoc ad annum Chr. 168. revocavit.

Marmor in ipſo tituli exordio mutilum, ex quo Archontis Tiberii nomen exculpſi, in Inſcriptionibus Atticis [2] iam protuli, ac opportune illuſtravi; quemadmodum alibi [3] ex coniecturis quibusdam deduxi Archontem illum facile ad hanc ipſam fortaſſe ineuntem Olympiadem eſſe referendum.

Illud autem hic obiter obſervari velim quod proximo poſt hunc *Tiberium* Archontem anno Athenis *Anarchia* fuiſſe videretur, adeoque nemo velut Archon Eponymus imperaſſet. Etenim in alio Marmore legitur ΕΠΙ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΤΕ . . . ΝΙΟΝ ΠΟΝΤΙΚΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ ΕΝΙΑΥΤΟΥ *anno poſt Te . . . . nium Ponticum Archontem*, quod aperte ſatis oſtenderet neminem Tiberio Pontico proxime ſucceſſiſse; alioquin in Marmore non ſuperioris, ſed imperantis potius Archontis nomen inſcriptum foret. Verum in eodem ille Marmore [4] perſpicue mox dicitur eo anno poſt *Tiberium* Archontis Eponymi munus a Theopompo Thalami filio Paeanienſi ſuſceptum fuiſſe. Itaque Olymp. CCXXXVI.

An. $\frac{1}{2}$. Theopompus Thalami filius Paeanienſis Athenis Archon . . . fuit [5].

An. $\frac{2}{3}$. M. Valerius Mamertinus Marathonius Athenis Archon . . .

Ipſe

(1) Dial. de morte Peregr. Euſeb. in Chron. Vide Gell. Lib. XII. c. 11. (2) Pag. XXII. (3) Pag. XXXIII. (4) Vid. Tom. II. pag. 199. (5) Faſt. Att. Tom. II. pag. 199.

Ipſe omnium primus Archontis huius nomen ex Attico Marmore exſculpſi, quod in *Inſcriptionibus Atticis* edidi, ac illuſtravi [1]. Ipſum vero facile a Philoſtrato quoque memorari ad Olympiadem CCXXVI. conieci, ubi de Demoſtrato Archonte agebatur.

An. $\frac{3}{4}$. Hiceſius Theogenis filius Sphettius Athenis Archon . . .

Huius etiam Archontis nomen, ac ſitum ex *Atticis Inſcriptionibus* in lucem protuli ac demonſtravi [2].

Philotimus Arceſidemi filius Eleuſius Athenis Archon . . . .

Proxime poſt Hiceſium Archontem Philotimum hunc ſucceſſiſſe non obſcuris, opinor, indiciis alibi demonſtravi [3].

OLYMPIAS CCXXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4882. Vrb. Cond. 922. Chr. 169.

Eudaemon Alexandrinus *ſtadio* victor. *Africanus*.

An. $\frac{3}{4}$. Hoc Anno Athenis graviſſima controverſia inter Herodem Atticum Marathonium, ceteroſque cives exarſit, qui ſe, publicamque Civitatis libertatem ab Herodis potentia, ac immenſis opibus premi querebantur. Cauſſa coram M. Aurelio Caeſare Sirmii in Pannonia agitata fuit; quumque Demoſtratus Athenienſium Legatus Fauſtinae etiam Auguſtae patrocinio fretus Imperatoris animum in Athenienſes flexiſſet, Herodes Caeſari, patriaeque iratus Athenas rediit, vitamque Marathone exegit. Vbi vero e vivis exceſſit ſplendida, ac magnifica funeris pompa decoratus fuit [4].

OLYM-

(1) Pag. XXVII. & Faſt. Attic. Tom. II. pag. 204. (2) Pag. XXXV. (3) Inſcript. Attic. pag. XXXIV. Faſt. Attic. Tomo II. pag. 182. (4) Philoſtr. in Vit. Sophiſt. Lib. II. num. 1. c. 6.

OLYMPIAS CCXXXVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4886. Vrb. Cond. 926. Chr. 173.

Agathopus Apinites *ſtadio* victor. *Africanus*.

Scaliger in Africani textu pro Ἀπινίτης legendum aſſerit Αἰγινήτης; nihil tamen ipſe mutaverim. Etenim *Apina* Dauniorum urbs in Italia a Plinio memoratur; quemadmodum Plinius ipſe *Apyren* urbem in Lycia collavit. Itaque facile victor ille ad alterutram ex Vrbibus hiſce referri poteſt; leviorique mutatione Africani textus reſtitui.

OLYMPIAS CCXXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4890. Vrb. Cond. 930. Chr. 177.

Agathopus Apinites, qui ſuperiori Olympiade *ſtadio* vicerat, eamdem illam *ſtadii* palmam hac Olympiade reportavit ex Africano.

Hoc autem anno M. Aurelius Auguſtus plurimas Orientis Provincias inviſens Smyrnae Ariſtidem Rhetorem perorantem audivit (1). Mox Athenas ingreſſus Myſteriis, quod diu, vehementerque optaverat, initiatus eſt. Plurima Athenienſibus conceſſit, Artiumque ac Scientiarum omnium Profeſſores annuo cenſu ipſis aſſignato inſtituit (2), qua de cauſſa Ariſtides (3) Athenas, univerſamque Graeciam novis honoribus, noviſque doctrinarum praeſidiis a M. Aurelio ornatas, & evectas eſſe teſtatur.

Hac ipſa vero Olympiade ineunte Athenagoras Athenienſis Philoſophus Chriſtianus Legationem ad Auguſtos ſuſcepit, ut Chriſtiani dogmatis ſanctitatem exponeret, atque Ethnicorum ſaevitiam adverſus Chriſtianos leniret. Certe in antiquis Codicibus omnibus *M. Aurelii Antonini*, & *L. Commodi* Auguſtorum nomen *Apologiae* praefixum conſpi-

(1) Philoſtr. in Vit. Sophiſt. (2) Dion. Libr. LXXI. Vid. Philoſtr. Vit. Sophiſt. Lib. II. c. 2. & Lucian. in Eunucho. (3) Orat. IX.

ſpicitur; adeoque quum Commodus 4. ſuperioris Olympiadis anno imperium ſuſceperit, Aurelius vero 4. hūius Oly. obierit; Apologia ipſa aliquo ex huius Olympiadis annis oblata fuit (1).

OLYMPIAS CCXL.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4894. Vrb. Cond. 934. Chr. 181.

M. Aurelius Lithophorus Proſdectus Piſtocratis filius Cephalenſis Athenis Archon.

Anubi, alioque nomine Phidus Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

M. Aurelius Aſclepiades & ipſe Alexandrinus Demetrii filius *pancratio* in Ludis ipſis palmam obtinuit ex Gruteri Marmore pag. 314, de quo in Olymp. CCXXXV. diſſerui. Quamvis autem alibi ambiguum plane eſſe dixerim (2) an M. Aurelius hic Eponymorum Archontum Faſtis inſeri poſſit, ipſius tamen nomen diſſimulandum eſſe non duxi; quemadmodum, licet eius aetas incerta ſit, ipſum tamen M. Aurelii Caeſaris aetate vixiſſe nomen indicare videtur; eum autem ab Imperatore Commodo obita legatione Romanae Civitatis iure donatum fuiſſe perſpicue Marmor oſtendit. Itaque, quum defuncto M. Aurelio exeunte ſuperiori Olympiade Commodus imperium ſuſceperit, facile hic Lithophorus tunc legationem Romam ſuſcepit; ideoque commodius Archontis dignitas ipſi collata ad 1. huius Olympiadis annum referri poterit.

OLYMPIAS CCXLI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4898. Vrb. Cond. 938. Chr. 185.

Hero Alexandrinus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYM-

(1) Vid. Fabric. Bibl. Graec. Tom. V. pag. 86. (2) Tom. II. pag. 211.

OLYMPIAS CCXLII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4902. Vrb. Cond. 492. Chr. 189.

Magnes Cyrenaeus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXLIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4906. Vrb. Cond. 946. Chr. 193.

Iſidorus Alexandrinus *ſtadio* victoriam obtinuit.

Hoc anno, quum Septimius Severus imperium adeptus eſſet, Athenienſium privilegia imminuit, quod ab iis olim iniuriis affectus foret, ut teſtatur Spartianus: *Athenas petiit ſtudiorum Sacrorum cauſſa, & operum, ac vetuſtatum; ubi, quum iniurias quasdam ab Athenienſibus pertuliſſet, inimicus his factus, minuendo eorum privilegia ſe ultus eſt*. Ac certe quidem honores, libertatem, ac privilegia a Severo imminuta ſolum, non omnino erepta fuiſſe, perſpicue ex eo apparet quod adhuc in iis Senatus, Magiſtratus alii, atque Eponymus Archon eligeretur, ut inferius patebit.

An. $\frac{3}{4}$. Tertio huius Olympiadis anno CXCV. Pythias celebrata fuit, in qua Clemens Byzantius *Tragoedia* victoriam obtinuit. Quamvis enim tunc Byzantium a Severi Auguſti militibus obſideretur, adeoque Iudices alii coronam a Clemente partam ipſi concedere non auderent, ne ſcilicet eius Vrbis civem honorare viderentur, quae Romanis adverſabatur, Hippodromus tamen Sophiſta Ludorum Praefectus coronam victori concedendam eſſe pronunciavit (1).

OLYM-

(1) Philoſtr. Vit. Sophiſt. Lib. II. num. 27. c. 2.

OLYMPIAS CCXLIV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4910. Vrb. Cond. 950. Chr. 197.

. . . . Protus Athenis Archon DCCCLXXX.

Iſidorus Alexandrinus iterum *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Mutilum, ac incertum Archontis Eponymi nomen ex Marmore exculpſi, quod opportune iam alibi exhibui (1); ſimulque coniecturam adieci, cuius praeſidio Archon huic 1. Olympiadis huius anno Faſtis inſcribi poſſit.

OLYMPIAS CCXLV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4914. Vrb. Cond. 954. Chr. 201.

Apollonius Athenis Archon.

Alexander Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia ex Africano.

Apollonium hunc, quem *primo* huius Olympiadis anno Faſtis inſcripſi, Archontis Eponymi dignitatem Athenis occupaſſe, perſpicuo Philoſtrati teſtimonio iam demonſtravi (2): quemadmodum is iampridem a Meurſio (3) inter Archontes, ſed incertae tamen aetatis, recenſitus fuerat; ut proinde Veislingius hunc a Meurſio praeteritum fuiſſe dixerit (4).

Philoſtratus autem ille, qui huius Archontis nomen nobis conſervavit, quamvis in Inſula Lemno natus eſſet; ab Euſebio (5) tamen, Syncello, aliiſque pluribus Athenienſis vocatur, quod Athenienſis civitatis iure donatus Oratoriam Athenis primum, mox etiam Romae docuerit. Severi Caeſaris aetate maxime is floruit, & Iuliae eius coniugi eruditae feminae carus fuit (6): eaque defuncta anno

(1) Tom. II. pag. 161. (2) Tom. II. pag. 115. (3) De Arch. Ath. Lib. IV. c. 20. (4) In Praefat. ad Leg. Attic. Petiti. (5) Adver. Hierocl. (6) Vid. Vit. Sophiſt. Lib. II. c. 24.

V. C. 970 ipſe uſque ad Philippi Caeſaris aetatem ſuperſtes fuit, qui anno V. C. 997. imperium ſuſcepit.

OLYMPIAS CCXLVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4918. Vrb. Cond. 958. Chr. 205.

Epinicius, vel Cynas Cyzicenus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXLVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4922. Vrb. Cond. 962. Chr. 209.

Satornilus Cretenſis Gortynius *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCXLVIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4926. Vrb. Cond. 966. Chr. 213.

Heliodorus, alioque nomine Troſidamas Alexandrinus *ſtadio* victor. *Africanus*.

OLYMPIAS CCIL.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4930. Vrb. Cond. 970. Chr. 217.

Heliodorus, qui ſuperiori Olympiade palmam retulerat, hac ipſa quoque *ſtadio* victor fuit ex Africano, qui *Stadionicarum* ſeriem ad hanc uſque Olympiadem perduxit. Siquidem is Opus ſuum abſolvit anno 4. ſuperioris Olympiadis, nimirum *Grato*, & *Seleuco Conſulibus*; quamvis ille Conſulum horum nomina minime expreſſerit. Itaque, quum in Africani textu, vel ſerie nullum alium Olympiorum victorem reperiſſet Euſebius, poſt Heliodori nomen, ſive Olymp. CIL. ſubdit μέχρι τούτου τὴν τῶν Ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴν ἕυρομεν *uſque ad hunc Olympiadum recen-*

conſionem invenimus, perinde quaſi poſt Olympiadem illam nullae deinceps aut celebratae, aut recenſitae fuerint; quum tamen perſpicuum, certumque ſit Olympiadas adhuc alias, earumque victores a Veteribus memoratos fuiſſe. Id optime profecto viderat antiquus Scriptor ille (1), qui ſeriem ab Euſebio contextam in compendium redigens, poſt ſuperiora Euſebii verba ſubiecit: Καὶ ὁ μὲν Εὐσέβιος ταῦτα. Ἄλλοι δὲ Χρονογράφοι, ϗ Δέξιππος ὁ Ἀθηναῖος ϗ τῶν ἐφεξῆς Ὀλυμπιάδων, τῶν τε ἐν αὐταῖς νικησάντων μέμνηται. Ἀμέλει τὴν Χρονικὴν Ἱστορίαν ὁ Δέξιππος μέχρι διακοσιοστῆς ἑξηκοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος συγγράψας Διονύσιον Ἀλεξανδρέα φησὶν ἐπὶ ταύτης νικῆσαι *& Euſebius quidem haec ſcripſit. Alii vero Chronographi, atque inter hos Dexippus Athenienſis inſequentium quoque Olympiadum, ac eorum, qui in eis vicerunt, meminere. Deducit vero Dexippus Hiſtoriam uſque ad Olympiadem CCLXII., ſcribitque Dionyſium Alexandrinum ea viciſſe.* Ceterum, ut id obiter obſervetur, Dexippi illius, de quo iterum mentio in Olymp. CCLXII. eſt reditura, hiſtoria ab Eunapio Sardiano uſque ad Honorii, & Arcadii tempora perducta fuit, ut a Photio (2) erudimur.

OLYMPIAS CCL.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4934. Vrb. Cond. 974. Chr. 221.

Philinus Athenis Archon DCCCCIV.

Philinus ille, qui hoc anno Eponymi Archontis munere Athenis functus eſt, ab Euſebio memoratur. Quum enim dixiſſet Athenis poſt reges Archontes annuos inſtitui coepiſſe, eorumque primum fuiſſe Creontem, ſubdit: ἀφ' οὗ ἐπὶ τὴν διακοσιοστὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα Ἄρχοντες ἐννακόσιοι ϗ τρεῖς μέχρι Φιλίνου. καθ' ὃν ὑπάτευον Ῥωμαίων Γρᾶτος Σαβινιανὸς, ϗ Σέλευκος *a quo ad Olympiadem uſque CCL. &* Archontem *Philinum tres ac nongenti Archontes fuerunt; cuius* Archontis *anno Conſules Romae erant Gratus Sabinianus, & Seleucus.* Ac certe quidem prior Conſul, quamvis alicubi *Annius Gratus* vocetur, in Faſtis tamen Floren-

(1) Vide Scalig. Theſ. Temp. pag. 266. (2) Cod. 77.

rentinis, atque in Dionis Fragmento *Sabinianus* dicitur; & facile cum *Severiani* nomine confundi poteſt, quod in Syncello, & Zonara occurrit.

Poſt hanc Olympiadem non modo Olympionicarum ſeries nos deſerit; ſed ipſa quoque Archontum Athenienſium nomina rariſſima occurrunt; pauca quoque ſparſim in Attica hiſtoria memorantur, quae ad Faſtos Atticos commode referri poſſe videantur. Itaque perennem Olympiadum ſeriem hic abrumpemus, & quaecumque digna ſunt quae in Faſtis Atticis recenſeantur, ſervato ſolum temporis ordine deinceps complectemur.

OLYMPIAS CCLIX.

An. $\frac{3}{4}$. Per. Iul. 4970. Vrb. Cond. 1010. Chr. 257.

M. Vlpius Eubiotus Athenis Archon.

Coniecturas omnes, ac indicia, ex quibus hic Archon Eponymorum Faſtis facilius hoc anno inſcribi poſſit, opportunius alibi expoſui [1]. Nunc obiter addidiſſe libet quod compendium illud in Attico Marmore exaratum ΛΕΤΡΟΝΓΑΓΗ . . . ita legendum, & explicandum erit ΛΕΤ. ΤΙΟΝ. ΓΑΛΗΡΙΑ, ideſt *Leucii*, vel *Lucii Filium Galeria* Tribu, ut in *Notis Graecorum* fuſius expoſui.

Hoc autem anno 2. huius Olympiadis, quum Romanum Imperium a Barbaris ubique vexatum, ac diſcerptum foret [2], *ταραχαῖς ἡ Ἕλλας ἐξετάζετο πᾶσα, καὶ Ἀθηναῖοι μὲν τοῦ τεῖχους ἐπεμελοῦντο, μηδεμίας ἐξότε Σύλλας τοῦτο διέφθειρεν, ἀξιωθέντος φροντίδος tumultibus Graecia univerſa commota eſt, & Athenienſes quidem inſtaurarunt murum, nulla, poſtquam a Sylla fuerat diſiectus, cura renovatum*. Idem prorſus totidem fere verbis a Zonara [3] memoratur.

Duobus tamen abhinc annis, quum Gallienus ſolus imperio potiretur, Athenae a Barbaris occupatae ſunt, ut Zoſimus ipſe teſtatur; quamvis id primo Claudii anno contigiſſe, ideſt 4. Olymp. CCLXI. Cedrenus, & Zonaras tradiderint.

OLYM-

(1) Tom. II. pag. 157. (2) Zoſim. Lib. I. (3) Annal. XI.

OLYMPIAS CCLXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4978. Vrb. Cond. 1018. Chr. 265.

Gallienus Imperator Athenis Archon DCCCCXLVIII.

Gallienum Auguſtum eodem ipſo anno, quo a militibus Imperator electus fuit, ſupremam Archontis Eponymi dignitatem Athenis geſſiſſe teſtatur Trebellius [1]. *Quum ſibi milites dignum principem quaererent, Gallienus apud Athenas Archon erat, vanitate illa, qua & civis adſcribi deſiderabat, & ſacris omnibus intereſſe*. Id vero *Gallieno*, & *Saturnino Coſſ.* contigiſſe ſcribit Trebellius, quod in ſuperiorem annum incideret. Libentius tamen ipſius nomen Faſtis inſcripſi hoc civili Romanorum anno, qui poſtremam 4. Olympici partem complectebatur. Illud autem hic obiter obſervandum, quod Gallienus ipſe, Trebellio teſte, *Areopagitarum cupiebat ingeri numero contempta prope Republica*: quod argumento eſſe debet iis etiam temporibus Senatus eius dignitatem adhuc incolumem perſtitiſſe; quamvis Meurſius illum a Veſpaſiano Caeſare ſublatum eſſe putaverit [2].

An. $\frac{2}{3}$. Huius Olympiadis anno 3. Barbari, qui Athenas, reliquamque Graeciam occupaverant, inde pulſi ſunt, ut Zonaras teſtatur [3]: Κλεόδημος Ἀθηναῖος ἀνὴρ διαδράναι ἰσχύσας, πλῆθος συναγαγὼν μετὰ πλοίων ἐκ θαλάσσης ἐπῆλθεν αὐτοῖς, κ) πολλὺς ἀνεῖλεν, ὡς κ) τὺς παραλειφθέντας ἐκεῖθεν φυγεῖν *Cleodemus vir Athenienſis, quum valuiſſet evadere, etiam collecta multitudine cum navibus ex mari illos invaſit, multoſque occidit; ita ut etiam ſuperſtites inde fugerent*. Sed mutilus, ac depravatus Zonarae locus hic obiter corrigendus. Neque enim *Cleodemus Athenaeus*, *vel Athenienſis* Barbaros fudit; ſed *Cleodamus*, & *Athenaeus* Byzantii cives, quibus id a Gallieno commiſſum fuerat. Trebellius: *Gallienus Cleodamum, & Athenaeum Byzantios inſtaurandis Vrbibus, muniendiſque praefecit; pugnatum eſt circa Pontum, & a Byzan-*

(1) In Gallienis. (2) In Areopag. c. 3. (3) Annal. Lib. XII. c. 26.

zantiis ducibus victi ſunt Barbari. Tum ſubdit quod *& ab Athenienſibus duce Dexippo Scriptore horum temporum victi ſunt*. Itaque fallitur Zonaras, & qui Zonaram hic ſequitur, Meurſius.

OLYMPIAS CCLXII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 4982. Vrb. Cond. 1022. Chr. 269.

P. Herennius Dexippus Ptolemaei filius Hermeius Athenis Archon DCCCCLII.

Dionyſius Alexandrinus *ſtadio* vicit Olympia, ut ex illuſtri teſtimonio ad Olympiadem CCIL obſervavi. Quamvis autem Olympici Ludi non modo Iuliani Caeſaris aetate, ſed ipſis quoque Theodoſii temporibus agi conſueverint, ut inferius oſtendetur; nullus tamen ipſorum victor a Scriptoribus memoratur, aut ad certum annum aliquem referri iam poteſt.

Quod autem Archontis Eponymi munus a P. Herennio Dexippo ſuſceptum facile ad haec ipſa tempora referri poſſit alibi oſtendi [1]. Nunc autem opportunius addidiſſe iuverit quod hic idem *Dexippus* a Trebellio quoque nominatur. Etenim, quum Scriptor ille dixiſſet Gallieni Imperatoris ſocordia factum eſſe ut Scythae, vel Gothi plurimas imperii provincias devaſtarent, ſubdit: *inde Gothi Cyzicum, & Aſiam, deinceps Achaiam omnem vaſtaverunt, & ab Athenienſibus duce Dexippo Scriptore horum temporum victi ſunt; unde pulſi per Epirum, Acarnaniam, Boeotiam pervagati ſunt* [2].

Itaque, quum ea imperii clades, & Barbarorum incurſio *tertio* Olympiadis huius anno, vel V. C. 1024. contigerit, facile Dexippi principatus huic Olympiadi adſcribi poterit.

Ea quoque de cauſſa Dexippum ipſum hac Olympiade Faſtis inſcripſi, quod ille Hiſtoriam ſuam ad hanc uſque Olympiadem perduxit; ideoque Dionyſii Alexandrini meminit, qui hac Olympiade palmam obtinuit. Hinc optime

(1) Tom. II. pag. 167. (2) Vid. Zoſim. Libr. I. pag. 651. Syncellus pag. 303.

me Photius [1] ait quod Dexippi hiſtoria ad primum eius Claudii Caeſaris annum pertingebat, qui Aurelianum praeceſſit. Imperium vero Claudius accepit circa diem 9. Kal. Aprilis anno 4 Olymp. CCLXI. ſive Vrb. Cond. 1021. Chriſti 268.; ipſique poſt annum & menſes 10. Aurelianus ſucceſſit.

OLYMPIAS CCLXXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5037. Vrb. Cond. 1077. Chr. 324.

Conſtantinus Imperator Athenis Strategus.

Non plurimum fortaſſe ego fallar ſi ipſum quoque Conſtantini Auguſti nomen Athenienſium Archontum Faſtis hic inſeram. Quemadmodum enim in Conſularibus Romanorum Faſtis non modo *Conſules*, ſed *Dictatores* etiam, aut *Tribuni Militum* inſeri ſolent, quod ipſi in Romana Republica primam, ſupremamque dignitatem iis annis occuparent, quibus Conſules electi non fuerant; ita quoque Athenienſium Faſtis eorum nomina inſcribenda videntur, qui vel deſita, vel interrupta iam Archontum Eponymorum ſerie ſupremam hanc dignitatem ſolo *Strategi* nomine ſunt conſequuti. Quamvis autem ambiguum plane, obſcurumque ſit, an ipſa Conſtantini aetate Archontes Eponymi Athenis adhuc eligi conſueverint, vel potius ipſorum ſeries aliquandiu interrupta iterum ſequioribus temporibus reſtituta ſit; perſpicuum eſt tamen quod Archontes alii, & quidem Eponymi, poſt Conſtantini tempora Athenis imperarunt, ut opportune mox oſtendetur. Itaque licet ipſe quoque Meurſii, aliorumque veſtigiis inſiſtens alibi [2] coniecerim Archontis Eponymi nomen, ac dignitatem ineunte IV. Eccleſiae Saeculo ſublatam, atque extinctam fuiſſe; nunc veriſimilius eſſe affirmo dignitatem illam, aut nomen aliquandiu quidem obſoleviſſe, ſed iterum tamen, fortaſſe Iuliani Caeſaris temporibus, reſtitutam, atque in publicis monumentis ad annos diſtinguendos uſurpatam fuiſſe; ut inferius demonſtrabitur.

Inte-

(1) Phot. Cod. 82. (2) Tom. I. pag. 45.

Interim vero illuſtre Iuliani ipſius Apoſtatae teſtimonium hic proferam, ex quo Meurſius [1] optime intellexerat Conſtantinum Athenis oblatum ſibi *Strategi* munus perhumaniter, atque alacriter ſuſcepiſſe. Etenim Iulianus de Conſtantino loquens ait [2]: *Καλὸν ἴσως ἐνταῦθα κ̀ τῶν ἀοιδίμων Ἀθηνῶν μνησθῆναι· ἃς ἐκεῖνος ἔργοις, κ̀ λόγοις τιμῶν τὸν πάντα χρόνον διετέλει. Βασιλεὺς γὰρ ὢν κ̀ κύριος πάντων, Στρατηγὸς ἐκείνων ἠξίȣ καλεῖσθαι, κ̀ τοιαύτης εἰκόνος τυγχάνων μετ᾽ ἐπιγράμματος, ἐγάννυτο πλέον, ἢ τῶν μεγίςων τιμῶν ἀξιωθείς*: *fortaſſe pulcrum hoc loco celebrium Athenarum meminiſſe, quas ille operibus, & verbis honorare omni tempore perſeverabat; quumque Princeps omnium eſſet, ac Dominus, nihilominus ſe Strategum illarum appellari voluit, atque eiuſmodi imagine, & inſcriptione delectatus impenſius laetabatur, quam ſi ampliſſimis eſſet honoribus affectus*.

Eiuſmodi vero nomen, ac dignitatem hac potius Olympiade Athenis a Conſtantino ſuſceptam eſſe ex Zoſimi [3] hiſtoria deprehendiſſe mihi videor. Siquidem Scriptor ille exercitum, naviumque numerum tum a Licinio, tum a Conſtantino delectum deſcribens ait quod Licinii claſſis in Helleſponto, Conſtantini vero in Piraeeo morabatur; ſubditque *Κονςαντῖνος ἐκ τȣ̃ Πειραιῶς τὰς ναῦς μετεπέμπετο κατὰ τὸ πλέον ἐκ τῆς Ἕλλαδος ȣ̉̃σας* *Conſtantinus e Piraeo ſuas naves, e Graecia maiorem partem collectas accerſebat*. Itaque ſi univerſa Conſtantini Claſſis tunc apud Athenienſes veluti amicos, ipſique addictos morabatur, facile tunc Athenienſes ipſi Conſtantino honores decreverunt; quumque Conſtantinus navali praelio contra Licinium anno Chr. 324. prope Hadrianopolim, & mox prope Byzantium ſuperatus fuerit, haec Conſtantini dignitas ad haec tempora referri debebit.

Ad haec ipſa quoque tempora revocari facile poterit Praxagoras Athenienſis Hiſtoricus, qui ut auctor eſt Photius [4], ſecundo ac viceſimo aetatis anno res a Conſtantino M. geſtas II. Libris conſcripſit; quumque in excerptis Photianis Conſtantinopolis urbis denominatio poſtremo loco recenſeatur, Praxagorae hiſtoria ſaltem ad annum Chr. 330. deducta videtur. Praxagoras autem ille undeviceſimum annum

(1) De Arch. Ath. Lib. I. c. 9. (2) Orat. I. pag. 8. (3) Lib. II. pag. 681. (4) Cod. LXII.

num agens de Regibus Athenienſium ſcripſerat, ut Photius ipſe teſtatur.

OLYMPIAS CCLXXXI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5058. Vrb Con. 1098. Chr. 345.

Ad Olympiadem hanc referri facile poterit id quod in Proaereſii Vita ſcribit Eunapius. Eximium nempe Sophiſtam illum, qui maxima ingenii, ac eloquentiae gloria Athenis florebat, a Conſtante Auguſto in Galliam accitum fuiſſe Scriptor ipſe tradit; mox Romam miſſum, ubi ſtatuae honorem obtinuit cum magnifica inſcriptione, *Regina rerum Roma, Regi eloquentiae*.

Dum vero Proaereſius Athenas rediturus eſſet ab Imperatore obtinuit, ut plures non exiguae Inſulae Athenienſibus tributariae forent; ut illae nimirum Athenis frumentum, veluti vectigal penderent; ac Proaereſius ipſe ϛρατοπεδάρχȣ *Caſtrorum Praefecti* nomen, ac dignitatem accepit.

OLYMPIAS CCLXXXIII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5067. Vrb. Cond. 1107. Chr. 352.

Iulianus, qui deinde Auguſtus, & Apoſtata fuit, ſtudiorum cauſſa Athenas hoc anno conceſſit (1); ibique Baſilium, & Gregorium Nazianzenum invenit, qui litteris vacabant. Proximo tamen anno Iulianus ipſe, quum Caeſaris dignitatem adeptus eſſet, Athenis diſceſſit.

Inter alios, qui tum doctrinae gloria Athenis florebant, fuit Proaereſius, quem iam pridem Conſtans Auguſtus in Gallias acciverat; & cui Romae ſtatua cum magnifica inſcriptione illa poſita fuerat, ut ſuperius eſt indicatum. Proaereſius ipſe circa annum Chr. 350. Athenas reverſus, ibi vitam egit ad annum uſque 368. Hunc iam ſenem audivit Eunapius Sardianus, qui in Chryſanthii Vita ſe Athe-

(1) Ammian. Lib. XV. & Iulian. in Panegyr. Euſebiae.

nis quinquennio moratum, atque Eleuſiniis Sacris initiatum teſtatur; quod facile ad Iuliani Caeſaris tempora referri debet, quibus Myſteria ipſa reſtituta fuerunt.

OLYMPIAS CCLXXXV.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5074. Vrb. Cond. 1114. Chr. 361.

Ineunte primo huius Olympiadis anno Iulianus Caeſar, ut Graecorum animos ſibi conciliaret, litteras ad Athenienſes, & Lacedaemonios dedit, ipſiſque pollicitus eſt ſe veterem Deorum cultum, ſi imperio potiretur, reſtituturum (1). Itaque, quum Conſtantinus Auguſtus 3. Nonas Octobres obiiſſet, Iulianus Conſtantinopolim ingreſſus Chriſtianam religionem eiuravit, ac Deorum templa reſerari iuſſit (2). Hinc Mamertinus (3) perſpicue memorat Eleuſinia Sacra Athenis inſtaurata, ac reſtituta fuiſſe, ceteroſque ritus ad Ethnicam religionem ſpectantes Iuliani auſpicio, ac imperio renovatos. Quumque Iulianus ipſe vetuiſſet, ne Chriſtianus ullus liberales Artes docere poſſet, Proaereſius, qui tum maxima eloquentiae gloria Athenis docebat, quamvis a communi lege exemptus foret, ſponte tamen Scholam deſeruit (4).

OLYMPIAS CCLXXXVII.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5082. Vrb. Cond. 1122. Chr. 369.

Idatius, ſimulque Hieronymus *in Chronicis* memorant Agonem poſt annos 17. a Valente Auguſto reſtitutum fuiſſe; ſimulque cetera Ethnicorum Sacrificia, ac Ludos permiſſos fuiſſe ſcribit Cedrenus. Certe 4. huius Olympiadis anno aram Victoriae in Capitolio excitatam, ipſique a Senatoribus ſacra peracta fuiſſe Symmachus (5), & Ambroſius (6) teſtantur. Ita quoque Zoſimus (7) memorat permiſſum a Va-

(1) Zoſim. Lib. III. pag. 712. (2) Idat. in Chr. (3) In Panegyr. (4) Hieron. in Chr. (5) Epiſt. ad Valent. (6) Epiſt. 89. (7) Lib. IV. pag. 736.

a Valentiniano fuiſſe, ut Myſteria in Graecia patrio ritu peragentur. Itaque Athenis etiam Eleuſinia Sacra poſt Iuliani mortem ſublata iis temporibus inſtaurata ſunt; adeoque Hieronymus (1) aetate ſua Athenis *Hierophantas* extitiſſe memorat. Quum tamen Iovianus Auguſtus anno V. C. 1116. ſive Chr. 363. Deorum templa claudi, & Sacra aboleri iuſſerit (2), perſpicue apparet quod Ethnicorum ritus ſemel ſublati, iterum recepti ſunt.

OLYMPIAS CCLXXXVIII.

An. $\frac{3}{4}$. Per. Iul. 5085. Vrb. Cond. 1125. Chr. 372.

Poſtremo huius Olympiadis anno, quo Valentinianus Auguſtus obiit, plurima loca, Cretam in primis, Peloponneſum, reliquamque Graeciam ita terraemotibus concuſſam eſſe teſtatur Zoſimus (3), ut oppida complura diruta ſint. Ab eiuſmodi vero clade tum Athenarum urbem, tum Atticam regionem immunem fuiſſe ſubdit, eiuſque rei cauſſam Ethnicus homo ita exponit: Νεςόριος ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἱεροφαντεῖν τεταγμένος ὄναρ ἐθεάσατο παρακελευόμενον χρῆναι τὸν Ἀχιλλέα τὸν Ἥρωα δημοσίαις τιμᾶθαι τιμαῖς. ἔσεσθαι γὰρ τοῦτο τῇ πόλει σωτήριον. Ἐπεὶ δὲ ἐκοινώσατο τοῖς ἐν τέλει τὴν ὄψιν . . . εἰκόνα τοῦ Ἥρωος ὑπέθηκε τῷ ἐν Παρθενῶνι καθιδρυμένῳ τῆς Ἀθηνᾶς ἀγάλματι *Neſtorius id temporis Hierophanta conſtitutus ſomnium vidit, quod publicis honoribus Achillem heroa iuberet affici; hoc enim Vrbi ſalutare futurum. Quum autem viſum hoc cum Magiſtratibus communicaſſet . . . imaginem Herois ſub Minervae ſimulacro, quod eſt in Parthenone, collocavit.*

OLYMPIAS CCLXXXIX.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5090. Vrb. Cond. 1130. Chr. 377.

Olympicos Ludos hac etiam Olympiade adhuc peractos

(1) Adv. Iovinian. (2) Socrat. Lib. III. c. 25. (3) Lib. IV. pag. 745.

ctos, ſed ſimul etiam ſublatos eſſe coniicio. Ac certe quidem quod hac etiam Oympiade luctae certamina, & palaeſtritae floruerint ex Graeco Scriptore deduci poteſt, quem Scaliger (1) Africani textui ſubtexuit. Ait enim: Ἐγένετο δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ Θεοδοσίου τοῦ Μεγάλου καιρῶν ὁ ἐκ Φιλαδελφείας τῆς Λυδῶν παλαιστὴς Φιλούμενος ὄνομα. Οὗτος χαλκοῦν ἀνδριάντα λέγεται πατάξας εἰς βάθος ἐνιζῆσαι βιάσασθαι τὸν χαλκὸν, ἐφ᾽ ᾧ ἀνδριάντος τετυχηκέναι *fuit etiam Theodoſii Magni temporibus ex Philadelphia Lydiae urbe luctator nomine Philumenus. Hic aeream ſtatuam quum percuſſiſſet, coegiſſe dicitur aes ut ictus cedens alte deprimeretur, eaque de cauſſa ſtatuae honorem obtinuiſſe*.

Itaque, quum Theodoſius anno 3. huius Olympiadis imperium ſuſceperit, editaque lege Ethnicorum ritus, & Spectacula ſuſtulerit, Philumenus ille, ceterique Olympiorum victores ad hanc uſque Olympiadem floruiſſe, ac certaſſe videntur.

Philumenus autem ille, ut opportune iam alibi (2) obſervavi, a Valentiniano, Valente, & Gratiano Auguſtis ſtatuae honorem Romae obtinuit, quod *in omni athletico certamine ab oriente ad occidentem uſque pammacho, lucta, pancratio, caeſtibuſque* viciſſet, ut in Epigraphe legitur, quam ex Sponio exhibui. Itaque, quum Gratianus anno 3 Oly. CCLXXXVI. imperii conſors factus fuerit, Statua, & Inſcriptio poſt annum illum excitata fuit.

Certe Olympiacam Panegyrim a Theodoſio Magno ſublatam fuiſſe ſcribit etiam Cedrenus (3), quamvis accurate tempus non expreſſerit. Itaque palaeſtritae, qui iis temporibus memorantur, vel ſuperioribus annis certarunt, vel certe in Circenſibus, aliiſque Spectaculis palmam retulerunt. Ita Ioannes ille palaeſtrita, qui ſtatuae honorem Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii aetate, adeoque poſt annum 3 Olympiadis CCXC. quo Arcadius imperii particeps fuit, obtinuit (4), victorias iampridem retulerat; aut ſaltem in Circenſibus, aliiſve Spectaculis certavit, quorum tempora Theodoſius M. anno 2. huius Olympiadis edita lege definivit (5).

An.

(1) Pag. 350. (2) Differt. Agon. pag. 99. (3) Pag. 258. (4) Murat. pag. 627. n. 2.
(5) Lege II. Cod. de Spectac.

An. $\frac{3}{4}$. Hoc anno V. C. 1133. Chriſti vero 380. Eleuſinia Feſta, ceterique tum Athenienſium, tum aliorum Graecorum Ethnici ritus, Agones, & Sacrificia prorſus ſublata, & extincta videntur. Etenim Theodoſius maior Auguſtus 3. Nonas Auguſti Mediolani legem edidit (1) adverſus haereſes omnes, iterumque proximo anno Theſſalonicae 3. Kal. Martii ſancivit (2) ut una Chriſtiana Religio ubique obtineret. Itaque ſingula Ethnicae Religionis veſtigia, quae variis in locis ſupererant, tunc prorſus abolita cenſeri poſſunt. Olympicos tamen Ludos, aut certe plurimos Agones alios, & Spectacula adhuc peragi conſueviſſe ex Veterum teſtimoniis mox proferendis apparet.

OLYMPIAS CCXCIII.

An. $\frac{3}{4}$. Per. Iul. 5109. Vrb. Cond. 1149. Chr. 396.

Alaricus Gothorum rex inſtigante ſecreto Ruffino, qui Praetorio Praefectus erat, Theſſaliam, aliaſque Graeciae Provincias anno Chr. 395., moxque etiam, Ruffino occiſo, anno 396. populatur. Ac Zoſimus (3) quidem Athenas ab eiuſmodi clade immunes fuiſſe dicit, quod Alarico urbem invadere conanti armata Pallas, ac muros diſcurrens, itemque Achilles urbem cuſtodiens apparuerit; ideoque Alaricus Athenarum urbem tranquille, & amice ingreſſus nihil adverſus cives, & Atticae regionis incolas molitus eſt. At Hieronymus (4), Claudianus (5), Philoſtorgius (6) Athenas aliarum Graecarum urbium inſtar direptas, ſervitiique iugo preſſas fuiſſe teſtantur; additque Eunapius (7) Eleuſinia Feſta Alarici incurſu turbata, atque extincta fuiſſe: quod perſpicue ſatis indicat Feſta illa, ac Myſteria ſaltem occulte iis quoque temporibus peragi conſueviſſe; ac ingentem illam Vrbium cladem ſuperioris aeſtatis tempore impendiſſe, qua Myſteria peragebantur.

(1) Cod. Theod. Leg. 5. de Haer. (2) Ibi leg. 11. de Fide Cathol. (3) Libr. V. pag 783. (4) Epiſtol. 3. ad Heliodor. (5) Adver. Ruffin. Lib. II. (6) Libr. XII. c. 2. (7) Cap. 5:

At Stilicho hoc demum anno 396. Alaricum, Gothoſque omnes e Graecia abegit; atque Athenarum urbem ingreſſus ingenti civium plauſu, maximiſque honoribus exceptus fuit (1).

Itaque, quum perſpicuis adeo Veterum teſtimoniis appareat Athenas ipſas a Barbaris fuiſſe occupatas; mirari quis poſſit cur Meurſius (2) dixerit Eunapium hic innuere Athenarum urbem ab eiuſmodi clade immunem fuiſſe. Certe, Eunapius de Hilario quodam Athenienſi loquens (3) ait: Ἀλλ' ὅμως καὶ Ἱλάριος τῶν ἀπολαυσάντων ἦν τῆς κοινῆς συμφορᾶς· ἔξω μὲν εὑρεθεὶς τῶν Ἀθηνῶν, πλησίον μὲν γάρ που Κορίνθου διέτριβε· καταποπεὶς δὲ παρὰ τῶν Βαρβάρων ἅμα τοῖς οἰκέταις *non potuit tamen publicae calamitatis exſors eſſe Hilarius, qui extra Athenas deprehenſus (nam prope Corinthum ruri agebat) cum familia ſimul obtruncatus fuit a Barbaris.* Sed tantum tamen abeſt, ut hic Eunapii locus a Meurſio prolatus innuat Athenas a clade fuiſſe immunes, ut inde potius confirmetur calamitatem illam Athenienſibus omnibus communem fuiſſe; ſiquidem Eunapius obſervat ne Hilarium quidem, qui Athenis aberat, eius expertem fuiſſe, quum prope Corinthum a Barbaris occiſus ſit.

Circa Olympiadem hanc, aut certe ante ipſam exeuntem Olympiodorus Hiſtoricus Athenas appulit, auctorque fuit, ut Leontius ad Sophiſticum thronum licet invitus veheretur. Athenis autem iis adhuc temporibus Sophiſtici pallii dignitas maxima fuit; ut proinde ceteris, praeſertim exteris, ipſius uſus vetitus foret. Interim vero dum Olympiodorus Athenis moraretur Philtatius ipſius comes artem invenit, qua Libri conglutinari poſſent; eiuſque inventi gratia ab Athenienſibus illi ſtatua excitata fuit (4).

OLYMPIAS CCC.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5134. Vrb. Cond. 1174. Chr. 421.

Hac Olympiade Athenarum urbi novus, ac immenſus

(1) Zoſim. loc. cit. (2) De Fort. Athen. c. 10. (3) In Priſco. (4) Phot. Cod. 80.

ſus plane ſplendor acceſſit, quod Athenienſis civis filia Auguſto nupſerit, & *Auguſtae* nomine decorata ſit. Hoc nimirum anno Theodoſius iunior Auguſtus Eudoxiam duxit, quae Athenis Leontio quodam Athenienſi Philoſopho parte nata, atque *Athenais* vocata, Conſtantinopolim venit, ibique deinde tum formae praeſtantia, tum morum, ac doctrinae dotibus Pulcheriae Auguſtae animum adeo ſibi devinxit, ut illam Theodoſio fratri coniugem deſtinaverit (1). Hiſtoriam hanc etiam Chronici Paſchalis Auctor (2) fuſe deſcribit; additque Eudoxiam ſub ipſo nuptiarum tempore Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe, quum prius Ἑλληνὶς *Graeca*, vel Ethnicorum Graecorum ſacris imbuta foret: quod argumento eſſe poterit adhuc Athenis Ethnicorum religionem ſaltem privatim viguiſſe.

Eudoxiae tamen patrem Scriptor ille non *Leontium*, ſed *Heraclitum*, appellat. Ceterum Eudoxiam hanc non modo formae praeſtantia, ſed ingenio quoque, ac liberalibus diſciplinis, quibus a Patre erudita fuerat, excelluiſſe Socrates (3), & Photius (4) oſtendunt.

OLYMPIAS CCCXVI.

An. $\frac{4}{1}$. Per. Iul. 5198. Vrb. Cond. 1238. Chr. 485.

Nicagoras iunior Athenis Archon MCLXVIII.

Archontis huius Eponymi nomen, ac ſitum ceteris omnibus Faſtorum Scriptoribus ignoratum in Procli Vita (5) deprehendi, quam Marinus eius diſcipulus, atque in Athenienſi Schola ſucceſſor edidit. Etenim, quum Marinus ipſe dixiſſet Proclum hunc Lycium Syriano praeceptori in Athenienſi Schola ſucceſſiſſe, maximaque ingenii gloria ad 75. aetatis annum perveniſſe, ſubdit ἐτελεύτησε δὲ τῷ δ′ καὶ κ′ καὶ ρ′ ἀπὸ τῆς Ἰȣλιάνȣ βασιλείας, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Νικαγόρȣ τȣ̃ νεωτέρȣ, μηνὸς κατὰ μὲν Ἀθηναίȣς Μȣνυχιῶνος ιζ′, κατὰ δὲ Ῥωμαίȣς Ἀπριλίȣ ιζ′. *obiit autem anno 124. imperii Iuliani, Archonte Athenis Nicagora iuniore, menſis iux-*

(1) Zonar. Annal. Lib. XIII. c. 22. (2) Pag. 248. (3) Hiſt. Eccl. Lib. VII. c. 22. (4) Codic. 183. (5) Cap. 36.

iuxta Athenienſes quidem Munychionis 17, *iuxta Romanos vero Aprilis itidem* 17. *die*. Ex quo quidem illuſtri Marini loco plura nobis affulgent, quae tum Faſtis Atticis, tum Athenienſium rebus illuſtrandis conferre poſſunt.

Ac primo quidem perſpicue apparet quod iis etiam temporibus Archontes Eponymi Athenis adhuc eligebantur, ipſorumque nomen veluti perſpicua temporis nota publicis monumentis, ac Hiſtoriis inſcribebatur. Hinc Marinus annum exprimere volens, quo Proclus interiit, ait illum Nicagorae iunioris Archontis anno obiiſſe, taciteque demonſtrat *Nicagoram* alium antiquiorem in Archontum annuorum Faſtis, quos prae oculis habuiſſe videtur, inſcriptum fuiſſe, qui poſt Olymp. CXXX., ſed anno nobis incognito, imperaverit.

Deinde vero obſervandum quod Marinus Ethnicus homo, & natione Syrus annos ab imperio Iuliani Caeſaris Apoſtatae numeravit: perinde quaſi aut Syri, aut Athenienſes, aut potius Marinus ipſe ab eius imperii initio veluti cardine, atque epocha annos numeraverit. Quamvis enim in veteri Marini codice ad marginem notatum fuerit ȣ̓ παραβάτην Ἰȣλιανὸν λέγει, ἀλλ᾽ ἐν Ἀθήναις κληρωτὸν Ἄρχοντα *non Apoſtatam Iulianum intelligit, ſed Archontem Athenis ſortito electum*; perſpicuum tamen eſt quod ibi de ſolo Iuliani *imperio* agi poteſt, quum praeſertim ab alterius Archontis, veluti *Regis*, anno tempora numerari certe non potuerint. Itaque, quum Iulianus imperium ſuſceperit anno V. C. 1114. ſive Chr. 361. annus 124. inde numeratus in annum Chr. 485. V. C. 1238. incidet, quo Nicagoras hic Archon fuit.

Illud etiam obſervari facile poterit quod quum Attici, ac Romani menſis dies accurate & anno conſpirarent, ut una eademque dies tum Munychionis Attici, tum Romani Aprilis *decima ſeptima* foret, tunc Solaris, ac Iulianus annus receptus fuiſſe videtur; alioquin civiles Athenienſium, ac Romanorum menſes, eorumque dies invicem collati in numero diſcreparent. Itaque civilis Atticus Hecatombaeon una cum Romano Quintili incepiſſe debuit. Hinc Fabricio, & Brukero (1) aſſentiri non poſſum, qui Proclum 8.

Fe-

(1) Hiſtor. Crit. Philoſ. Per. II.

Februarii die anno Chr. 412. natum 75. annos vixiſſe volunt, quod 75. anni illi Graeci, vel lunares forent. Siquidem nulla prorſus ratione oſtendi poteſt annos illos *lunares* potius, quam *ſolares*, fuiſſe; ac Marini locus aperte ſatis demonſtrat Graecorum menſes tum ſolares, ac Iulianos fuiſſe. Deinde vero, quamvis etiam lunaribus menſibus uſi fortaſſe tunc fuerint Athenienſes, aut Lycii, lunares tamen anni additis embolimis menſibus cum ſolaribus conſpirabant; ideoque ne in hac quidem hypotheſi inter annos Chr. 412. & 485. *quinque & ſeptuaginta* lunares anni includi vel computari poſſent. Ergo ſi Proclus anno Chr. 412. in lucem editus fuit, ad 75. aetatis annum pervenire non potuit, ſed inchoato ſolum 74. interire ille debuit.

Proclo adhuc ſuperſtite, & philoſophicam Athenis cathedram obtinente *Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius* qui Athenas adoleſcens adhuc conceſſerat, ibi *octodecim* annorum ſpatio moratus tum Peripateticae, tum Stoicae, tum Platonicae Philoſophiae ſtudio mire incubuit. Nicagorae vero Archontis anno, quo Proclus interiit, hoc eſt a Chr. nato 485. Boethius in Italiam reverſus, & Senator, ac Patricius electus erat.

Theagenes Athenis Archon.

Eponymorum Archontum Series hactenus a me contexta in hoc veluti poſtremo iam deſinat, cuius nomen, atque aetas a Suida nobis exhibetur. Ait enim: Θεαγένης Ἀθηναῖος Ἄρχων, φιλότιμος, καὶ μεγαλοφυής: *Theagenes Athenienſis Archon, vir honoris cupidus, & magnanimus*. Deinde vero memorat Suidas, quod Theagenes ipſe Marini Philoſophi coaevus erat, ac non modo προτεύων ἀνὴρ ἐν τῇ πόλει; verum etiam inter primores, tum in Senatu, tum in Caeſaris Aula habebatur; quae quidem Suidas ex Damaſcio accepit, ut ex eius Scriptoris Excerptis apud Photium conſpicitur.

Quum tamen ego Theagenem hunc circa 500. a Chriſto nato annum floruiſſe vidiſſem, quibus temporibus Archontis Eponymi nomen, ac dignitas prorſus extincta putabatur, Thea-

Theagenem ipſum inter *Pſeudeponymos* Archontes habendum eſſe alibi [1] affirmavi. Verum, quum illuſtris ille Marini locus, quem ſuperius exhibui, perſpicue certoque demonſtret, quod adhuc Procli, Marini, ac Theagenis aetate Archon Eponymus Athenis eligebatur, eiuſque nomen, veluti perſpicua temporis nota, adhuc uſurpabatur, Theagenem ipſum aliorum Eponymorum faſtis inſerendum eſſe nunc puto, ipſumque circa annum Chr. 500, ſive Olympiadem CCCXX imperaſſe coniicio.

Quod ſi ipſa quoque Theagenis huius aetate tum Archontis Eponymi dignitas, tum publica doctrinarum ſtudia, tum digniſſimae familiae adhuc Athenis florebant, non eſt certe cur ipſas vaſtitate, ſolitudine, ac ſquallore prorſus obſitas fuiſſe credamus, quales nobis eas ex Hieronymo, Claudiano, Syneſio Meurſius exhibuit: perinde nimirum quaſi eae Barbaris ſubiectae, ab aliquibus ſolum apiariis incolerentur. Hieronymus quidem [2] Corinthios, Athenienſes, Lacedaemonios, Arcadas, cunctamque Graeciam Barbarorum imperio parere dixit; ſed id de iis ſolum temporibus intelligi profecto debet, quibus Alaricus una cum Gothis anno Chriſti 395, non Graeciam modo, ſed alias quoque Provincias, torrentis inſtar, diripuit; eoque plane ſenſu Claudianus [3] ait, quod ſi Stilicho acriter Barbaris reſtitiſſet,

Non fera Cecropias traxiſſent vincula matres.

Syneſius [4] vero dicit *αἱ δ' Ἀθῆναι πάλαι μὲν πόλις ἑςία σοφῶν, τὸ δὲ νῦν ἔχον σεμνύνουσιν αὐτὰς οἱ μελιττουργοί Athenae olim quidem urbs ſapientum domicilium; ſed, ut nunc eſt, honeſtant eas apiarii*, non *metallatores*, ut Meurſius interpretatur. Sed haec, aliaque id genus, quae ſubinde in Scriptoribus occurrunt, demonſtrant quidem Athenas aliarum omnium urbium inſtar a priſtino illo ſplendore plurimum excidiſſe, ut vix cum veteribus Athenis comparari potuerint; quemadmodum ſane ipſa quoque Auguſti aetate dixit Ovidius [5]

Quid

(1) Tom. I. pag. 384. (2) Epiſt. ad Heliodor. (3) In Ruffin. Lib. II. (4) Epiſt. 335. (5) Metamor. Lib. XV. ver. 428.

Quid Pandioniae reſtant, niſi nomen, Athenae?

non tamen oſtendunt ipſas eo ſqualloris, ac infrequentiae perveniſſet, ut a paucis ſolum apiariis incoli, atque honeſtari potuerint. Hinc facile a Iuſtiniano Caeſare circa annum a Chriſto nato 530. ſive 2. Olymp. CCCXXVII. tum muris circumdari, tum nobiliori cultu exornari potuerunt, ut ex Procopio [1] erudimur.

(1) De Aedific. Iuſtini Lib. IV. c. 2.

F I N I S.

ARCHONTVM ATHENIENSIVM EPONYMORVM SERIES EX FASTIS ATTICIS CONTEXTA.

OLYMPIAS
XXIV.
an. $\frac{1}{2}$ Creon.
an. $\frac{2}{3}$ Tleſias.
an. $\frac{3}{4}$ Lyſias.
XXVII.
an. $\frac{1}{2}$ Leoſtratus.
an. $\frac{3}{4}$ Piſiſtratus.
XXVIII.
an. $\frac{4}{1}$ Authoſtenes.
XXIX.
an. $\frac{4}{1}$ Miltiades.
XXX.
an. $\frac{1}{2}$ Miltiades.
XXXIV.
an. $\frac{4}{1}$ Dropilus.
XXXV.
an. $\frac{1}{2}$ Damaſias I.
XXXIX.
an. $\frac{4}{1}$ Draco.

OLYMPIAS
XLI.
an. $\frac{1}{2}$ Heniochides.
XLII.
an. $\frac{4}{1}$ Megacles.
XLIII.
an. $\frac{3}{4}$ Ariſtocles.
XLVI.
an. $\frac{4}{1}$ Critias I.
an. $\frac{1}{2}$ Philombrotus.
an. $\frac{2}{3}$ Solon.
an. $\frac{3}{4}$ Dropides.
XLVII.
an. $\frac{4}{1}$ Eucrates.
an. $\frac{2}{3}$ Simon.
XLVIII.
an. $\frac{4}{1}$ Philippus.
an. $\frac{3}{4}$ Damaſias II.
L.
an. $\frac{3}{4}$ Archeſtratides.

OLYMPIAS

LII.

an. $\frac{2}{3}$ Ariſtomenes.

LIII.

an. $\frac{2}{3}$ Hippoclides.

LV.

an. $\frac{4}{1}$ Comias.

an. $\frac{1}{2}$ Hegeſtratus.

LVI.

an. $\frac{4}{1}$ Euthydemns.

LVIII.

an. $\frac{4}{1}$ Erxiclides.

LXI.

an. $\frac{4}{1}$ Alcaeus I.

an. $\frac{3}{4}$ Heraclides.

LXIV.

an. $\frac{4}{1}$ Miltiades.

LXVII.

an. $\frac{4}{1}$ Cliſthenes.

LXVIII.

an. $\frac{4}{1}$ Iſagoras.

LXIX.

an. $\frac{4}{1}$ Aceſtorides II.

LXX.

an. $\frac{4}{1}$ Myrus.

LXXI.

an. $\frac{2}{1}$ Hipparchus.

an. $\frac{1}{2}$ Philippus.

OLYMPIAS

LXXI.

an. $\frac{2}{3}$ Pythocritus.

an. $\frac{3}{4}$ Themiſtocles.

LXXII.

an. $\frac{4}{1}$ Diognetus.

an. $\frac{1}{2}$ Hybrilides.

an. $\frac{2}{2}$ Phaenippus II.

an. $\frac{3}{5}$ Ariſtides.

LXXIII.

an. $\frac{4}{1}$ Anchiſes.

an. $\frac{1}{2}$ Lacratides.

an. $\frac{2}{3}$ Miltiades.

an. $\frac{3}{4}$ Philocrates.

LXXIV.

an. $\frac{4}{1}$ Leoſtratus.

an. $\frac{2}{3}$ Nicodemus.

LXXV.

an. $\frac{4}{1}$ Calliades.

an. $\frac{1}{2}$ Xanthippus.

an. $\frac{2}{3}$ Timoſthenes.

an. $\frac{3}{4}$ Adimantus.

LXXVI.

an. $\frac{3}{1}$ Phaedon.

an. $\frac{1}{2}$ Dromoclides.

an. $\frac{2}{3}$ Aceſtorides.

an. $\frac{3}{4}$ Menon.

LXXVII.

an. $\frac{4}{1}$ Chares.

OLYMPIAS LXXVII.

an. $\frac{1}{2}$ Praxiergus.
an. $\frac{2}{3}$ Demotion.
an. $\frac{3}{4}$ Phaedon, & Apſephion.

LXXVIII.

an. $\frac{4}{1}$ Theagenides.
an. $\frac{1}{2}$ Lyſiſtratus.
an. $\frac{2}{3}$ Lyſanias.
an. $\frac{3}{4}$ Lyſitheus.

LXXIX.

an. $\frac{4}{1}$ Archidemides.
an. $\frac{1}{2}$ Tlepolemus.
an. $\frac{2}{3}$ Conon.
an. $\frac{3}{4}$ Euthippus.

LXXX.

an. $\frac{4}{1}$ Phraſiclides.
an. $\frac{1}{2}$ Philocles.
an. $\frac{2}{3}$ Bion.
an. $\frac{3}{4}$ Mneſitheus.

LXXXI.

an. $\frac{4}{1}$ Callias I.
an. $\frac{1}{2}$ Soſiſtratus.
an. $\frac{2}{3}$ Ariſton.
an. $\frac{3}{4}$ Lyſicrates.

LXXXII.

an. $\frac{4}{1}$ Chaerephanes.
an. $\frac{1}{2}$ Antidotus.

OLYMPIAS LXXXII.

an. $\frac{2}{3}$ Euthydemus.
an. $\frac{3}{4}$ Pediaeus.

LXXXIII.

an. $\frac{4}{1}$ Philiſcus.
an. $\frac{1}{2}$ Dimarchides.
an. $\frac{2}{3}$ Callimachus.
an. $\frac{3}{4}$ Lyſimachides.

LXXXIV.

an. $\frac{4}{1}$ Praxiteles.
an. $\frac{1}{2}$ Lyſanias.
an. $\frac{2}{3}$ Diphilus.
an. $\frac{3}{4}$ Timocles.

LXXXV.

an. $\frac{4}{1}$ Myrichides.
an. $\frac{1}{2}$ Glaucidas.
an. $\frac{2}{3}$ Theodorus.
an. $\frac{3}{4}$ Euthymenes.

LXXXVI.

an. $\frac{4}{1}$ Lyſimachus.
an. $\frac{1}{2}$ Antilochides.
an. $\frac{2}{3}$ Chares.
an. $\frac{3}{4}$ Apſeudes.
an. 4. Apſeudes.

LXXXVII.

an. 1. Pythodorus.
an. 2. Euthydemus.
an. 3, Apollodorus.
an. 4. Epaminondas.

OLYMPIAS
LXXXVIII.

an. 1. Diotimus.
an. 2. Euclides.
an. 3. Euthydemus.
an. 4. Stratocles.

LXXXIX.

an. 1. Iſarchus.
an. 2. Aminias.
an. 3. Alcaeus.
an. 4. Ariſtion.

XC.

an. 1. Aſtyphilus.
an. 2. Archias.
an. 3. Antipho.
an. 4. Euphemus.

XCI.

an. 1. Ariſtomneſtus.
an. 2. Chabrias.
an. 3. Piſander.
an. 4. Cleocritus.

CXII.

an. 1. Callias.
an. 2. Theopompus.
an. 3. Glaucippus.
an. 4. Diocles.

XCIII.

an. 1. Eučtemon.
an. 2. Antigenes.
an. 3. Callias II.
an. 4. Alexias.

XCIV.

an. 1. Pythodorus, *vel* Anarchia.
an. 2. Euclides.
an. 3. Micio.
an. 4. Exaenetus.

OLYMPIAS
XCV.

an. 1. Laches.
an. 2. Ariſtocrates.
an. 3. Itychles.
an. 4. Lyſiades.

XCVI.

an. 1. Phormio.
an. 2. Diophantus.
an. 3. Eubulides.
an. 4. Demoſtratus.

XCVII.

an. 1. Philocles.
an. 2. Nicoteles.
an. 3. Demoſtratus.
an. 3. Antipater.

XCVIII.

an. 1. Pyrrhio.
an. 2. Theodotus.
an. 3. Myſtichides.
an. 4. Dexitheus.

XCIX.

an. 1. Diotrephes.
an. 2. Phanoſtratus.
an. 3. Evander.
an. 4. Demophilus.

C.

an. 1. Pytheas.
an. 2. Nicon.
an. 3. Nauſinicus.
an. 4. Calleas.

CI.

an. 1. Chariſander.
an. 2. Hippodamas.
an 3. Socratides.
an. 4. Aſteius.

OLYM-

OLYMPIAS
CII.
an. 1. Alciſthenes.
an. 2. Phraſiclides.
an. 3. Dyſcinetus.
an. 4. Lyſiſtratus.
CIII.
an. 1. Nauſigenes.
an. 2. Polyzelus.
an. 3. Cephiſodorus.
an. 4. Chion.
CIV.
an. 1. Timocrates.
an. 2. Chariclides.
an. 3. Molon.
an. 4. Nicophemus.
CV.
an. 1. Callimedes.
an. 2. Euchariſtus.
an. 3. Cephiſodorus.
an. 4. Agathocles.
CVI.
an. 1. Elpines.
an. 2. Calliſtratus.
an. 3. Diotimus.
an. 4. Eudemus.
CVII.
an. 1. Ariſtodemus.
an. 2. Theſſalus.
an. 3. Apollodorus.
an. 4. Callimachus.
CVIII.
an. 1. Theophilus.
an. 2. Themiſtocles.
an. 3. Archias.
an. 4. Eubulus.

OLYMPIAS
CIX.
an. 1. Lyciſcus.
an. 2. Pythodorus.
an. 3. Soſigenes.
an. 4. Nicomachus.
CX.
an. 1. Theophraſtus.
an. 2. Lyſimachides.
an. 3. Chaerondas.
an. 4. Phrynicus.
CXI.
an. 1. Pythodemus.
an. 2. Evaenetus.
an. 3. Cteſicles.
an. 4. Nicocrates.
CXII.
an. 1. Nicetas.
an. 2. Ariſtophanes.
an. 3. Ariſtophon.
an. 4. Cephiſophon.
CXIII.
an. 1. Euthycritus.
an. 2. Hegemon.
an. 3. Chremes.
an. 4. Anticles, Soſicles.
CXIV.
an. 1. Hegeſias.
an. 2. Cephiſodorus.
an. 3. Philocles.
an. 4. Archippus.
CXV.
an. 1. Neaechmus.
an. 2. Apollodorus.
an. 3. Archippus.
an. 4. Demogenes.

OLYM-

OLYMPIAS
CXVI.
an. 1. Democlides.
an. 2. Praxibulus.
an. 3. Nicodorus.
an. 4. Theophraſtus.
CXVII.
an. 1. Polemo.
an. 2. Simmides.
an. 3. Hieromnemon.
an. 4. Demetrius.
CXVIII.
an. 1. Charinus.
an. 2. Anaxicrates.
an. 3. Coroebus.
an. 4. Euxenippus.
CXIX.
an. 1. Pherecles.
an. 2. Leoſtratus.
an. 3. Nicocles.
an. 4. Calliarchus.
CXX.
an. 1. Hegemachus.
an. 2. Euctemon.
an. 3. Mneſidemus.
an. 4. Antiphates.
CXXI.
an. 1. Nicias.
an. 2. Nicoſtratus.
an. 3. Olympiodorus.
an. 4. Philippus.
CXXII.
an. 1. . . . .
an. 2. . . . .
an. 3. Philippus.
an. 4. . . . .

OLYMPIAS
CXXIII.
an. 1. Diphilus.
an. 2. Diocles.
an. 3. . . . .
an. 4. . . . .
CXXV.
an. 1. Gorgias.
an. 2. Anaxicrates.
an. 3. Democles.
an. 4. . . . .
CXXVII.
an. 1. . . . .
an. 2. Pytharatus.
CXXXIX.
an. 1. Diognetus.
CXXX.
Archenides.
CLVIII.
an. 2. Antitheus.
CLXII.
an. 1. Heraclitus.
CLXIII.
an. 3. Agathocles.
an. 4. Iaſon.
CLXXIII.
an. 1. Athenion, *vel* Ariſtion.
CLXXVII.
an. 3. Magnus Gaius.
CLXXX.
an. 1. Herodes.
CLXXXII.
an. 1. Polycharmus.
CLXXXVIII.
an. 2. Nicias.
an. 3. Areus.

OLYMPIAS
CLXXXVIIII.
an. 4. Claudius Attalus.
. . . .
Nauſias.
Lyciſcus.
Dionyſius.
Theo.
Agaſias.
CXCVII.
an. 1. Rhoemetalces Thraciae (Rex.
CXCVIII.
an. 3. Zeno.
CCV.
an. 1. Metrodorus.
. . . .
Themiſtocles.
CCVI.
an. 1. Antipater.
CCVII.
an. 1. Dinophilus.
CCVIII.
an. 1. Dionyſodorus.
an. 4. Conon.
CCX.
an. 1. Thraſyllus.
CCXI.
an. 1. Demoſtratus.
CCXIV.
an. 1. Atelianus.
CCXV.
an. 3. Anarchia.
CCXVIII.
an. 1. Domitianus Auguſtus.
CCXXII.
an. 1. Ariſtarchus.

OLYMPIAS
CCXXII.
an. 4. Hadrianus Auguſtus.
CCXXIII.
an. 4. Macrinus.
. . . .
Nicaretus.
Paranomus.
Dionyſius.
Circa CCXVI.
Tiberius Iulius Macer.
C. Iulius Caſius.
Lucius Bulaeus.
M. Munatius Maximinus Vopiſcus.
. . . . . Carpus.
. . . . us Palleneus.
Demoſtratus.
CCXXVII.
an. 4. Hadrianus Auguſtus.
. . . .
Cl. Heraclides.
CCXXIX.
an. 1. Herodes Atticus.
Circa CCXXX.
Tiberius Claudius. Soſpis.
Circa CCXXXVI.
Tiberius . . . . Ponticus.
Theopompus.
M. Valerius Mamertinus.
Hiceſius.
Philotimus.
Circa CCXL.
M. Aurelius Litophorus (Proſdectus.

OLYMPIAS
CCXLIV.
an. 1. . . . . Protus.
CCXLV.
an. 1. Apollonius.
CCL.
an. 1. Philinus.
CCLIX.
an. 4. M. Vlpius Eubiotus.
CCLXI.
an. 1. Gallienus Auguſtus.
Circa CCLXII.
P. Herennius Dexippus.
CCLXXVI.
an. 1. Conſtantinus Auguſtus.

OLYMPIAS
Circa CCLXXVII.
Flavius Prulades. *Vid.* *I. p.* 380.
CCCXVI.
an. 1. Nicagoras II.
Circa CCCXX.
Theagenes.
Ante LXX.
Socratides. *Vide II.* *p.* 92.
Circa CXXX.
Apollodorus. *Vid. II.* *p.* 92.

I N D E X I.

ARCHONTVM EPONYMORVM

ORDINE ALPHABETICO DISPOSITVS.

A

	Ann.	Olymp.
Aceſtorides.	4/1	69.
Aceſtorides.	2/3	76.
Adimantus.	3/4	75.
Agaſias.	*poſt*	188.
Agathocles.	4.	105.
Agathocles.	3.	163.
Alcaeus I.	4/2	61.
Alcaeus.	3.	89.

	Ann.	Olymp.
Alciſthenes.	1.	102.
Alexias.	4.	93.
Aminias.	2.	89.
Anarchia.	1.	94.
	& 3.	215.
Anaxicrates.	2.	118.
Anaxicrates.	2.	125.
Anchiſes.	4/1	73.
Anticles.	4.	113.

An-

	Ann.	Olymp.
Antidotus.	1/2	82.
Antigenes.	2.	93.
Antilochides.	1/2	86.
Antipater.	4.	97.
Antipater.	1.	206.
Antiphates.	4.	120.
Antipho.	3.	190.
Antitheus.	2.	158.
Apollodorus.	3.	87.
Apollodorus.	3.	107.
Apollodorus.	2.	115.
Apollodorus.	*Circa*	130.
Apollonius.	1.	245.
Apſephion.	3/4	77.
Apſeudes.	3/4	86.
Archeſtratides.	3/4	50.
Archias.	2.	90.
Archias.	3.	108.
Archippus.	4.	114.
Archippus.	3.	115.
Archidemides.	4/1	79.
Areus.	3.	188.
Ariſtarchus.	1.	222.
Ariſtides.	3/4	72.
Ariſtion.	4.	89.
Ariſtocles.	3/4	43.
Ariſtomenes.	2/3	52.
Ariſton.	3/4	81.
Ariſtomneſtus.	1.	91.
Ariſtocrates.	2.	95.
Ariſtodemus.	1.	107.

	Ann.	Olymp.
Ariſtophanes.	2.	112.
Ariſtophon.	3.	112.
Arrhenides.	1.	130.
Aſteius.	4.	101.
Aſtyphilus.	1.	90.
Atelianus.	1.	214.
Athenion.	1.	183.
M. Aurelius Lithophorus.	*Circa*	240.
Autoſthenes.	4/1	28.

B

Bion.	2/3	80.

C

Calleas.	4.	100.
Callias I.	4/1	81.
Callias.	1.	92.
Callias.	3.	93.
Calliades.	4/1	75.
Calliarchus.	4.	119.
Callimachus.	4.	107.
Callimachus.	2/3	83.
Callimedes.	1.	105.
Calliſtratus.	2.	106.
Cephiſodorus.	3.	103.
Cephiſodorus.	3.	105.
Cephiſodorus.	2.	114.
Cephiſophon.	4.	112.
Chabrias.	2.	91.
Chaerephanes.	4/1	82.

	Ann.	Olymp.
Chaerondas.	3.	110.
Chares.	$\frac{4}{1}$	77.
Chares.	$\frac{2}{3}$	86.
Chariclides.	2.	104.
Charinus.	1.	118.
Chariſander.	1.	101.
Chion.	4.	103.
Chremes.	3.	113.
Claudius Attalus.	4.	118.
Ti. Claudius Soſpis. *Circa*		230.
Claudius Heraclides.		227.
Cleocritus.	4.	91.
Cliſthenes.	$\frac{3}{4}$	67.
Comias.	$\frac{4}{1}$	55.
Conon.	$\frac{2}{3}$	79.
Conon.	4.	208.
Conſtantinus.	1.	276.
Coroebus.	3.	118.
Creon.	$\frac{1}{2}$	24.
Critias I.	$\frac{4}{1}$	46.
Creſicles.	3.	111.

D

DAmaſias I.	$\frac{1}{2}$	35.
Damaſias II.	$\frac{3}{4}$	48.
Demetrius.	4.	117
Democles.	3.	125.
Democlides.	1.	116.
Demogenes.	4.	115.
Demophilus.	4.	99.
Demoſtratus.	4.	96.

	Ann.	Olymp.
Demoſtratus.	3.	97.
Demoſtratus.	1.	211.
Demoſtratus.	*Circa*	226.
Demotion.	$\frac{2}{3}$	77.
Dexitheus.	4.	98.
Dinophilus.	1.	207.
Diocles.	2.	123.
Diocles.	4.	92.
Diognetus.	$\frac{4}{1}$	72.
Diognetus.	1.	129.
Dionyſius.	*poſt*	223.
Dionyſius.	*poſt*	188.
Dionyſodorus.	1.	208.
Diophantus.	2.	96.
Diotimus.	1.	88.
Diotimus.	3.	106.
Diotrephes.	1.	99.
Diphilus.	1.	123.
Diphilus.	$\frac{2}{3}$	84.
Domitianus.	1.	218.
Dracon.	$\frac{4}{1}$	39.
Dromoclides.	$\frac{1}{2}$	76.
Dropides.	$\frac{3}{4}$	46.
Dropilus.	$\frac{4}{1}$	34.
Dyſnicetus.	3.	102.

E

ELpines.	1.	106.
Epaminondas.	4.	87.
Erxiclides.	$\frac{4}{1}$	58.

Evae-

	Ann.	Olymp
Evaenetus.	2.	111.
Evander.	3.	99.
Eubulides.	3.	96.
Eubulus.	4.	108.
Euchariſtus.	2.	105.
Euclides.	2.	88.
Euclides.	2.	94.
Eucrates.	$\frac{4}{1}$	47.
Euctemon.	1.	93.
Euctemon.	2.	120.
Eudemus.	4.	106.
Euphemus.	4.	90.
Euthippus.	$\frac{3}{4}$	79.
Euthyclitus.	1.	113.
Euthydemus.	$\frac{4}{1}$	56.
Euthydemus.	$\frac{2}{3}$	82.
Euthydemus.	2.	87.
Euthydemus.	3.	88.
Euthymenes.	$\frac{3}{4}$	85.
Euxenippus.	4.	118.
Exaenetus.	4.	94.

F

FLavius Prulades.	*poſt*	274.

G

GAllienus.	1.	261.
Glaucides.	$\frac{1}{2}$	85.
Glaucippus.	3.	92.

	Ann.	Olymp.
Gorgias.	1.	125.

H

HAdrianus.	4.	222.
	& 4.	227.
Hegemachus.	1.	120.
Hegemon.	2.	113.
Hegeſias.	1.	114.
Hegeſtratus.	$\frac{1}{2}$	55.
Heniochides.	$\frac{1}{2}$	41.
Heraclides.	$\frac{3}{4}$	61.
Heraclitus.	1.	162.
P. Herennius Dexippus.	*Circa*	262.
Herodes.	1.	180.
Herodes Atticus.	1.	229.
Hiceſias.	*Circa*	230.
Hieromnenon.	3.	117.
Hipparchus.	$\frac{4}{1}$	71.
Hippoclides.	$\frac{2}{3}$	53.
Hippodamas.	2.	101.
Hybrilides.	$\frac{1}{2}$	72.

I

IAſon.	4.	163.
Iſagoras.	$\frac{4}{1}$	68.
Iſarcus.	1.	89.
Ithycles.	3.	95.
C. Iulius Caſius.	*Circa*	226.
Ti. Iulius Macer.	*Circa*	227.

L

	Ann.	Olymp.
Laches.	1.	95.
Lacratides.	$\frac{1}{2}$	73.
Leoſtratus.	$\frac{1}{2}$	27.
Leoſtratus.	$\frac{4}{1}$	74.
Leoſtratus.	2.	119.
Lucius Bulaeus.	*Circa*	126.
Lyciſcus.	1.	109.
Lyciſcus.	*poſt*	188.
Lyſanias.	$\frac{2}{3}$	78.
Lyſanias.	$\frac{1}{2}$	84.
Lyſiades.	4.	95.
Lyſias.	$\frac{3}{4}$	24.
Lyſicrates.	$\frac{3}{4}$	81.
Lyſimachides.	$\frac{3}{4}$	83.
Lyſimachides.	2.	110.
Lyſimachus.	$\frac{4}{1}$	86.
Lyſiſtratus.	$\frac{1}{2}$	78.
Lyſiſtratus.	4.	102.
Lyſitheus.	$\frac{3}{4}$	78.

M

	Ann.	Olymp.
Macrinus.	4.	223.
Magnus Gaius.	3.	177.
Megacles.	$\frac{4}{1}$	42.
Menon.	$\frac{3}{4}$	76.
Metrodorus.	1.	205.
Micio.	3.	94.
Miltiades.	$\frac{4}{1}$	29.
Miltiades.	$\frac{1}{2}$	30.
Miltiades.	$\frac{4}{1}$	64.
Miltiades.	$\frac{2}{3}$	73.
Mnaſippus.	*Circa*	100.
	Vide II.	89.
Mneſidemus.	3.	120.
Mneſitheus.	$\frac{3}{4}$	80.
Molon.	3.	104.
M. Munatius.	*Circa*	226.
Myrichides.	$\frac{4}{1}$	85.
Myrus.	$\frac{4}{1}$	70.
Myſtichides.	3.	98.

N

	Ann.	Olymp.
Nauſias.	*Circa*	188.
Nauſigenes.	1.	103.
Nauſinicus.	3.	100.
Neaechmus.	1.	115.
Nicagoras II.	1.	316.
Nicaretus.	*Circa*	223.
Nicetas.	1.	112.
Nicias.	1.	121.
Nicias.	2.	188.
Nicocles.	3.	119.
Nicocrates.	$\frac{2}{4}$	111.
Nicodemus.	$\frac{2}{3}$	74.
Nicodorus.	3.	116.
Nicomachus.	4.	109.
Nicon.	2.	100.
Nicophemus.	4.	104.
Nicoſtratus.	2.	121.

Ni-

	Ann.	Olymp.
Nicoteles.	2.	97.

P

	Ann.	Olymp.
PAranomus.	*Circa*	223.
Pediaeus.	3/4	82.
Phaedon.	4/1	76.
	& 3/4	77.
Phaenippus II.	2/3	72.
Phanoſtratus.	2.	99.
Pherecles.	1.	119.
Philinus.	1.	250.
Philippus.	4/1	48.
Philippus.	1/2	71.
Philippus.	4.	121.
Philiſcus.	4/1	82.
Philocles.	2.	80.
Philocles.	1.	97.
Philocles.	3.	119.
Philocrates.	3/4	73.
Philombrotus.	1/2	46.
Philotimus.	*Circa*	236.
Phormio.	1.	96.
Phraſiclides.	4.	80.
Phraſiclides.	2.	102.
Phrynicus.	4.	110.
Piſander.	3.	91.
Piſiſtratus.	3/4	27.
Polemo.	1.	117.
Polycharmus.	1.	182.
Polyzelus.	2.	103.
Praxibulus.	2.	116.
Praxiergus.	1/2	77.
Praxiteles.	4/1	84.
Protus.	1.	244.
Pyrrhio.	1.	98.
Pytharatus.	2.	127.
Pytheas.	1.	100.
Pythocritus.	2/3	71.
Pythodemus.	1.	111.
Pythodorus.	1.	87.
Pythodorus.	1.	94.
Pythodotus.	2.	109.

R

	Ann.	Olymp.
RHoemetalces. Thraciae rex.	1.	197.

S

	Ann.	Olymp.
SImon.	2/3	46.
Simonides.	2.	117.
Socratides.	*ante*	70.
Socratides.	3.	101.
Solon.	2/3	46.
Soſicles.	4.	113.
Soſigenes.	3.	109.
Soſiſtratus.	1/2	81.
Stratocles.	4.	88.

T

	Ann.	Olymp.
Theagenes.	*Circa*	320.
Theagenides.	4/1	78.
Themiſtocles.	3/4	71.
Themiſtocles.	2.	108.
Themiſtocles		205.
Theo.	*Circa*	188.
Theodorus.	2/3	85.
Theodotus.	2.	98.
Theophilus.	1.	108.
Theophraſtus.	1.	110.
Theophraſtus.	4.	116.
Theopompus.	2.	92.
Theopompus.	*Circa*	230.
Theſſalus.	2.	107.
Thraſyllus.	1.	210.
Tiberius ..... Ponticus.	*Circa*	230.
Timarchides.	1/2	83.
Timocles.	3/4	84.
Timocrates.	1.	104.
Timoſthenes.	2/3	75.
Tlepolemus.	1/2	79.
Tleſias.	2/3	24.

V

	Ann.	Olymp.
M. Valerius Mamertinus.	*Circa*	230.
M. Vlpius Eubiotus.	4.	259.

X

	Ann.	Olymp.
Xanthippus.	1/2	75.

Z

	Ann.	Olymp.
Zeno.	3.	198.
.... Carpus.	*Circa*	226.
... us Palleneus.	*Circa*	226.
Pantecles. *incer. vid. II.*		119.

INDEX II.

ARCHONTVM EPONYMORVM NOMINA

VT IN QVIBVSDAM SCRIPTORIBVS DEPRAVATA OCCVRRVNT.

A

	Ann.	Olymp.
Abion. *Vide III. pag. 206.*	2/3	80.
Alcmaeon.	2/3	89.
Aminias.	3/4	87.
Anicetes.	1.	112.
Aphepſion.	3/4	77.
Archidas.	3.	108.

	Ann.	Olymp.
Archimedes.	$\frac{4}{1}$	79.
Arepſion.	$\frac{3}{4}$	77.
Arimneſtus.	$\frac{4}{1}$	91.
Ariſtaeus.	$\frac{3}{4}$	101.
Ariſtion.	$\frac{4}{1}$	173.
Ariſton.	$\frac{3}{4}$	89.
Ariſtophilus.	$\frac{4}{1}$	90.
C		
CAeſimus.	$\frac{4}{1}$	118.
Calamio.	$\frac{4}{1}$	105.
Callias.	$\frac{4}{1}$	75.
Callias.	$\frac{3}{4}$	100.
Callidemides.	$\frac{4}{1}$	105.
Cephiſodorus.	$\frac{2}{3}$	103.
Cephiſon.	$\frac{3}{4}$	112.
Chaeronidas.	$\frac{2}{3}$	110.
Chariander.	$\frac{4}{1}$	101.
Clearchus.	$\frac{3}{4}$	91.
Corybus.	$\frac{2}{3}$	118.
D		
DAmaſides.	$\frac{2}{3}$	47.
Dimylus.	$\frac{4}{1}$	78.
Diocles.	$\frac{2}{3}$	114.
Dyſnicetus.	$\frac{2}{3}$	102.
E		
ELpinices.	$\frac{4}{1}$	106.
Epaminon.	$\frac{3}{4}$	87.
Eucles.	$\frac{1}{2}$	88.

	Ann.	Olymp.
Eudorus.	$\frac{3}{4}$	108.
Evippus.	$\frac{3}{4}$	79.
Euthymus.	$\frac{2}{3}$	88.
G		
GLaucippus. *Vide III. pag.* 223.	$\frac{1}{2}$	85.
H		
HIppodamus.	$\frac{1}{2}$	101.
L		
LEocritus.	$\frac{3}{4}$	91.
Lycoſtratus.	$\frac{1}{2}$	121.
Lyſagoras.	$\frac{4}{1}$	68.
M		
MEnander.	$\frac{2}{3}$	99.
Micon.	$\frac{2}{3}$	94.
Mneſithides.	$\frac{3}{4}$	80.
N		
NAuſimachus.	$\frac{4}{1}$	86.
Nicaraetus.	$\frac{4}{1}$	112.
Nicodemus.	$\frac{3}{4}$	104.
Nicoſtratus.	$\frac{3}{4}$	111.
P		
PEricles.	$\frac{3}{4}$	84.
Phaenippus.	$\frac{4}{1}$	48.
Phraſicles.	$\frac{4}{1}$	80.
Pyrgio.	$\frac{4}{1}$	98.
Pythodorus.	$\frac{1}{2}$	109.
Pythodorus.	$\frac{4}{1}$	111.

Scy-

S	Ann.	Olymp.
Scythodorus. *Vide III. pag. 236.*	2/3	85.
Simonides.	2/3	47.
Suniades.	3/4	95.
T		
Theellus, & Thellus.	1/2	107.
Theodemus.	3/4	107.
Theomnetus.	4/1	108.
Thericles.	3/4	61.
Thumedus.	4/1	108.
X		
Xenaenetus.	3/4	94.
Xenippus.	3/4	118.

INDEX III.

ARCHONTES PSEVDEPONYMI.

Agyrrhius. *Circa Olym.*		90.
Ariſtides.	2.	78.
Cebris.	3.	75.
Chaerondas.	1/2	110.
Cteſides. *Circa Olymp.*		90.
Demonicus.	3.	105.
Euthycles.	2.	110.
Heropythes.	2.	110.
Mnaſippus. *Circa* *Vid. II. p. 89.*		100.
Mneſiphilus.	2.	108.
Mneſithides.	4/1	110.
Myronides. *Circa Olymp.*		80.
Nauſicles.	2.	110.
Neocles.	3/4	109.
Nicias.	4/1	110.
Nicias. *Circa Olymp.*		90.
Nicocles.	3/4	109.
Phocion.	3.	115.
Piſiſtratus. *ante Olymp.*		67.
Polycles.	2/3	109.
Themiſtocles.	4.	75.
Xenias, *Circa Olymp.*		114.
Incerti.		
Epiciates.	3.	183.
Procles. *ante inſtit. Olymp.*		

INDEX IV.

SCRIPTORES QVI FREQVENTIVS IN FASTIS ATTICIS EMENDANTVR, AVT ILLVSTRANTVR.

Prior numerus indicat Tomum, alter paginam.

A

ADRIANI obſcurus locus explicatur. I. 13. 14.
depravatus reſtituitur. III. 226.
error indicatur. III. 150. 166
Africani locus notatus. III. 44.
ſuppletus. IV. 106.
Alciphrontis locus explicatur I. 25.
Andromachus Etymologici auctor demonſtratur. I. 386.
Antigoni Caryſtii locus duplex tentatus I. 328. 329.
emendatus III. 58.
Appiani locus explicatus IV. 110.
Ariſtophanis locus contra Meurſium explicatus I. 22. II. 306.
Arriani locus explicatur. II. 31.
emendatur. IV. 43.
tentatur. IV. 52.
Athenaei locus reſtituitur. II. 147.
tentatur. II. 355.
contra Meurſium defenditur. III. 3.
reſtituitur. IV. 73. 65.

B

BRukeri error indicatur. IV. 200.

C

CIceronis locus explicatus. IV. 109. 113.
Clerici error oſtenſus. III. 77.
Cyrilli locus defenſus. III. 102.

D

DEmoſthenis locus explicatus. I. 33. 74. IV. 22.
reſtitutus. I. 129. 143. 146.
emendatus. I. 236. III. 101. IV. 34.
Diodori lacuna, veruſque eius locus indicatur. II. 15.
locus emendatur. III. 250. IV. 27. 63.
Dionis locus emendatus. IV. 137.
Dionyſii locus reſtitutus. I. 361. IV. 30. 32. 33. 65.
explicatus. III. 23.
emendatus. I. 138.
vindicatus. IV. 44.
ſuppletus. II. 23.
Dodvelli opinio refutata. I. 82. 123 270. 294. III. 168.
error demonſtratus. III. 108. 160. 182. 193. 293. IV. 10. 13. 17. 22. 69. 77. 78. 178.

E

ETymologi nomen hactenus ignotum indicatur. I. 386.
locus explicatur. I. 102.
emendatur. I. 156. III. 99.
error indicatur III. 23.

Eunapii locus explicatus. IV. 198.
Euſebii locus emendatus. III. 1.
reſtitutus. III. 11. 92.
explicatus. III. 106.
ſuppletus. III. 116.
error indicatus. III. 39. 46. 86.

F

FAbricii error oſtenſus. IV. 68. 75. 95. 200.

G

GEmini obſcurus locus explicatur. I. 88.

H

HArpocrationis locus explicatus. I. 20.
reſtitutus. I. 335.
Herodoti locus explicatus. III. 98. 128.
Heſychii locus emendatus. I. 335. II. 123.
tentatus. II. 315.
reſtitutus. II. 376.
Hieronymi error oſtenſus. III. 15. 251. IV. 52.

I

Ioſephi inſignis locus emendatus. I. 280.
error indicatus. IV. 115.

L

LAërtii locus reſtitutus, & explicatus. I. 282.
defenſus. II. 47.
tentatus. III. 139. IV. 82.
reſtitutus. III. 112. 191.
emendatus, & explicatus. III. 11. 56. 84. 104. 304.
error indicatus. III. 300.
Lyſiae locus explicatus. I. 16.
Livii locus contra Meurſium expoſitus. IV. 98.

M

MEurſii emendatio refutata. I. 8. 13. 16. 206. 231. 361. II. 47. III. 3. 73. IV. 44.
inconſtantia. I. 39. 212.
error oſtenſus. I. 16. 20. 22. 27. 33. 41. 44. 204. 292. II. 59. 218. 234. 306. 311. 317. 319. 322. 323. 324. 331. 353. 357. 370. III. 5. 9. 49. 57. 64. 81. 123. 132. 137. 143. 172. 174. 177. 192. 202. 233. IV. 5. 12. 58. 69. 77. 78. 98. 190. 198. 202.

P

PAlmerius notatus. I. 234.
Pauſaniae textus vindicatus. I. 8. IV. 44.
defenſus. I. 10.
locus reſtitutus. III. 13.
coniectura reſtitutus. III. 33.
emendatus. III. 39. IV. 83.
tentatus. III. 52.
explicatus. III. 220.
error indicatus. I. 11. III. 7. 155.
Perizonius ad Aelianum refellitur. I. 14.
Petavius refutatus. I. 77. 103.
notatus. III. 5. 38. 57. 64.
emendatus. IV. 51. 95.
Petiti error oſtenſus. I. 71.
Philoſtratus contra Meurſium expoſitus. I. 4.
explicatus. I. 109. II. 115. III. 4.
Platonis locus a Meurſii emendatione vindicatus, & explicatus III. 73.
Plinii locus emendatus. IV. 61.
Plutarchi locus reſtitutus. I. 32.
explicatus I. 27.
contra Meurſium expoſitus. I. 41. 361.

du-

duplex reſtitutus. II. 71.
emendatus. I. 60. 63. 361. III. 191. 259. IV. 55.
contra Fabricium defenſus. IV. 162.
Pollucis mutilus locus ſuppletur, & explicatur. I. 24.
contra Petavium exponitur. I. 78.
coniectura explicatur. I. 118.

S

SCaligeri error oſtenſus. III. 10. 43. 154. 292. IV. 40. 77. 96.
Scholiaſta Ariſtophanis explicatur. I. 81.
emendatur, ac illuſtratur. III. 215.
emendatur. III. 242.
Pindaricus emendatus. II. 59. III. 177.
Aeſchyli correctus. III. 200.
Thucydidis emendatus. III. 228.
Aeſchinis emendatus. IV. 27.
Stephani locus emendatus. I. 226.
reſtitutus. I. 245. III. 12.
Strabonis locus tentatus. III. 237.
Suidae error oſtenſus. III. 21. IV. 52.
locus explicatus. III. 3.
emendatus. III. 235.
Syncelli error oſtenſus. IV. 115.

T

THucydidis locus a Meurſii emendatione vindicatus. I. 206.
illuſtratus. III. 24.
explicatus. III. 184.
Themiſtoclis Epiſtolae apocryphae demonſtrantur. I. 145.
Theophraſti locus emendatus, aut explicatus. II. 322.
Tatiani locus emendatus. III. 88.

Z

ZOnarae locus emendatus. IV. 189.

INDEX V.

Rerum notabilium, quae in FASTIS ATTICIS memorantur, aut explicantur.

A

ABaris Scytha Athenas advenit. III. 6.
Actiaca pugna. IV. 128.
Actiaci anni. IV. 129.
Aerae Antiochenae initium. IV. 62.
Nabonaſſari. III. 16.
Actiacae. IV. 129.
Seleucidarum. IV. 62.
Aeſchyli Tragici ortus. III. 119.
aetas. II. 49. III. 134.
mors. III. 193. 202.
Aeſiti quinam forent? II. 145.
Aeſopi aetas. III. 90.
mors. III. 93.
Alcaei poëtae aetas. III. 67.
Alcmaris poëtae aetas, & patria. III. 50.
Alexandri M. ortus. IV. 23.
aetas. IV. 41.
mors. IV. 50.
Amphictyonici Concilii tempus. I. 147.
Amphiſſenſis belli tempus. I. 140.
Anni civilis Attici forma ex Scaligero. I. 55.
ex Petavio, & Dodvello. I. 56.
confirmatur novis exemplis. I. 59.
eius initium, aut cardo. I. 91. 97. 110.
Anacreontis aetas. III. 118. 119.
Anaxagorae ortus. III. 134.
mors. III. 233.
Anaximandri ortus. III. 65.
aetas. III. 89. 110.
mors. III. 118.
Anaximenis aetas. III. 111.
Andocidis Rhetoris ortus. III. 191.
Antalcidae pax. III. 293.
Antimachi Teii poëtae aetas. III. 14.
Antigonus Macedoniae Rex Athenis honoratus. IV. 67.
Antigonis Tribus inſtituta. *ibi.*
Antiphontis Rhetoris ortus. III. 166.
aetas. III. 253.
M. Antonius in Athenienſes liberalis. IV. 126. 127.
Annus Auguſtaeus. IV. 129. 138.
Aegyptius. IV. 129.
quando fixus eſſe coepit. IV. 130.
Apene quando Olympiae recepta. III. 134.
quando ſublata. III. 212.
Apologia pro Chriſtianis Hadriano Athenis oblata. IV. 168.
Apollodori hiſtorici aetas. IV. 107.
Ara Ignoto Deo Athenis excitata. IV. 152.
Archontes Athenis prius perpetui, mox decennales, tandem annui. I. 4.
annui quando inſtituti? I. 6.
quinam eſſe poſſent? I. 15.
quomodo electi? I. 18.
iusiurandum praeſtabant. I. 23.
eorum munera. I. 26. 28. 29.
tribunal. I. 27.
numerus, ac diſtinctio. I. 12.
magiſtratu rite functi Areopagitis adiecti. I. 33.
an iterato eodem munere fungi poſſent? I. 36.
Eponymi quinam forent? I. 12.
he-

hedera, aut myrto coronabantur. I. 24.
iis Servatorum Sacerdotes ſubſtituti. I. 39.
quando deſierint. I. 46.
ſed melius. IV. 202.
Arati Solenſis poëtae aetas. IV. 82.
Arceſilai aetas. IV. 72.
Archilochi Parii poëtae aetas. III. 31.
Aretini poëtae aetas. III. 2.
Ariſtarchi aetas. IV. 107.
Ariſtidis oſtraciſmus. III. 157.
mors. III. 193.
Ariſtotelis ortus. III. 297.
mors. IV. 54.
ſcripta Romam delata. IV. 118.
Areopagi Senatus. I. 261. 262.
eius auctoritas imminuta. III. 196.
quamdiu floruerit? IV. 150. 189.
Ariobarzanes Cappadociae rex Athenienſium amicus. IV. 124.
Armatorum curſus quando Olympiae receptus? III. 121.
Artemiſia Cariae Regina. IV. 25.
Athenagorae Apologia pro Chriſtianis. IV. 182.
Athenae a Sylla, & Romanis captae. IV. 117.
a Mithridate occupatae. IV. 117.
a Macedonibus obſeſſae. IV. 98.
Athenienſes ad mutandas imperii formas propenſi. I. 4.
qua aetate, & quibus ritibus Populis inſcriberentur. I. 198.
Athenarum fortuna varia. IV. 93. 98. 102. 103. 110. 118. 158. 164. 171. 184. 188. 189. 197. 198. 202.
Attalis Tribus inſtituta. IV. 101
Attalus Pergami Rex Athenienſium amicus. IV. 101.
Auguſtus Athenas venit. IV. 137.
Auguſtalia Feſta quando inſtituta? IV. 160.
M. Aurelius Auguſtus in Athenienſes beneficus. IV. 182.

B

Bellum Meſſenium primum quando coeperit? III. 17.
quando deſierit? III. 20.
Secundum quando coeperit? III. 31.
quando deſierit? III. 38. 44.
Amphiſsenſe. I. 140.
Amphictyonicum. III. 71.
Phocenſe. IV. 24. 32.
Sociale. IV. 20. 96.
Achaicum. IV. 110.
Mithridaticum. IV. 117.
Laniacum. IV. 53.
Beroſi Chaldaei aetas. IV. 92.
Boëtii aetas. IV. 201.

C

Callimachi poëtae aetas. IV. 86.
Calpe quando Olympiae recepta. III. 137.
quando ſublata. III. 212.
Carneadis aetas IV. 97. 108. 112.
Carnia feſta quando inſtituta. III. 41.
quo menſe celebrata. III. 41.
Celes quando in Olympiis receptus. III. 54.
pullus quando receptus. IV. 93.
Chaeronenſis pugnae tempus. I. 140. IV. 39.
Chilonis aetas. III. 10. 107.
Chionidis Comici aetas. III. 154.
Choerili Tragici aetas. III. 120.
Chryſippi ortus. IV. 80. 99.
Cicero Athenis moratur. IV. 119.
Cinnabaris conficiendi inventum. III. 262.
Comoedia quando primum Athenis acta. III. 88.
Comitia Athenis in Pnycce habebantur. I. 21.
Corcyra quando condita. III. 27.
Corinthi clades. IV. 110.
Coſmetae quinam eſſent. II. 234. 143.
Cratetis aetas. IV. 47.

Cu-

Curſus pullorum equorum quando Olympiae receptus. III. 296.
Cypſeli Tyranni aetas. III. 7. 48.
Cyri regis initium. III. 99. 113.

D

DAduchus, aut Facifer quis? II. 149.
Delii Archontes ab Athenienſibus diſtincti. I. 370.
Delphici Templi incendium. III. 108.
Expilatio. IV. 21.
Demetrias Tribus inſtituta. *ibi*.
Demetrius Macedoniae rex Athenis honoratus. IV. 67.
Demetrius Phalereus. IV. 63. 65. 67.
eius mors. IV. 80.
Democriti ortus. III. 138. 181.
mors. III. 278.
Demoſthenis aetas. II. 138. IV. 15.
Diaulus quando Olympiae receptus. III. 20.
Dies exemptilis in menſe cavo quaenam foret? I. 68.
Dinarchi Rhetoris aetas. IV. 18. 66. 74.
Dolichus quando in Olympiis admiſſus. III. 23.
Draconis aetas. III. 62.
leges ab illo editae. III. 63.

E

EMpedoclis aetas. III. 137.
Epengraphi quinam eſſent? II. 191.
Ephebi quinam eſſent? II. 140.
Ephori quando Spartae inſtituti. III. 9.
Epibomus quis? II. 151.
Epicuri ortus. IV. 35.
aetas. IV. 63.
mors. IV. 85.
Epimenidis aetas. III. 135.
adventus Athenas. III. 73.
Epiſtata Proedrorum quis. I. 265.
eius munera. I. 266.
Eponymus Archon quis? I. 12.
Eratoſthenis aetas. IV. 83. 94. 103.
Equorum curſus in Olympiis reſtitutus. IV. 149.
Ethnici ritus quando Athenis aboliti. IV. 194. 195. 196. 197. 199.
Evagorae Cypri regis mors. IV. 3.
Eudoxia Auguſta Athenis orta. IV 199.
Eudoxi ortus. III. 242.
aetas. IV. 11.
Eumeli poëtae aetas. III. 7.
Eunapii Sophiſtae aetas. IV. 193.
Euripidis ortus. III. 167.
aetas. 227. 248.
mors. II. 41. 258.

F

FEſta Athenienſium. II. 381.
Flaminini Romanorum Imperatoris res in Graecia praeclare geſtae. IV. 101.
Fortunae bonae nomen decretis praefixum. II. 234.

G

GOrgiae rhetoris aetas. III. 235.
Grammatica poſt Euclidem quae? III. 276.
Gymnaſiarchae qui? II. 144.

H

HAdriani Caeſaris in Athenienſes liberalitas. II. 403. IV. 167. 171.
primus adventus Athenas. IV. 167.
anni ab hoc adventu numerati. II. 403. IV. 174.
Hadrianis Tribus Athenis inſtituta. IV. 168.
Harmodio, & Ariſtogitoni ſtatuae Athenis erectae. III. 128. 171.
Her.

Helices, & Burae excidium. III. 304.
Heracliti aetas. III. 132.
Hermae Athenis truncati. III. 249.
id quando factum. III. 247.
Herodis Attici aetas. IV. 172. 181.
Herodoti ortus. III. 157.
aetas. III. 203. 213. 216.
Hieraules quis? II. 151
Hieroceryx quis? II. 150.
Hierophanta quis? II. 149.
Hippias Piſiſtrati filius Athenis eiectus. III. 124.
Hippocratis ortus. III. 199.
Homeri aetas. III 157.
Hypocoſmetae quinam eſſent? II. 144.
Hypoſophroniſtae quinam eſſent? II. 144.

I

IDrieus Cariae rex. IV. 25.
Iſocratis rhetoris aetas. II. 67. III. 223. IV. 35.
Iulianus Apoſtata Athenis moratur. IV. 193.
Iunonis Argivae templum. III. 241.

L

LAcydis aetas. IV. 93. 97.
Leges Solonis ubi poſitae. I. 24.
Lexiarchicum quid? II. 135.
Lucta quando in Olympiis recepta. III. 27.
puerorum quando inſtituta. III. 59.
Lyſandri mors. III. 288.
Lyſiae rhetoris aetas. II. 69. III. 200. 275. 300.

M

MArathonia pugna. III. 148.
Mauſoli Cariae Regis mors. III. 300. IV. 25.
Menandri Comici ortus. IV. 35.
aetas. IV. 54.
Menandri mors. IV. 76.
Menſium Atticorum Ordo. I. 63. II. 401.
plenorum, & cavorum ſitus novis argumentis oſtenditur. I. 67.
Menſes variarum Gentium. II. 393.
Aeginetici. II. 393.
Aegyptii. II. 394.
Argivi. II. 400.
Attici. II. 401.
Bithyni. II. 408.
Thebani Boeoti. II. 409.
Cappadoces. II. 413.
Coi. II. 414.
Corcyraei. II. 414.
Corinthii. II. 418. III. 287.
Cretenſes. II. 427.
Cyprii. II. 431.
Delii. II. 435.
Delphici. II. 437.
Elidenſes. II. 445.
Epheſii. II. 447.
Iudaici. II. 449.
Laconici. II. 450.
Macedonici. II. 458.
Siculi. II. 418.
Smyrnaei. II. 464.
Teii. II. 465.
Incogniti. II. 469.
Meſſene quando condita. III. 46.
Metonis Cyclus inſtitutus. III. 226.
Militiae tempus apud Athenienſes. II. 135.
Minervae ſtatua Athenis in arce poſita. III. 217.
Minervae Poliadis ſacerdos. I. 43.
Monetae Atticae varietas. II. 223.
qualitas. II. 224.
valor. II. 227.
typus. II. 230.
Symbola. II. 235.
numerales notae. II. 240. 284.
ſiglae. II. 242. 283.
nomina inſcripta. II. 244. 282.
argentea quando ſignata. III. 124.

Na-

N

NAbonaſſari aetas. III. 16.
Nemea Feſta quando inſtituta? III. 91.
Nicomedia quando condita? III. 27.
Novemviri quinam forent? I. 12.
vide Archontes.

O

OLeum ex Attica efferre vetitum. I. 31.
Olympia in Macedonia celebrata. IV. 2.
Olympia Alexandriae quando inſtituta? IV. 178.
Olympici Ludi quando in Elide ſublati? IV. 196.
Olympii Iovis Templum Athenis dicatum. IV. 104. 137.
Onomacriti aetas. III. 87.
Oropus diripitur. IV. 108.

P

PAedotribae Athenis qui? II. 144.
Paredri tribus primis Novemviris dati. I. 32.
Panathenaea quando inſtituta? III. 91.
Pancratium quando Olympiae receptum? III. 53.
puerorum quando inſtitutum? IV. 100.
Paraſiti qui? II. 145.
Paulus Apoſtolus Athenis concionatur. IV. 154.
Pauſaniae aetas IV. 177.
Pentathlum puerorum quando Olympiae receptum? III. 60.
Peloponneſiacum bellum. III. 228.
Periandri aetas. III. 48. 61. 85.
Periclis aetas. III. 232.
Phalaridis aetas. III. 52. 61. 107. 150.
Pherecydis aetas. III. 113. 115.
Philemonis Comici aetas. IV. 47.
mors. IV. 89.
Philoſophi Athenis eiecti. IV. 67.
Philoſtrati aetas. IV. 185.
Philochori hiſtorici aetas. IV. 103.
Phocionis aetas. IV. 42. 58.
Phoſphorus Athenis quis? II. 151.
Phocenſis cladis tempus. I. 132. 135.
Phratriae quid? II. 144.
Phrynici Tragici aetas. III. 172.
Pindari aetas. II. 57. III. 122.
mors. III. 200. 206.
Piraeei munitio quando facta? III. 146.
Piſiſtrati aetas. III. 96.
tyrannis. III. 97. 101. 105. 114. 118. 123. 124.
Pittaci aetas. III. 56. 81. 90.
Plataeae excidium. IV. 6.
Plataeenſes Athenienſis civitatis iure donati. I. 16.
Platonis ortus. III. 230.
mors. IV. 30.
Pnyx Athenarum locus, non Populus, erat. I. 22.
ibi Comitia habebantur. I. 21.
Polemarchus quis? I. 12.
Populi Atticae quid eſſent? I. 191.
ipſorum ſeries. I. 223.
Polemonis hiſtorici aetas. IV. 106.
Pompeii iter Athenas. IV. 122.
Praeco quis? II. 150.
Praxagorae hiſtorici aetas. IV. 192
Proëdri duplicis generis erant. I. 265. 267.
Procli aetas. IV. 101.
Proaereſii in Athenienſes amor. IV. 193.
Prytanes quinam dicerentur? I. 100.
Prytaniae quid? I. 101.
ipſarum diſtributio. I. 105.
ordo varius, ac fortuitus. I. 179.
Pſeudeponymi Archontes quinam dicerentur? I. 293.
quid eſſent? I. 307.
ipſorum nomina, atque aetas. I. 323.

Ptolemais Tribus inſtituta . I. 121.
Pueri quinam dicerentur ? II. 140.
Pugilatus quando Olympiae inſtitutus ? III. 30.
puerorum quando receptus ? III. 63.
Pugna ad Mycalem. III. 169.
Salaminam. III. 164.
Plataeas . III. 169.
Argynuſas . III. 261.
Naxum. III. 303. IV. 1.
Mantineam . IV. 16.
Leuctras . IV. 7.
Pharſalica . IV. 125.
Actiaca . IV. 128.
Marathonia. III. 148.
Pythagorae aetas . III. 117. 122. 152.
Pythia quo anno Olympico celebrata ? II. 64. *ſed melius*. II. 295.
quando inſtituta ? III. 81.

Q

QVadringenti Athenis inſtituti . III. 253.
Quinquertium quando Olympiae receptum ? III. 27.

R

REx Novemvirorum ,ſive Archontum unus . I. 12.
Rhoemetalces Thraciae Rex. IV. 147.
Athenis Archon fuit . II. 194.
Roma quando condita ? III. 13. 14.
Romae Deae Sacerdos . IV. 141.
Romulus quando natus ? III. 5.

S

SAcadae Argivi aetas . III. 3.
Sacerdos Deae Romae , & Auguſti . I. 43.
Minervae Poliadis . I. 43.
Sacerdotes Servatorum quando Athenis inſtituti ? I. 39.
quando ſublati ? I. 40.
Sapphonis poëtriae aetas . III. 67.
Scribae eorumque varietas . II. 153.
Senatus Athenienſis forma. I. 261.
qua die cogeretur ? I. 264.
quotuplex foret ? I. 260.
Senatores quinam ? I. 265.
Areopagiticus . *Vide* Areopagus .
Simonidis poëtae aetas . III. 102.
Socratis aetas . II. 46.
mors . III. 280.
Solonis aetas . III. 77.
itinera . III. 99.
mors . III. 100.
leges . III. 77.
ubi ſervatae . I. 24.
Sophoclis Tragici ortus . III. 140. 181. 189. 217.
mors . III. 260.
Sophroniſtae qui ? II. 144.
Speuſippi aetas . IV. 30. 38.
Steſichori poëtae aetas . III. 59. 60.
Strategi quando Athenis inſtituti . I. 45.
diſtinguendi ab Epiſtatis Prytaniarum. I. 303.
Stadium Panathenaicum quando Athenis exſtructum ? IV. 173.
puerorum quando in Olympiis receptum ? III. 59.
Stratonis phyſici aetas . IV. 86.
Synoris , aut biga quando in Olympiis recepta ? III. 256.
Syracuſas colonia deducta . III. 11.

T

TArentum quando conditum ? III. 27.
Terpandri Muſici aetas . III. 55.
Tethrippus quando in Olympiis receptus ? III. 39.
Thaletis ortus . III. 56.
mors . III. 108.
Thaſus urbs quando condita ? III. 25.
Theagenes Archon videtur Pſeudeponymus . I. 384.
ſed vere Eponymus fuit . IV. 200

Themiſtoclis exilium. III. 180.
mors. III. 193. 208.
Theognidis poëtae aetas. III. 109.
Theſei oſſa Athenas translata. III. 174. 189.
Theophraſti aetas. IV. 53. 89.
Theſmothetae Archontes quinam eſſent? I. 12.
Theſpidis Tragici aetas. III. 115.
Thraſybuli mors. III. 289.
Thucydidis ortus. III. 180.
aetas. III. 285. 289.
Tleſias Archon quando imperaverit? I. 11.
Traianus Auguſtus Athenis moratur. IV. 165.
Tragoedia quando primum Athenis acta? III. 115.
Trieres quando primum conſtructae? III. 8.
Tribus Athenienſes. I. 114.
ipſarum origo, numerus. I. 116.
denarius numerus. III. 128.
ordo ſemper conſtans. I. 120.
in Scriptoribus perturbatus. I. 120.
verus ordo demonſtratur. I. 155. 176.
Tribus novae Antigonis, & Demetrias Athenis inſtitutae. IV. 67.
Triginta Tyranni Athenis inſtituti. III. 264.
quando ſublati? III. 280.
Tubicen, aut Praeco quando in Olympiis recepti? III. 283.
Tyrtaei poëtae aetas. III. 32.

V

VEſpaſianus Auguſtus libertatem Athenienſibus adimit. IV. 158.

X

XEnocratis mors. IV. 61.
Xenophanis aetas. III. 57. 116.
Xenophontis aetas. III. 179. IV. 19.

Z

ZEugitae Athenis quinam eſſent? III. 77.
Zenonis Eleatae aetas. III. 134.
Zenonis Stoici aetas. IV. 87. 91.

F I N I S.

IN IV. VOLVMEN

FASTORVM ATTICORVM

PROLEGOMENA

QVAE COMPLECTVNTVR

INSCRIPTIONES ATTICAS

NVNC PRIMVM

EX CL. MAFFEII SCHEDIS

IN LVCEM EDITAS

LATINA INTERPRETATIONE

BREVIBVSQVE OBSERVATIONIBVS

ILLVSTRATAS.

I.

Athenis

in Ecclesia Deiparae

. . . Μειυνιωνος θελισι . . . .
πουτης παντελειας ποπαν . . . .
λουχοιν ικιλλον νηφαλιον
βοηδρομιωνος πνεφθυιιαιοσρα
αλεκτρυονα καρπος νεσπειρων πυρ
αικευολσσπευδων μελικρατον Ζιδη
κιε ελφακαλυυπε . . ο . τοσοτρισ . .
ονις χ . . και τοις αλλο . . οισανε . . .
τυαν ιωντος απολλωνι και αι . . διγη
ερνονα . . . κιδιονρθονφαλον και καθιω
δωλε . ενφαλον
ατηριωνος διγεορτω ποπανο
κοινικιδιον οϜεονφαλον οδεκονφαλο
ναστον κληκιδιον επιπεπλασμενον
πα καρπια νηφαλιον
ποσιδεωνος η ισαμενυ ποπανο
οικιαιον δωδεκονφαλον κα . με
ποσιδωνικαματηλονηφαλιον ου
ανεμοις ποπλανον χθινικικαιον ορ
αλον δωδεκονφαλον νηφαλιον
γαμηνωνος κιττος εις διονυσου θυ
ανοξστηριωνος ιερε . . εκλου ταω
λ . φη . ολιωνος ει κρονω ποπανι . .
αωδεκομφαλον καθνιενον επι
. . εις βουν χεινικιαιον ανυπε
. . σ μουνυχιονος βαπιοντος η
κλει . . χαιθειω αλεκτορας βποπα
. . οινκοσδωδεκομφαλα θρθομα
ανυπ . . θετως

Hactenus Epigraphe iisdem prorſus characteribus, vocum laciniis, literarum apicibus, atque lacunis accuratiſſi-

me

me expreſſa, quae in Cl. Maffeii Schedis, & Apographo reperiuntur. Eiuſmodi vero diligentiam, ac fidem hic adhibendam eſſe putavi, ut perſpicaciores alii, ſi libeat, ex apographo ipſo meliorem, plenioremque Marmoris ſententiam inquirant; atque de locis illis iudicium ferant, in quibus Epigraphem, ſublatis alicubi erroribus, ſuppletiſque lacunis, refingendam, maiorique charactere ita exhibendam eſſe coniicio.

μετΑΓΕΙΤΝΙΩΝΟΣ ΘΕΛΙΣΙ . . . . . .
ΤΟΥΤΗΣ ΠΑΝΤΕΛΕΙΑΣ ΠΟΠΑΝου
. . ΛΟΝ ΧΟΙΝΙΚΙΔΙΟΝ ΝΗΦΑΛΙΟΝ
ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝΟΣ ΠΝΕΦΘΥΙΙΑΙΟΣ ΡΑ
ΑΛΕΚΤΡΥΟΝΑ ΚΑΡΠΟΣ ΝΕ ΣΠΕΙΡΩΝ ΠΥΡ
ΑΙΚΕΥΟΛΣ ΣΠΕΝΔΩΝ ΜΕΛΙΚΡΑΤΩΝ ΖΙΔΗ
. . ΚΙΕΕΛΦΑΚΑΛΝΥΠΕ . Ο . ΤΟΣ ΟΠΡΙΣ . .
. . ΟΝΙΣ Χ . . ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΑΛΛΟΙΣ ΑΝΕ . .
ΠΥΑΝεψΙΩΝΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΑΙ ΑφροΔΙΤΗ
. . ΕΡΝΟΝΑ χοινιΚΙΔΙΟΝ οΡΘΟΝΦΑΛΟΝ ΚΑΙ ΚΑΘΙΙΗ
. . ΔΩΔΕΚΟΝΦΑΛΟΝ
μαιμΑκΤΗΡΙΩΝΟΣ ΔΙ ΓΕΟΡΤΩ ΠΟΠΑΝΟν
ΧΟΙΝΙΚΙΔΙΟΝ ΟΡΘΟΝΦΑΛΟΝ δωΔΕΚΟΝΦΑΛΟν
. . ΝΑΣΤΟΝ ΚΛΗΚΙΔΙΟΝ ΕΠΙΠΕΠΛΑΣΜΕΝΟΝ
. . ΤΑ ΚΑΡΠΙΑ ΝΗΦΑΛΙΟΝ
ΠΟΣΙΔΕΩΝΟΣ Η ΙΣΤΑΜΕΝΟΥ ΠΟΠΑΝΟν
χοινΙΚΙΔΙΟΝ ΔΩΔΕΚΟΝΦΑΛΟΝ ΚΑ . . ΜΕ . .
ΠΟΣΙΔΩΝΙ ΚΑΜΑΤΗΛΟν ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΟΥ .
. . ΑΝΕΜΟΙΣ ΠΟΠΑΝΟΝ ΧΟΙΝΙΚΙΔΙΟΝ ΟΡθομ-
φΑΛΟΝ ΔΩΔΕΚΟΝΦΑΛΟΝ ΝΗΦΑΛΙΟΝ
ΓΑΜΗΛΙΩΝΟΣ ΚΙΤΤΟΣ ΕΙΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΘΙασυς
ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΟΣ ΙΕΡΕ . . ΕΚΛΟΥΤΑΩ . .
ελαΦΗβοΛΙΩΝΟΣ ΕΙ ΚΡΟΝΩ ΠΟΠΑΝου
δωΔΕΚΟΝΦΑΛΟΝ ΚΑΘΝΙΕΝΟΝ ΕΠΙ . . . . .
. . ΕΙΣ ΒΟΥΝ ΧΟΙΝΙΚΙΔΙΟΝ ΑΝΥΠΕ . . .
θετωΣ ΜΟΥΝΥΧΙΩΝΟΣ Β ΑΠΙΟΝΤΟΣ Ηρα-
ΚΛΕΙ . . ΧΑΙΘΕΙΩ ΑΛΕΚΤΟΡΑΣ Β ΠΟΠΑνον
χοΙΝΙΚΟΣ ΔΩΔΕΚΟΜΦΑΛΑ ΟΡΘΟΜφαλα
ΑΝΥΠε . . ΘΕΤΩΣ . . . .

Iu

Notae in Marmor I.

Quamvis eiuſmodi Marmor, & ipſius Apographum maxima ex parte mutilum, mireque depravatum ſit; nonnulla tamen ex illo facile exſculpi poſſunt, quae ex pluribus etiam monimentis aliis affulſerant; ac plurima quoque deprehendi, quae hactenus obſcura, vel incomperta delituerant. Ac primo quidem in exeſis vitiatiſque Marmoris verſibus *novem* Athenienſium menſium nomina deprehendiſſe videor, quos eadem prorſus ſerie recenſitos eſſe conſpicio, quae in duobus Sponii Marmoribus a me iampridem editis [1] obſervatur; ut proinde recentior illa menſium Atticorum ſeries, quae ex Sponii Schedis affulſerat, neque tamen hactenus Eruditis omnibus probata fuit, Marmoris huius praeſidio mirifice confirmetur. Duplicem Sponius Athenis Epigraphem exſcripſerat, in qua duodecim Attici menſes ita numerati fuerant, ut *quarto* loco *Pyanepſion*, mox *Maemacterion* proximo quintoque collocetur. Itaque, cum pluribus Veterum teſtimoniis compertum foret in civilibus Athenienſium annis *Maemacterionem quarto*, *Pyanepſionem quinto* demum loco numerari conſueviſſe, ut Petavius [2] contra Scaligerum [3] accuratiſſime demonſtravit, veterem hanc menſium Atticorum ſeriem ſequioribus demum temporibus mutatam eſſe Dodvellus partim ex ambiguis Plutarchi, Diodori, & Harpocrationis teſtimoniis, partim etiam ex duabus Sponii Inſcriptionibus collegit, *ſi nempe recte illas deſcripſit Auctor alioqui diligentiſſimus* [4]. Ac immerito quidem Sponii fidem, ac diligentiam hic Dodvello ſuſpectam fuiſſe opportunius alibi in *Faſtis Atticis* [5] demonſtravi, ſimulque perſpicuis, opinor, certiſque characteribus oſtendi [6] varietatem illam in civilibus Athenienſium annis, menſiumque ſitu primis ſolum Hadriani Caeſaris temporibus invectam eſſe, ut Pyanepſion *quarto*, Maemacterion *quinto* loco recenſeretur, idemque civilis annus, qui olim a Gamelione, hiberno nimirum ſolſtitio, moxque ab

 He-

(1) Faſt. Attic. Tom. II. pag. 171. & 183. (2) Doctr. Temp. Lib. I. c. 10. (3) De Emend. Temp. Lib. I. pag. 28. (4) Differt de Cyclis II. ſect. 5. (5) Tom. I. pag. 64. (6) Tom. II. pag. 406.

Hecatombaeone, aeſtivoque ſolſtitio inceperat, a Boëdromione potius, ſive autumnali aequinoctio, auſpicaretur. Argumentis aliis, quae paullo ſubtilius, ac fuſius expoſui, Marmoris huius auctoritas adiungi iam poterit, in quo proxime poſt Boëdromionem Pyanepſion, tum Maemacterion, mox Poſideon recenſetur; eadem nempe Atticorum menſium ſeries, idemque ſitus aſſeritur, qui in duobus Sponii Marmoribus obſervatur.

Hoc uno tamen diſcrimine Marmoris noſtri ſeries a Sponiana diſſidet, quod in utraque Sponii Inſcriptione menſium ſeries, adeoque civilis annus, a Boëdromione menſe, veluti *primo*, exorditur; in noſtra vero principi loco *Metagitnion* occurrit, quem *Hecatombaeon* in extrita iam evanidaque Marmoris fronte praeceſſerat; quemadmodum prorſus in extrema Marmoris parte *Thargelionis*, ac *Scirophorionis*, *undecimi* ſcilicet, ac *duodecimi* menſium nomina exciderunt. Certe varietas, ac diſcrimen illud argumento eſſe poterit Marmor ipſum ante Sponianas Epigraphes exaratum eſſe; iis nempe temporibus, quibus Maemacterion quidem in Pyanepſionis locum conceſſerat, nondum vero civilis anni principium ab Hecatombaeone menſe ad Boëdromionem migraverat. Itaque, licet utrumque anno 3. Olymp. CCXXVII. contigiſſe coniecerim (1), quo Hadrianus Auguſtus Athenas inviſit, ſacriſque Myſteriis Eleuſine initiari voluit (2), proclivius eſt tamen aſſerere prius menſium ordinem, mox civilis anni cardinem mutatum eſſe; quumque Traiani Caeſaris aetate Maemacterion quartum adhuc locum occuparet, ineunte vero Antonini imperio in proximum quintumque locum deſcendiſſet, ut ex Harpocrationis aetate iam demonſtravi, Marmoris noſtri aetas Traiano poſterior eſſe debet; quumque viciſſim in illo menſium ſeries non a Boëdromione, ut Hadriani, vel Antonini temporibus obtinuerat, ſed ab Hecatombaeone menſe, deducatur, aetas ipſa facile Antonino Caeſare poſterior eſſe non poterit. Hinc Marmoris huius aetas anguſtis ſane terminis circumſcribitur, quum neque Traiano antiquior, neque Antonino recentior admitti poſſit, ſed Hadriani temporibus ſatis accommode concedatur; niſi fortaſſe quis temere ſuſpicetur civilis anni cardine ad

Boë-

(1) Tom. II. pag. 403. (2) Vid. Tom. II. pag. 107.

Boëdromionem tranſlato, veterem tamen menſium ſeriem adhuc in Feſtis ſacriſque ritibus obeundis ſervatam eſſe.

Ceterum in hac ipſa ſerie *novem* Menſium Atticorum nomina nobis occurrere facile profecto intelliget quicumque vitiata Marmoris loca diligentius inſpexerit, quae ex ſuperſtitibus vocum laciniis ſupplenda, ac refingenda putavi. Siquidem in 1. verſu facile ΜΕΤΑΓΕΙΤΝΙΩΝΟΣ reſtitui debet; integrumque prorſus ΒΟΗΔΡΟΜΙΩΝΟΣ nomen in 4. reperitur. In 9. ſuſpicabar ΑΠΙΟΝΤΟΣ haberi poſſe, quemadmodum prorſus in 26. legitur ΜΟΥΝΥΧΙΩΝΟΣ Β ΑΠΙΟΝΤΟΣ. Omnibus tamen rite perpenſis legendum aſſero ΠΥΑΝεψΙΩΝΟΣ, quum praeſertim in 12. verſu ΜαιμΑκΤΗΡΙΩΝΟΣ, in 16. ΠΟΣΙΔΕΩΝΟΣ perſpicue reperiatur, atque inter utrumquem *Pyanepſionis* menſis nomen inſeri non poſſit. In 21. verſu facile ΓΑΜΗΛΙΩΝΟΣ reſtitui debet, atque in aliis pone ſequentibus ΑΝΘΕΣΤΗΡΙΩΝΟΣ, & ΕΛΑΦΗβοΛΙΩΝΟΣ. Neque ſolum menſium nomina, ſed interdum etiam menſis dies exprimuntur, ut 16. verſu legitur Ποσιδεῶνος Η *ἱςαμένυ* *Poſideonis VIII.* die; in 23. Ἐλαφηβολιῶνος ΕΙ *Elaphebolionis XV.* in 26. Μυνυχιῶνος Β *ἀπίοντος Munychionis* XXIX. Quinetiam facile characteres Θ in verſu 1. ΔΙ in 12. ΙΕ in 22. menſium nominibus ſubiecti numerales dierum notae fortaſſe eſſe poſſunt, quod temere tamen affirmare vix poſſim. Haec, aliaque id genus perſpicue oſtendunt eiuſmodi Marmor *Kalendarii* cuiusdam fragmentum eſſe, in quo menſes, menſiumve dies exprimebantur, quibus libationes, ac dona quaedam Diis oblata, vel offerenda fuerant. Ac certe quidem in 9. verſu *Apollinis*, ac *Veneris*; in 18. *Neptuni*; in 21. *Bacchi*; in 23. *Saturni*; in 26. *Herculis* nomen occurrit; nec plurimum fortaſſe fallar ſi in 4. verſu ΔΙΟΣ *Iovis*, in 19. *Ventorum* nomen indicatum dixerim.

Quod vero ad *libationes* attinet, ac varia donorum genera, quae in Marmore recenſentur, quamvis mira perplexitas ex truncatis, vitiatiſque vocibus oriatur, perſpicue tamen *πόπανον*, *χοινικίδιον*, *νηφάλιον*, *δωδεκόμφαλον*, *κιττὸς*, *ἀλεκτρυὼν*, *αλέκτορες*, *καρπὸς*, *κάρπια*, *καματῆλο*, & *βῦς* memoratur; ſicuti *σπείρων πυρ* .... & *σπενδ῀ν μελικράτων* nomina ſubinde occurrunt. Non is profecto ego ſum, qui ſingulas vo-

Quid-

ces ipſas, ipſarumque vim nitide diſerteque exponi a me poſſe confidam; quum praeſertim in pluribus efferendis nulla propemodum lux ex veteribus Scriptoribus affulgeat. Quidquid tamen de ipſarum ſingulis vel certo conſtitui, vel divinando coniici poteſt breviſſime ediſſeram.

Ac initio quidem, ut a clarioribus exordiar, *hederas* Baccho ſacras fuiſſe compertum eſt, ut optime proinde ver. 12. legatur κιττὸς εἰς Διονύσου θιάσους *hedera in Bacchi choros*, eos nempe, qui Bacchi ſacra, vel orgia hedera coronati celebrabant. Ita *gallos*, ac *boves* Diis offerri, mactarique conſueviſſe didicimus, unde ver. 5. & 27. ἀλέκτορες *galli*, & verſu βοῦς *bos* nominantur. Καρπὸς, ſive Καρποὺς, & Κάρπια ver. 5 & 15. occurrit, quod *fructus*, ac *fruges* Diis libari conſueverint. Optime quoque in 6. verſu σπενδῶν μελικράτων voces reſtitui poterunt quod σπενδὴ quidem *libatio* ſit, μελίκρατος vero *mulſum*, vel *mulſam aquam* ſignificet. Quod 5. verſu σπείρων πυρ.... mutila nempe, vitiataque voce legatur, facile σπεῖρα intelligi hic poterit, qua voce *piſtorium* quoddam *opus* exprimitur, placenta nempe veluti in ſpiras diſpoſita; quumque vox πυραμοῦς aliud placentae genus in pyrae formam confectum ſignificet [1] in 5 verſu *galli*, *fructuum*, *ſpirae*, ac *pyramuntis* oblatio exprimetur. Quid vero Neptuno oblatum dicatur ubi 18 verſu καματῆλο, vel καμακῆλον nobis occurrit? Quum κάμαξ *haſtam*, aut *contum*, ἧλος vero *cuſpidem*, aut *clavum* ſignificet, Neptunoque ferreus contus, tricuſpis haſta, vel tridens, veluti imperii ſignum, ac ſymbolum, concedatur, quid prohibet quin καματήλου, vel καμακήλου nomine Scriptoribus aliis indicto *tridens* ipſe Neptuno oblatus in Marmore deſignetur; ut quemadmodum nempe *hedera* Baccho, Herculi *galli*, Saturno, Diiſque aliis *popana* oblata fuerant, ita Neptuno contus, haſta, vel *tridens* ſacratus dicatur?

Nihil eſt tamen quod frequentius in Marmore memoretur, quam πόπανον, χοινικίδιον, δωδεκόμφαλον, νήφαλιον. Ac νηφάλιον quidem vox, quae ſeorſim etiam poſt κάρπια, & καματῆλο ſubiicitur, libationem illam ſignificat, quae ſine vino peragebatur; ut proinde νηφάλια ſacra dicerentur illa, quae ἄοινα vinique expertia forent; in quibus nempe

(1) Vid. Athen. Lib. XIV. c. 14.

pe vinum libari, guſtarique vetabatur. Eiuſmodi vero ſacra ab Athenienſibus etiam peragi conſueviſſe perſpicuo Polemonis teſtimonio erudimur [1]: Ἀθηναῖοι τὰ πρὸς τὰς Θεὰς ὅσιοι νηφάλια μὲν ἱερὰ θύουσι Μνημοσύνῃ, Μούσαις; Ἠοῖ, Ἡλίῳ, Σελήνῃ, Νύμφαις, Ἀφροδίτῃ οὐρανίᾳ *Athenienſes in iis, quae ad Deos pertinent, religioſi nephalia quidem ſacra Mnemoſyne, Muſis, Aurorae, Soli, Lunae, Nymphis, Veneri caeleſti ſacrificant*; quemadmodum ex Scriptoribus aliis accepimus in nephaliis ipſis thymum cremari conſueviſſe, quum vitea, ficulnea, myrteaque ligna vetita forent, ea nempe, quae οἰνόσπονδα vocabantur quod incendi ſolerent ubi vinum libaretur [2]; Marmoriſque noſtri praeſidio demonſtratur *nephalia* ipſa non modo Muſis, ceteriſque Diis a Polemone recenſitis, ſed interdum etiam Neptuno quoque, aliiſque offerri conſueviſſe; quamvis in ſacris Neptuni &c. vinum aliquando uſurpari liceret. Quod vero Metagitnione menſe ignoto Numini *popanum* oblatum dicatur, idemque *popani* nomen in Marmore frequenter occurrat, ad ritum illum referri debet, quo Diis *placentae* Athenis offerri conſueverant. Etenim, ut Heſychius ait, Πόπανα ſunt πλακούντια ἀπὸ ἄρτου *placentulae ex pane*; longeque clarius Suidas: Πόπανα. πλακούντια πλατέα, καὶ λεπτὰ, καὶ περιφερῆ καὶ ἐπὶ τέσσαρσι ποπάνοις ἔθυον βοῦν, καὶ ἐκάλουν αὐτὸν πέμπτον βοῦν *Popana placentulae latae, & tenues, & rotundae. Poſt quatuor popana immolabant bovem, eumque vocabant quintum bovem*: perinde quaſi placentulae, quae bovis oblationem praeceſſerant, bovis inſtar haberentur. Certe popana prius offerri, mox ſacrificia peragi conſueviſſe Suidas oſtendit ubi *popana* προθυμάτων ſpeciem fuiſſe dicit; idque facile pluribus Ariſtophanis [3] locis illuſtrius oſtendi poſſet. Aegre vero intelligi, vel oſtendi poterit, cur *popanum* ipſum χοινικίδιον, & δωδεκόμφαλον appelletur; cum ne quidem voces ipſe a Scriptoribus uſurpatae ſint, nullibique *popano* coniungantur. Si quidpiam tamen in tanto veterum Scriptorum ſilentio conjicere hic liceat, ſuſpicor χοινικίδιον voce menſuram, pondus, aut molem exprimi, quae in oblato popano reperiretur. Etenim, ut varias χοίνικος vocis ſenſus diſſimulem, menſura quaedam hoc nomine exprimebatur, quae duobus fere Ro-

(1) Lib. ad Timae. (2) Suid. (3) In Pluto ver. 660. & 680.

Romanis *ſextariis* aequalis erat, adeoque tritici quidem 30. farinae vero 18 uncias continebat. Itaque, quum ſingulis ſervis, ac domeſticis integra choenicis menſura, veluti demenſum, in ſingulos dies concedi conſueverit, *choenicis* nomine apud Homerum [1], alioſque plures, diurnus hominis cibus deſignatur. Atque hinc fortaſſe corrigendus obiter Heſychii locus ubi legitur: *Χοίνικες αἱ ἀπὸ μέρους τροφαὶ*. Guietus hic *μέτρου* reſcribi iuſſerat. Libentius tamen, atque concinnius hic legerem *αἱ ἡμερότροφαι*, ſive *αἱ ἀμφημερότροφαι*: quod nimirum choenix *diurnum*, vel *quotidianum* victum ſignificet: quum ex choenice qualibet *octo* parvi, *quatuor* autem mediocres panes formarentur, ut a Scholiaſte [2] Ariſtophanis erudimur. Quemadmodum ergo Athenaeus [3] plurimas *placentarum* ſpecies enumerans, *Cotalyſcum* quoque memorat, quae ex *cotyle*, tertia nimirum choenicis parte, conſtabat, ita fieri potuiſſe ſuſpicor ut aliud popani, vel placentae genus *Choenicidion* vocaretur quod integram choenicis menſuram contineret, adeoque ex 18. triticeae farinae unciis conſtaret. Vndenam vero *popanum* ipſum non *χοινικίδιον* modo, ſed etiam *δωδεκόμφαλον* appellatur? Non aliunde ſane, ut opinor, quam quod partes illae, quibus conſtabat, *ὀμφάλου* umbonis, aut umbilici formam referrent, perinde quaſi integra popani, ſive placentae ſuperficies in duodecim veluti umbones diſtincta, ſive ex duodecim umbonibus compoſita videretur: quemadmodum prorſus, ſi duodecim rotundi panes in molem, placentam, ac ſuperficiem unam diſponantur, *δωδεκομφάλου* corporis formam exhiberent.

Quandoquidem vero in 10 verſu reperitur ΡΘΟΝΦΑΛΟΝ, idemque nomen in 13 quoque reſtitui debet, ubi legitur ΟΓΟΟΝΦΑΛΟΝ, vox iſta eiuſque ſenſus ab altera voce ΔΩΔΕΚΟΝΦΑΛΟΝ diſtingui debet, quae repente ſubiicitur, ſicuti in 19. verſu perſpicue diſerteque *πόπανον χοινικίδιον ὀρθομφαλον δωδεκόμφαλον νηφάλιον* diſtinguitur. Eiuſmodi vero vox, ſi ad placentae genus, vel popanum referatur (quis enim hic toties in Marmore erratum eſſe, ac ΦΑΛΛΟΝ ubique legendum eſſe putaverit?) porrectum, extenſumque umbonem ſignificare fortaſſe poterit, quem popanum ipſum figura ſua exprimeret, adeoque variis his voci-

(1) Odyſ. XIX. (2) Ad Lyſiſtr. ver. 1209. (3) Libr. XIV. c. 14.

cibus varia libationum, vel oblationum genera deſignata forent, quae menſibus, menſiumve diebus in Marmore, ſeu Kalendario memoratis ab Athenienſi Populo, ſive peculiari quodam Civium coetu conſecranda fuerant.

Atque iſta quidem breviſſime de eximio hoc Marmoris fragmento dicta ſint. Cetera nimirum perſequi, hianteſque locos audacius reſtituere nec iuvat, nec decet; quum nihil propemodum ſani ex ſuperſtitibus, vitiatiſque laciniis exſculpi poſſe videatur.

II.

Athenis in duabus Columnis ex Pario Marmore, Inſcriptio

in Angliam delata a D. Antonio Aſkevo Medico

Αλκαμενους Κοσμητευοντος
Εφηβοι

Ερεχθειδος
Αυρ Δημητριος
Ισιτυχος Ζωπυ.
Ζωπυρος)
Ζωσιμιανος Σοφ
Φανιας Μυςικου
Ηρακλειδης
Αιγειδος
Μεγιστοδωρος
Καρπος
Λεοντιδος
Απελλης Αφροδ
Ευτυχιανος Αφρο
Ασκληπιαδης Απ
Διοκλης, ο και Τρυφ
Λεωνιδης Ζωσι
Ζωσιμος
Ισιδοτος Ερμ
Ευφροσινος Ερμ

Κριτων
Νικων Ευτυχ
Χρυσανθος Σωσι
Αθηναιος Ευκ
Αδριανιδος
Κλ. Πρωταγορας
Οινειδος
Εισιδοτος
Αλεξανδρος Ευτ
Αμμωνιος
Διφιλος Αφρο
Φαρνακης Ελευ
Μακρεινος Φιλο
Αφροδεισιος Φιλ
Κεκροπιδος
Επεραςος Αθηνιω
Κλ Παυλεινος
Κλ Ρητορικος
Υμεναιος Μητρ

Στεφανος Προ
Μιλων)
Σεραπιακος Ευκ
Φοιβος Δορυφ
Δορυφορος
Κλαυδιος
Αγαθοκλης
Ζωσιμος Αγα
Αρτεμιδωρος Σα
Αντιοχιδος
Αιλ. Διονυσιος
Κλα. Νυμφιος
Ηλιοδωρος Αρκ
Σολων Αρκοκυ
Πρωτοτητος
Διοφαντης Διου
Θρασυβουλος
Ατταλιδος
Π. Αιλ. Διφιλος

Πτολεμαιδος
Τιτος)
Νικοστρατος
Τιμοκρατης Νεικο̄
Ζωπυρος Νεικο
Αυρ. Πανταινος
Συμφερων Μελισ̄
Μελισσος)
Λογος
Ευελπιστος
Ξενοκλης Ονησι
Ακαμαντιδος
Κρι-

Αφροδεισιος)
Πατροκλης
Αγαθοπους
Ιπποθωντιδος
ΘεοφανηςΦιλερωτις
Φιλοκρατης
Διοφαντος Φιλ.
Δυκρατης Φιλ.
Θεοφανης
Αφροδισιος
Ευποριστος
Αιαντιδος
Στε-

Ποβλιος Τ. Αυρε-
Αττικος. Μητηδεου
κ ε χρησαμην δια το
εν τω νομω περι του-
του μηδεν γεγρα-
φθαι, αμωςγε και
τω υιω εχρησαμην
εις ταυτην την
επιμελειαν
Μ̄ Αυρηλιω
Αλκαμενει Λαμ-
πρει.

Επεγγραφοι

Κλα. Ονομαστος
Φιλινος Μυστικο̄
Νεικηφορος Ευαστᾱ
Ερμοφιλος Ευα
Πομπ̄ Μαρων
Ολυμπικος
Αφροδισιος
Εισιδοτος Αισ̄
Βοτρυς
Θιασος
Σμυρνος

Επεγγραφοι

Περιγενης Υγκν
Αγαθων
Ευτυχιανος
Δωσιθεος
Ερ. Γανυμηδης
Δαμας
Κορυμβος
Ηρακλεαδης
Ευγνωμων
. νδαντης
Ισιδοτος
Ισιδωρος
Μαρων
Επαφρας

Επεγγραφοι

Ευτυχης Τᾱ
Πρυμος)
Σωσας Ει.
Επικτας
Αττικιων
Ζηνων
Πινος
Νεικιων
Κλα. Ξωτηριων
Αρτεμιδωρος
Σωτηριχος
Ζωσιμος
Δημητριος
Κλ. Ονησιμος
Σμαραγδος

In ſiniſtra Marmoris parte e regione trium ſuperiorum Claſſium aderant, ſed abque titulo, hae duae ſequentes.

Μαξιμος
Απολλωνι
Πλατων
Ευκαρπος
Ευτυχης
Λε-

Συμφορος
Πανθιων
Αφροδισιος
Λυκ . . . ας
Αρτεμας
Θεο-

Λεων
Νωτφορος
Διονυσιος
Ζωπυρος
Μαρκος
Ευφραντικος
Κλ. Ευτυχης
Αθανιων
Θεοδοτος
Αρτεμονος
Σωτηριχος

Alcamene Coſmeta
Ephebi

Erechtheidis
Aurelius Demetrius
Iſitychus Zopyri
Zopyrus
Zoſimianus Soph
Phanias Myſtici
Heraclides
Aegeidis
Megiſtodorus
Carpus
Leontidis
Apelles Aphrodiſii
Eutychianus Aphrodiſii
Aſclepiades Ap.
Diocles, qui & Tryphon
Leonides Zoſimi
Zoſimus
Iſidotus Herm.
Euphroſinus Herm.
Ptolemaidis
Titus
Nicoſtratus
Timocrates Nico
Zopyrus Nico
Aurelius Pantaenus

Criton
Nicon Eutychetis
Chryſanthus Soſimi
Athenaeus Euc.
Hadrianidis
Claudius Protagoras
Oeneidis
Iſidotus
Alexander Eut
Ammonius
Diphilus Aphrodiſii
Pharnaces Eleu.
Macrinus Philo
Aphrodiſius Phil.
Cecropidis
Eperaſtus Athenionis
Claudius Paulinus
Claudius Rhetoricus
Hymenaeus Metrodori
Aphrodiſius
Patrocles
Agothopus
Hippothoontidis
Theophanes Philerotis
Philocrates
Diophantus Philocratis

Stephanus Pro
Milo
Serapiacus Euc.
Phoebus Dorysphori
Doryphorus
Claudius
Agathocles
Zoſimus Agathoclis
Artemidorus Sa.
Antiochidis
Aelius Dionyſius
Claudius Nymphius
Heliodorus Arcocy.
Solon Arcocy.
Prototetus
Diophantes Dionyſii
Thraſybulus
Attalidis
Publius Aelius Diphilus
Publius Titus Aurelius Atticus. Hoc uſus non ſum, quoniam in lege de iſto nihil ſcriptum erat; quoquomodo & eius filio uſus ſum in hanc curam

Sympheron Meliſsi
Meliſſus
Logus
Evelpiſtus
Xenocles Oneſimi
Acamantidis
Cri-

Adſcriptitii

Claudius *Onomaſtus*
Philinus Myſtici
Nicephorus Evaſta..
Ermophilus Eva.
Pompeius *Maro*
Olympicus
Aphrodiſius
Iſidotus Aeo.
Botrys
Thyaſus
Smyrnus

*Eucrates Philo*cra-
tis
Theophanes
Aphrodiſius
Euporiſtus
Acantidis
Ste-

Adſcriptitii

Perigenes Hygini
Agatho
Eutychianus
Doſitheus
Herennius *Ganymedes*
Damas
Corymbus
Heraclides
Eugnomon
. . . *dantes*
Iſidotus
Iſidorus
Maro
Epaphras

Marco *Aurelio*
Alcamene Lamprenſi

Adſcriptitii

Euthyches Ta.
Prymus
Soſas I
Epictas
Atticion
Zeno
Pinus
Nicion
Claudius *Soterion*
Artemidorus
Soterichus
Zoſimus
Demetrius
Claudius *Oneſimus*
Smaragdus

Maximus
Apollonius
Plato
Eucarpus
Eutyches
Leo
Noſphorus
Dionyſius
Zopyrus
Marcus
Euphranticus
Claudius *Eutyches*
Athanion

Symphorus
Panthion
Aphrodiſius
Dyc . . . as
Artemas
Theodotus
Artemonis
Soterichus

No.

Notae in Marmor II.

Nihil eſt ſane cur in eximio, praeſtantique Marmore nunc illuſtrando diutius immorer, quum plurima, quae facile afferri poſſent, opportunius alibi in *Faſtis Atticis* demonſtraverim; ſimulque varias, ac diſſidentes aliorum ſententias perſpicuis, ni fallor, certiſque rationibus confutaverim. Etenim de *Coſmetis*, *Hypocoſmetis* etiam, ipſorumque munere diſputavi (1); veram *Epheborum* aetatem hactenus incertam illuſtri Demoſthenis exemplo, vel teſtimonio demonſtravi (2); ſimulque morem illum expoſui, quo ſingulis annis Epheborum ſeries praefixo Archontis Eponymi, & Coſmetae nomine publicis tabulis, atque fortaſſe Marmoribus etiam inſcribebatur. Veram denique, conſtantemque Tribuum Athenienſium ſeriem, atque ordinem Eruditis omnibus incompertum partim perſpicuis Veterum teſtimoniis, partim etiam Marmorum praeſidio contra Dodvellum, alioſque plures oſtendi (3). Itaque Tribus ipſas hoc uno conſtantique ordine Athenis recenſitas eſſe probavi, ut primo *Erechtheis*, mox *Aegeis*, *Pandionis*, inde *Leontis* haberetur, quas *Ptolemais*, *Acamantis*, *Hadrianis*, *Oëneis*, *Cecropis*, *Hippothoontis*, *Aeantis*, *Antiochis*, tandemque *Attalis* ordine ſequerentur (4); quemadmodum prorſus illas in triplici Sponiano, ac Riccardiano etiam Marmore recenſitas eſſe obſervavi. Ceteris autem exemplis, ac monimentis illis perſpicuum, ac illuſtre Marmoris etiam huius exemplum adiungi iam poterit, in quo Tribus ipſae eodem prorſus ordine vel ſerie memorantur; niſi quod inter *Aegeidem*, ac *Leontidem* unius *Pandionidis* Tribus nomen deſideratur; ſive quod in Marmore ibi diffracto lacuna & hiatus irrepſerit, quem tamen exſcriptor omnino diſſimulaverit; ſive quod exſcriptor ex *Aegeide* ad *Leontidem* temere tranſilierit; ſive quod nullus eo anno ex *Pandionide* Tribu Epheborum albo inſcriptus fuerit; ſive denique quod Ephebi ex Pandionide iampridem inſcripti, adeoque etiam Tribus ipſius nomen e Marmore abraſum deinde fuerit, ut in exemplis, ac Moni-

(1) Tomo II. pag. 143 (2) Ibi pag. 137. (3) Tomo I. pag. 154. (4) Ibi pag. 173.

nimentis aliis obſervatur. Quum tamen *Pandionidis* nomen hic nullibi occurrat, neque conſtantem illum Tribuum aliarum ordinem a me conſtitutum perturbet, manifeſtiſſime inferri debet ordinem ipſum hoc etiam ex Marmore confirmari. Ita quoque, cum Ἐπέγγραφοι in *quinque* veluti ſeries, atque columnas diſpoſiti ſeorſim ab Ephebis aliis extra Tribuum claſſes aut ordines in infima poſtremaque Marmoris parte recenſeantur, facile exinde illuſtrari, vel confirmari fortaſſe poterunt quaecumque de Ἐπεγγράφοις *Adlectis* nempe, vel *Adſcriptitiis* Ephebis alibi diſputavi [1], quod ii nimirum neque Populis, neque Tribubus adſcripti, adeoque nec ipſo civitatis iure donati forent, ſed ἰσοτελεῖς, civibus nempe ſuppares haberentur; ideoque cum Ephebis civibus gymnaſticis ſtudiis exerceri, atque ſeorſim a civibus Epheborum albo inſcribi ſolerent. Quum tamen in hoc ipſo Marmore, quod illuſtrandum ſuſcepi, *Adſcriptitiorum* numerus *Epheborum* numero par obſervetur, vehemens certe ſuſpicio mihi ſuboritur *Adſcriptitios* ipſos, *Epheborum* inſtar, in Athenienſium civium numero habendos eſſe; nec alio prorſus diſcrimine *Ephebos* ab *Adſcriptitiis* diſtingui poſſe, quam quod illi *ſecundum* inter Ephebos annum agebant, hi vero inter Ephebos nuper relati *primum* in hoc militiae genere annum agerent. Etenim, ut opportunius alibi [2] demonſtravi, ii, qui *octavum decimum* aetatis annum impleverant, Ephebis inſcribi tenebantur, donec *viceſimum* aetatis annum egreſſi, in militum albo recenſerentur, eoque muneri, ſive militiae obeundae debito integris *quadraginta* proximis annis adſtringerentur. Hinc eiuſmodi militiae obeundae ſpatium, ſive militaris aetas ἐν τοῖς Ἐπωνύμοις appellabatur, quod initio ducto ab Eponymi Archontis illius anno, quo civis aliquis inter Ephebos admiſſus erat, *quadraginta duo* Archontes Eponymi, adeoque totidem aetatis anni numerandi forent antequam civis ille militiae obeundae legibus ſolveretur. Itaque facile Epheborum nomina publicis monimentis illis ita inſcribi debuerant, atque praefixo Eponymi Archontis nomine ipſorum aetas perſpicue deſignari, ut repente intelligi deprehendique poſſet an Ephebus ille *primum*, vel *ſecundum* militiae an-

(1) Faſt. Attic. Tom. II. pag. 191. (2) Faſt. Attic. Tom. II. pag. 135.

annum ageret. Id vero nitide diſerteque praeſtari poterat ſi ſolo *Epheborum* nomine antiquiores Ephebi, ii nempe, qui ſuperioris Archontis anno primum inſcripti *viceſimum* aetatis, atque *ſecundum* militiae annum agebant, vocarentur; *Adſcriptitii* vero, ſive *Adlecti* dicerentur illi, qui tunc primum inter Ephebos cooptati in *undeviceſimo* aetatis, ac *primo* militiae anno verſabantur. Sin vero *Ephebi* nomine promiſcue deſignarentur illi, qui vel *primum*, vel *ſecundum* inter milites, ac Ephebos annum agebant, vera atque accurata militaris aetas, quae civium alicui obeunda fuerat, obſcura atque incerta foret, neque ex publicis monimentis illis accurate deduci poſſet. Itaque *Ephebi* nomine in noſtro Marmore, aliiſque pluribus cives illos indicatos exiſtimo, qui ſecundum huius militiae annum agerent; *Adlectos* vero, vel *Adſcriptitios* vocari cenſeo, qui nuper eius Archontis anno labente Ephebis aliis adiecti, recenſque adſcripti forent; proximoque demum anno nobiliori *Ephеborum* nomine appellandi, adiectaque Tribuum ſerie recenſendi fuerant.

Eiuſmodi vero opinionem, hoc eſt *Adlectorum*, *Ephеborumque* diſcrimen hic a me conſtitutum ex ipſo quoque Ephеborum numero, qui in Marmore recenſentur, inferri, vel confirmari poſſe putaverim. Siquidem in Riccardiano Marmore, ut alibi [1] obſervavi, 30. Ephеborum nomina adhuc ſuperſunt, totidemque prorſus una cum Tribuum nominibus excidiſſe videntur, quibus Ἐπέγγραφοι facile ſubiecti fuerant. In Sponiano Marmore 68. Ephеborum nomina Tribubus ſubiecta reperiuntur, atque in inſigni alio Marmore perſpicue legitur quod *Cl. Attali* Archontis anno Ephebi (Adlectis ſcilicet una computatis) fuerunt *duo ac ducenti*. Itaque, niſi Adlecti quoque in *Ephеborum* numero recenſendi forent, in noſtro Marmore 70. ſolum Ephebi eius Archontis anno admittendi eſſent, quod a ſuperiori *ducentorum* Ephеborum numero plurimum diſſidet. Sin vero ſub *Ephebi* nomine ipſi quoque *Adlecti* comprehendi debeant, ut longe veriſimilius eſſe iam dixi, iam fere 140. Ephеborum numerus hic haberetur, quod cum Cl. Attali Marmore magis conſpirat.

Ce-

(1) Tom. II, pag. 145.

Ceterum Ephebis illis, qui aut praefixis Tribuum nominibus, aut ſeorſim in noſtro Marmore recenſentur, *Alcamenes* veluti *Coſmeta* praefuiſſe dicitur; nullusque dubito, quin in Marmoris titulo, qui prorſus excidit, tum Archontis Eponymi tum integrum *M. Aurelii Alcamenis* nomen inſcribi debuerit. Siquidem in poſtrema Marmoris parte perſpicue legitur non *Titum Aurelium Atticum*, cui fortaſſe Coſmetae munus obtigerat, ſed eius filium *Marcum Aurelium Alcamenem Lamprenſem* Coſmetae munus geſſiſſe, perſpicueque dicitur *T. Aurelium Atticum* ea de cauſa poſthabitum, vel repudiatum fuiſſe *διὰ τὸ ἐν τῷ νόμῳ περὶ τέτε μηδὲν γάγραφθαι propterea quod in lege nihil de iſto praeſcriptum foret.*

Itaque in Marmore non Μὴ τῆδε, ſed Μὴ τῷδε, reſcribi debet; atque poſt vocem Πόβλιος hiatus aliquis admittendus erit, in quo civis, ac Ephebi, nomen *Publii* praenomini ſubiiceretur, moxque *Coſmetae* titulus exprimeretur, qui *T. Aurelio Attico* pridem conceſſus, moxque in *M. Aurelium Alcamenem* translatus fuit. Quandoquidem vero in poſtrema ipſa Marmoris parte vox ἐχρήσαμην ſemel iterumque occurrit, hoc eſt peculiaris quidam civis veluti loquens inducitur, id facile de *Gymnaſiarcha* intelligendum ſuſpicor, cui fortaſſe *Coſmetae* eligendi cura, atque autoritas conceſſa fuerat, niſi de Coſmeta ipſo aliquid in lege praeſcriptum foret. Hinc in ipſa Marmoris fronte non modo Eponymi Archontis, ſed *Gymnaſiarchae* quoque nomen praeceſſerat, ut in Marmoribus aliis conſpicitur; adeoque facile Gymnaſiarcha ipſe in extrema Marmoris parte loquens inducitur.

Id vero in hac poſtrema Marmoris noſtri periodo obſervari merito poterit quod in Apographo quidem verſu 87. reperitur ἀμῶςτε, ſed ibi tamen legendum eſſe putavi ἀμῶςγε, ut exinde ſenſus aliquis exſculperetur. In Etymologo quidem, Hesychio, Harpocratione, & Lexicographis aliis ἀμωσγέπως invenitur; nullibi tamen aut ἀμῶς, aut ἀμῶςγε obſervatur; quinetiam Etymologus aſſerit ab Atticis non ἀμωσγέπως, ſed ἀμηγετη uſurpari. Marmoris tamen huius exemplo confirmari poterit ab Atticis etiam ἀμωσγέπως, atque inſuper etiam ἀμῶσγε, ſive ſi libeat, ἀμῶστε ſubinde uſurpatum eſſe eodem prorſus ſenſu, quo ἀμηγέπη dice-

ce-

dicebatur; ut proinde ſenſus ſit M. Aurelium Alcamenem Titi Aurelii Attici filium *quodammodo* patri ſuffectum fuiſſe, ut Coſmetae munus obiret.

Sed, ne minutioribus iſtis immorer, plurima nominum compendia in Marmore obſervari debent, quae ceteris *Graecorum Notis* a me recenſitis adiungi poterunt; quumque plura id genus compendia nonniſi Romana praenomina cenſeri debeant, ac interdum etiam in Marmore Romana nomina Graecis admixta reperiantur, perſpicue inferri debet Epigraphem hanc ſub Caeſaribus exaratam eſſe, quum Romanorum plurimi Athenienſis civitatis iure donari coeperunt; quemadmodum ex ipſo quoque *Hadrianidis* Tribus nomine manifeſtiſſime apparet ipſam vel Hadriani, vel ſequentium Caeſarum aetate poſitam fuiſſe.

III.

Athenis

In Marmoris fragmento

. . . Φικιος Ξενοφωντος	Εισιδωρος
. . . δωρος	Στειριεις
. . . ος Αθηναιου	Διοδωρος Ζωσιμου
. . . Φοδιτος Αθηναιου	Ζωσιμος Πυλυβιου
. . . χος Αντιοχου	Κα Κορνηλιανος
. . . ελλην	Η.. αιος Αφροδισιου
. . . . ΠΡΑσιεις	Αγγεληθεν
. . . . Λεονιδο . .	Εισιδορος Φηλικος
Γραμματευς βουλευτων	Ιωνικος Αβρωνος
Αισιτοι	
. . . . . Ιεροφαντης	Γραμματευς βυλης και
. . . . . Δαδυχος	δημυ Αχα..ιος θλαδαμπτρυ
. . . . . Ιεροκηρυξ	περι το βημα . . . ωςπος
. . . . . λης και δημου	Αντιγραφευς . . . . .
. . . . . ος Αθηνοδωρου	Ιεραυλης . . . . δοτος
	Υπογραμματευς. . . .ιος

. . . *phicius Xenophontis*	*Iſidorus*
. . . *dorus*	*Stirienſes*
. . . *us Athenaei*	*Diodorus Zoſimi*
. . . *phodotus Athenaei*	*Zoſimus Polybii*
. . . *chus Antiochi*	*Caius Cornelianus*
. . . *ellen*	*E . . aeus Aphrodiſii*
. . . . . *Praſienſes*	*Angelenſes*
. . . . . *Leonidis*	*Iſidorus Felicis*
Scriba Senatorum	*Ionicus Abronis*
Aeſiti	
. . . . . Hierophanta	*Scriba Senatus, &*
. . . . . *Daduchus*	*Populi Acha . . us . . Lampri*
. . . . . *Sacer Praeco*	*Aſſiſtens ad tribunal . . . ortus*
Praeco Senatus, *& Populi*	*Contra-Scriba . . . . .*
. . . . . *ius Athenodori*	*Hieraules . . . dotus*
	Sub-Scriba . . . ius

Notae in Marmor III.

Quemadmodum veram Tribuum Athenienſium ſeriem ſuperiori Marmore confirmari poſſe iam vidimus, ita quoque Marmoris huius praeſidio, quamvis hoc mutilum, maximaque ex parte evanidum ſit, vera quorumdam Populorum Tribus oſtendi, vel confirmari facile poterit. Itaque, ſi fragmentum hoc cum ceteris Marmoribus a me iampridem editis [1] conferatur, perſpicue apparet in illo Tribus cuiusdam, quae *Prytaniae* munere fungebatur, *Prytanes*, conſuetaque methodo *Aeſitos* etiam memoratos fuiſſe; quumque *Stirienſes*, & *Angelenſes* Atticae Populi, quos adhuc in Marmore ſuperſtites eſſe conſpicimus, ad *Pandionidem* Tribum ſpectarent, Prytanes omnes, qui in dextera Marmoris parte recenſiti fuerant, ad Pandionidem ipſam referri debent Hinc in 7. verſu ſupplendum, legendumque ſuſpicor Πρασιεῖς, cum *Praſienſes* in Pandionide cenſerentur, ut ex monimentis aliis apparet; ſicuti viciſſim ex noſtro Marmore demonſtratur *Praſienſes* ipſos, *Stirienſes*, & *Angelenſes* prorſus in una eademque Tribu collocandos eſſe. Quod

(1) Tom. II. pag. 206.

Quod vero ad *Hierophantam*, ceteroſque pertinet, qui praefixo *Aeſitorum* titulo mox recenſentur, de ipſorum ſingulis opportune iam diſputavi [1]. Illud unum hic obſervari maxime velim quod *Senatorum*, hoc eſt Prytanum, *Scriba* dicitur *Ionicus Abronis filius*, qui in Sponiano Marmore [2] *Theopompi* Archontis anno inter *Paeanienſes* Prytanes, adeoque in ipſa *Pandionide* Tribu recenſetur; quumque in eodem ipſo Sponiano Marmore inter Angelenſes *Iſidorus Felicis* occurrat, qui in noſtro quoque Marmore *Angelenſibus* ipſis tribuitur, manifeſte deduci poterit, quod haec duo Marmora diverſis annis adſcribi debent, quamvis una prorſus atque eadem aetas utrique tribuenda ſit, qua *Theopompum Thalami filium Paeanienſem* Archontis Eponymi munere perfunctum eſſe iam vidimus.

IV.

Athenis

In columna quadam in Templo Theſei

Χολαργεις
Αντιφων Δημητριου
Μ. νανδρος
Αλκιβιαδης
Ερεν. Φιλητος
Ονησιμος)
Ευκαρπος Αχαικος
Κλ. Αλυπος
Κικυννεις
Ευκρατης Σελευκου
Σελευκος
Ηρεσιδαι
Ονησιμος Διονυσιου
Στρατων
Παπιανος Στρατωνος
Αγαθημερος Ασκληπιαδου

(1) Tom. II. pag. 148. (2) Pop. Attic. art. 146. Faſt. Attic. Tom. II. pag. 200.

Ερμειοι
Θεοτιμος Τρυφωνος
Ολυμπιοδωρος
Αφροδισιος Απολλωνιου
Πειναριεροκηρυξ
Κηρυξ βυλης και δημου
Γοργιας Αχαρνευς
Γραμματευς βουλης και
δημου Μαρκος Ευκαρ-
πιδου Αζηνιευς
Γραμματευς κατα Πρυτα-
νειαν Μουσαιος Φυλασιος
Αντιγραφευς Δημοσε-
νης Σαυνιευς
Ιεραυλης Ευχαριςος Παρα-
μονου Επιεικιδης
Υπογραμματευς Επιδοτος
Επι Σκιαδος Αφροδισιος

Cholargenſes
Antipho Demetrii
Menander
Alcibiades
Herennius Philetus
Oneſimus
Eucarpus Achaici
Claudius Alypus
Cicynnenſes
Eucrates, Seleuci
Seleucus
Ireſidae
Oneſimus Dionyſii
Strato
Papianus Stratonis
Agathemerus Aſclepiadis
Hermeii
Theotimus Tryphonis
Olympiodorus

Aphro-

Aphrodiſius Apollonii
Pinarius Sacer Praeco.
Praeco Senatus, & Populi
Gorgias Acharnenſis.
Scriba Senatus, &
Populi Marcus Eucar-
pidis Azenienſis.
Scriba Prytaniae tem-
pore *Muſaeus Phlaſius.*
Contra-Scriba Demoſthe-
nes Sunienſis.
Sacer Tubicen Eucharistus Para-
moni Epilcida.
Sub-Scriba Epidotus.
Tholo praefectus Aphrodiſius.

Notae in Marmor IV.

Mutila haec Epigraphe ſuperioris inſtar Tribus cuiuſdam *Prytanes* complectitur, qui ad *Acamantidem* Tribum Prytaniae munus tunc obeuntem certiſſime referri debent, ut ex ſuperſtitibus adhuc Populorum quorumdam nominibus perſpicue apparet. Etenim *Cholargenſes*, *Ireſidae*, *Hermeii* Atticae Populi *Acamantidi* inſcripti fuerant, ut variis Scriptorum teſtimoniis erudimur, idque nunc primum Marmorum quoque praeſidio confirmatur. *Cicynnenſes* etiam Acamantidi ſubiectos eſſe Scriptorum, Sponianique Marmoris teſtimonio compertum fuerat, idque perſpicue ex Marmoris huius fragmento comprobatur.

In *Aeſitis* autem illis, qui mox ſubiiciuntur, obſervari merito poterit quod neque *Praeco*, neque Senatus Populique *Scriba*, neque *Contra-Scriba*, ne quidem ipſe Prytaniae, ſive Acamantidis Tribus Prytaniae munere fungentis *Scriba* ex Acamantide ipſa ſelectus erat; quamvis in ſuperiori Marmore Pandionidis Prytaniae Scriba ex eadem ipſa Pandionide Tribu electus eſſet: quod argumento eſſe poterit eiuſmodi Scribarum munus ſolo ſortis ſuffragio concedi conſueviſſe. Obſervari etiam poterit quod inter Miniſtros alius Aphrodiſius etiam ΕΠΙ ΣΚΙΑΔΟΣ, prorſus ut

in

in Sponiano Marmore, recenſetur, de quo plura ſuis in locis opportune diſſerui (1). Vbi vero in 21. verſu legitur Πειναριεροκερυξ, ſupplendum exiſtimo Πεινάριος Ἱεροκήρυξ, quum in Sponiano etiam Marmore (2) Πεινάριος Φιλήμονος habeatur.

V.

Athenis

In columna in Templo Theſei, nunc S. Georgii

Αγαθη Τυχη

Επι Αρχοντος ΤΙ . Νηι . . . ο . . τικου Βησαι-
εως Στρατηγουντος επι τα οπλα Βαλεριου
Μαμερτινου Μαραθωνιου, Η̅ Πρυτανειας
ο Γραμματευς των βουλευτων της Ακαμαν-
τιδος Φυλης Φιλουμενος Ερωτος Κεφαληθεν
τιμησας τους συναρχοντας, και τους Αισι-
τους ανεγραψεν
Σφηττιοι
Λυσιμαχιδης Π°
Α . . Δημοσθενης
Ευφροσυνος
Ευμενης
Απολλωνιος
Επιγονος * Μαρκου — Sched. Επιονος
Ιπποκρατης Μαρκου
Αριςειδης
Β . . . διος Αριςειδου
Διονυσιος Προσδοκιμου
Αβασκαντος Ασκληπιαδου
Λυσιμαχιδης
Αγαθοκλης Ευμενους
Ηρακλειδης
Νηρευς Αλεξανδρου
Θορικιοι

Μεν

(1) Tom. II. pag. 152. (2) Pop. Attic. art. 146.

Μεη επι βωμω
Αττικος Γλαυκωνο . .
Νεικερος Επικτητου
    Κυρτειδαι
Αγαθων Φοιβου
Ζηνων
Ε . . Απολλωνιος
. . ε Κορνηλιανος
    Ολεργεις
Π . . . υσυνναχωρως
Αριστειδης Διονυσιου
Σωσιμος Διονυσιου
Νεικων
    Ηρεσιδαι
Διονυσιος

Quod fauſtum ſit

Sub Archonte Tiberio . . . . *tico Beſaeenſi, Armorum Praefecto Valerio Mamertino Marathonio, octava Prytania, Scriba Senatorum*, ſeu Prytanum, *Acamantidis Tribus Philumenos Erotis Cephalenſis honorans magiſtratus collegas, & Aeſitas inſcripſit.*

Sphettii
Lyſimachides Po.
A . . . . Demoſthenes
Euphroſinus
Eumenes
Apollonius
Epigonus Marci
Hippocrates Marci
Ariſtides
B . . . dius Ariſtidis
Dionyſius Proſdocimi
Abaſcantus Aſclepiadis
Lyſimachides
Agathocles Eumenis

Hera-

Heraclides
Nereus Alexandri
Thoricii
Me . . adſtans Altari
Atticus Glauconis
Nicerus Epicteti
Cyrtiadae
Agatho Phoebi
Zeno
E . . . Apollonius
. . . e Cornelianus
Cholargenſes
P . . . yſynnacorus
Ariſtides Dionyſii
Zoſimus Dionyſii
Nicon
Ireſidae
Dionyſius

Notae in Marmor V.

Eiuſmodi Marmor, ac cetera, quae mox conſequuntur, non modo *Prytanes*, *Aeſitos*, Atticaeque *Populos* exhibent; verum etiam nova, atque hactenus incognita *Archontum* Athenienſium nomina ſuppeditant, quae nunc primum feliciter in lucem eruta Eponymorum Archontum Faſtis adiungi debent.

Atque, ut ab ipſo Archontis Eponymi nomine exodiar, is in evanido, obſcuroque Marmore Τι . . νηι . . ο . . . . τικοσ Βησαιευς *Tiberius . . nei . . o . . . ticus Beſaeenſis* vocatur, adeoque facile *Tiberii* praenomen, ſimulque vel *Attici*, vel *Pontici* cognomen reſtitui poterit. Quandoquidem vero in alio Marmore, quod VIII numero mox proferetur, civis quidam, qui *Praeconis* munere tunc fungebatur, . . . νιος Α'πιος Α"ττικοσ Βησαιεὺς occurrit, initio ſuſpicabar unum eumdemque civem hunc eſſe poſſe, qui deinde Eponymi Archontis dignitatem obtinuerit, adeoque in Marmore legendum eſſe ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΑΠΠΙΟΥ ΑΤΤΙΚΟΥ ΒΗΣΑΙΕΩΣ *ſub Archonte Tiberio Appio Attico Beſaeenſi*. Verum, quum in Sponii [1], Mar-

(1) Pop. Attic. artic. 145.

Marmore, quod opportune iam protuli [1], perſpicue legatur ΕΠΙ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΤΕ ... ΝΙΟΝ ΠΟΝΤΙΚΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑ ΕΝΙΑΥΤΟΥ *anno poſt Te ... nium Ponticum Archontem*, alibique ... ΝΙΟΝ ΠΟΝΤΙΚΟΝ ΒΗΣ .. habeatur, unius eiusdemque *Te .... nii Pontici* Archontis nomen in utroque Marmore haberi poſſe obſervavi; adeoque nihil hic temere definiendum eſſe putavi. Si alterutrum tamen ex nominibus illis eligi debeat, facilius *Tiberium Appium Ponticum* ſeligerem, non modo quod *Beſaeenſis* Populus utrobique exprimatur; verum etiam quod ſuperſtites characterum laciniae hoc facilius nomen admittant. Quod ſi fortaſſe cui libeat coniecturam aliam amplecti, is Archontem hunc proxime ante *Theopompum Thalami Filium Paeanienſem* Faſtis Atticis inſcribat, qui μετὰ Τε .... νιου Πόντικον imperavit; ut proinde *Tiberius*, *Theopompus*, *Mamertinus*, & *Iceſius*, qui mox proferentur, iisdem temporibus ordine fere ſibi ſuccedentes Archontum Faſtos impleverint.

Praeter Archontis Eponymi nomen, *Strategi* etiam nomen in Marmore occurrit, quod in eximio quoque Marmore factum conſpicitur; quod in Faſtis Atticis ex Grutero iam protuli [2]. Ea vero dignitas, praeclarumque munus *Valerio Mamertino Marathonio* conceſſum dicitur, qui mox, in ſequenti Marmore addito *Marci* praenomine velut Eponymus Athenis Archon occurret. Quandoquidem vero nitide, diſerteque dicitur *Acamantidem* Tribum tunc Prytaniae munere perfunctam eſſe, eiuſque *Scribam Philumenum Erotis filium Cephalenſem* Prytanes collegas hoc monumento honoraſſe, dubitari certe vix poterit quin abſoluto iam Prytaniae tempore monimentum hoc excitari, publicoque monimento Prytanum nomina inſcribi debuerint; poſtquam nempe integro Prytaniae tempore rite, honeſteque ſuo munere perfuncti fuerant. Itaque, licet voces illae Η̄ Πρυτανείας ambiguae ſint, adeoque vel *Prytaniam octavam*, vel *octavum Prytaniae diem* exprimere poſſe videantur, perſpicuum eſt tamen ſolum Prytaniarum ordinem hic deſignari, quod nempe illius Archontis anno Acamantis Tribus *octavum* in Prytaniarum ordine locum obtinuit. Id vero clarius, ac illuſtrius etiam apparet ex Marmore, quod

(1) Tom. II. pag. 199. & 203. (2) Tom. I. pag. 42.

num. IX. proferetur. Siquidem in illo perſpicue dicitur honores Diodoro cuidam decretos ἐπὶ τῆς Αἰαντίδος ἑβδόμης Πρυτανείας ... ὀγδόῃ τῆς Πρυτανείας; adeoque primum Prytaniae ſeries, ſitus, ac numerus deſignatur, deinde vero Prytaniae, vel menſis civilis dies exprimitur. Ergo voces illae Η̄ Πρυτανείας ſolum Prytaniae ſitum, aut ordinem ſignificant; idemque prorſus de Marmoribus etiam aliis intelligi debet, in quibus Πρυτανείας ΙΓ., ſive ἐπὶ τῆς Β. Πρυτανείας occurrit, adeoque exprimitur Pandionidem Tribum *decimotertio*, Acamantidem vero *ſecundo* loco Prytaniae munere perfunctam eſſe.

Exinde vero celebris illa Dodvelli ſententia manifeſtiſſime refelli debet, qui quum veram Tribuum, ac Prytaniarum ſeriem explorandam ſuſcepiſſet, eamque demum ex Demoſthene, Thucydide, aliiſque Scriptoribus ſe deprehendiſſe putaret, *Pandionidi primum*, Acamantidi *ſeptimum*, Aeantidi *decimum* locum conceſſit [1]; quum tamen, ut rationes illas diſſimulem, quibus alibi inſignem hunc Cl. Viri errorem opportunius confutavi, in tribus hiſce Marmoribus Acamantidi quidem *octavus*, Pandionidi *tertius decimus*, mox Acamantidi *ſecundus*, Aeantidi demum *ſeptimus* locus concedatur; quod nimirum Tribuum quidem ordo, ac ſitus ſemper unus idemque foret, ut in illuſtrando II. Marmore iam obſervavi; Tribuum vero Prytaniae munus obeuntium ſeries fortuita, ſinguliſque annis diverſa foret; adeoque Acamantis ipſa modo *ſecunda*, modo *ſeptima*, modo *octava* imperaſſe, vel praeſediſſe deprehendatur, quamvis in vero conſtantique Tribuum ordine ſemper *quinto* loco recenſeretur.

Proxime poſt *Archontis*, *Strategi*, *Scribae*, ac *Prytaniae* nomen, *Prytanes* ipſi, ſervato praefixoque *Populorum* nomine recenſentur. Itaque *Sphettus*, *Thoricus*, *Cyſtiadae*, *Ireſidae* nominantur, quorum ſingulos ad *Acamantidem* Tribuum ſpectaſſe variis Scriptorum teſtimoniis innotuerat, nuncque primum Marmorum quoque praeſidio confirmatur; idque de *Cyrtiadis* praeſertim iucundum eſſe debet, quum ii Scriptoribus aliis ignoti ab Heſychio ſolum memorentur; quamvis ille *Cyrtiadas*, Marmor vero noſtrum *Cyſtidas* ipſos

(1) Vid. Faſt. Att. Tom. I. pag. 120.

ipſos appellaverit, neque facile deprehendi poſſit an Heſychio potius, an Marmori fides habenda ſit. Vbi tamen in hoc Marmore, itemque in IV. legitur Ἡρέσιδαι, reſcribendum puto Εἰρέσιδαι, ut in Scriptoribus obſervatur. Denique in Marmore Ὀλεργεῖς inter alios Acamantidis Populos recenſentur; atque, ubi Marmor ipſum rite accurateque exſcriptum fuerit, novus Atticae Populus hactenus incognitus hic haberetur. Quum tamen Χολαργεῖς, *Cholargenſes* nempe, iam noti fuerint, iique Stephano, Heſychio, Harpocratione, Suida, & Ariſtophanis Scholiaſte teſtibus in *Acamantide* cenſerentur, ſolo quadratarii, vel exſcriptoris vitio factum putaverim ut hic Ὀλεργεῖς pro Χολαργεῖς exaratum fuerit; adeoque illud unum ex Marmore deduci poterit quod *Cholargenſes* in Acamantide Tribu certiſſime cenſerentur. Quod ſi nullus Atticae Populus hactenus incognitus ex hoc ipſo, ceteriſque Marmoribus exſculpi poteſt, opportune tamen indicaſſe libet Populum quemdam Sigonio, Meurſio, Sponio, mihique ipſi pridem incompertum ex Etymologo nuper affulſiſſe, qui proinde ceteris Atticae Populis a me recenſitis adiungi debet. Etenim Etymologus qui pleraque ex antiquis Scriptoribus excerpſerat, ait: Γεφυρεῖς. Δῆμος Ἀττικὸς, ὅθεν ἡ Γεφυραῖα Δημήτηρ. Εἴρηται ἀπὸ τοῦ ἔχειν γέφυραν, δι' ἧς ἐπὶ Ἐλευσῖνα κάτεισιν οἱ Μύσται *Gephyrenſes. Populus Atticae, unde Gephyraea Ceres*. Populus autem ille ſic *appellatur ex eo quod pontem habeat, per quem* Cereris *Myſtae in Eleuſinem tranſeunt*. Itaque hic *Gephyrenſium*, ſive *Pontanorum* Populus inter Athenas, ac Eleuſinem, circa Cephiſum amnem conſtitui debet, quem Myſtae Eleuſinam contendentes tranſibant.

VI.

Athenis

In Columna in Templo Theſei nunc S. Georgii

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ

ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ Μ. ΒΑΛΕΡΙΟΥ ΜΑ
ΜΕΡΤΙΝΟΥ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ ΠΡΥ
ΤΑΝΕΙΑΣ ΙΓ ΟΙ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΤΗΣ

ΠΑΝΔΕΙΟΝΙΔΗΣ ΦΥΛΗΣ ΤΙΜΗ
ΣΑΝΤΕΣ ΕΑΥΤΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΑΙΣΙ
ΤΟΥΣ ΑΝΕΓΡΑΨΑΝ

ΜΝΥΜΟΣ	ΦΛΕΥΘΥΚΟΜΑΣ
ΠαιανιΕΙΣ	ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΙΣ
. . . . ΝΟΣ	ΣΑΓΚΙΟΣ ΒΑΚΧΙΟΣ
. . . . ΝΩΝΟΣ	ΔΑΣΟΥ Μ. ΘΑΛΗΣ ΠΡ
. . . . ΛΙΟΣ ΦΙΝ . . .	* ΔΑΣΟΥ Μ. ΘΑΛΗΣ ΝΕ * deeſt in
ΘΕΟΦΙΛΟΣ	ΔΑΣΟΥ Μ. ΝΙΚΟΚΡΑΤΗΣ Sched.
ΤΙΜΟΘΕΟΣ	ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ ΑΡΤΕΜΟΝΟΣ
..... Ν ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ	ΑΡΤΕΜΩΝ ΑΡΤΕΜΟΝΟΣ
. . . ΝΟΚΛΗΣ	ΚΕΛΑΔΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
. . . . ΕΙΟΣ)	ΤΡΥΦΩΝΙΟΣ ΚΕΛΑΔΟΥ
. . . ΟΣΘΕΝΗΣ	ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΚΕΛΑΔΟΥ
. . . ΝΗΣΙΟΣ) Μ . . .	ΦΛ. ΔΙΟΤΙΜΟΣ
. . . . ΗΣ ΟΝΗΣΙΚΡΑΤΟΥ	ΚΛ. ΖΗΘΟΣ
. . . . . ΙΟΣ	ΖΩΠΥΡΟΣ ΕΙΣΙΔΟΤΟΥ
. αΝΤΕΡΩΣ	ΕΙΣΙΔΟΤΟΣ
. . . .	ΣΤΕΙΡΙΕΙΣ

. . . .

ΤΑΜΙΑΣ	ΕΥΤΑΞΙΑΣ	ΕΥΤΑΞΙΑΣ
ΕΠΕΡΑΣΤΟΣ	ΑΜΦΙΩΝ	ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ
ΜΕΝΑΝ	ΣΟΣΙΒΙΟΥ	ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΔΡΟΥ	ΕΡΩΙΑΔΗΣ	ΚΗΦΕΙΣΙΕΥΣ

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΕΞ ΟΙΟΥ

Quod bene vertat.

Sub Archonte Marco Valerio Mamertino Marathonio, Prytaniâ decimatertia Prytanes Pandionidis Tribus honorantes ſeipſos, & Aeſitos inſcripſerunt.

Mnymus	*Flavius Euthycomas*
Paeanienſes	*Cydathenaei*
. . . . *nus*	*Sancius Bacchius*
. . . . . . *nonis*	*Daſi* f. Marcus *Thales ſenior*
. . . . *lius Phin*	*Daſi* f. Marcus *Thales iunior*

Theo-

Theophilus	*Daſi* f. Marcus *Nicocrates*
Timotheus	*Heliodorus Artemonis*
. . . . *o Heraclidis*	*Artemon Artemonis*
. . . . *nocles*	*Celadus Dionyſii*
. . . . . *ius*	*Tryphonius Celadi*
. . . *oſthenes*	*Demetrius Celadi*
. . . *neſius M* . . .	Flavius *Diotimus*
. . . . *es Oneſicratis*	Claudius *Zethus*
. . . . *ius*	*Zopyrus Iſidoti*
Anterus	*Iſidotus*
. . . .	*Stirienſes*

. . . .

Quaeſtor	*Ordinis* curator	*Ordinis*
Eperaſtus	*Amphion*	*Demetrius*
Menan-	*Soſibii*	*Demetrii*
dri	*Eroeades*	*Cephiſienſis*

Alexander Alexandri Oëenſis

Notae in Marmor VI.

Haec Epigraphe iampridem Athenis a Cyriaco exſcripta fuerat, atque inter editas ipſius Inſcriptiones pag. 15. num. 96. reperitur. Eam tamen hic iterum proferre libuit non modo quod illam quoque in eximiis Cl. Maffeii Schedis invenerim; verum etiam quod in iis ea longe plenior, atque accuratior occurrat. Ac certe quidem Cyriaci exemplar, quod ipſe quoque in *Faſtis Atticis* (1) exhibui, non modo dexteram ac depravatam Marmoris partem omnino praeterit; ſed etiam Populorum ſeriem mire perturbat; perinde quaſi inter Παιανιεῖς, & Κυδαθηναιεῖς nihil omnino interiectum foret, voxque Στεριεῖς ad civium nomina, quae praeceſſerant, referri debeat: quum tamen in Maffeii Apographo omnia nitide accurateque exponantur, ac *Prytanes*, praefixo Populi nomine, conſueta methodo memorentur, quibus in poſtrema Marmoris parte *Aeſiti* ſubiecti fuerant, atque inter illos Ταμίας *Quaeſtor*, itidemque Εὐταξίας, hoc eſt ordini Praepoſiti recenſebantur, de quibus opportune iam alibi diſputavi. Itaque id unum hic obiter obſervaſſe iuverit quod Mar-

(1) Tomo II. pag. 204.

Marmoris huius praeſidio confirmatur *Paeanienſes*, *Cydathenaeos*, & *Stirienſes* in Pandionide Tribu recenſitos eſſe, ac Pandionidem ipſam huius Archontis anno in Prytaniarum ordine *decimumtertium*, extremumque locum occupaſſe; adeoque Marmor poſt Hadriani Caeſaris initium excitatum eſſe, poſtquam nempe *decimatertia* Tribus in Caeſaris ipſius honorem inſtituta, atque *Hadrianis* vocata fuit.

Ceterum adieciſſe libet poſt vocem Ἀνέγραψαν hiatum aliquem admittendum videri, qui *Populos* alios, ipſiſque inſcriptos *Prytanes* abſorbuerit, ut proinde in dextera quidem columna Μνυμος *Mnymus*, in ſiniſtra vero Φλ. Εὐθυκόμας *Flavius Euthycomas* ſuperfuerint; niſi fortaſſe cui libeat unicum modo nomen hic ſuſpicari, quo Prytanum Scriba, ut in Marmoribus aliis, indicaretur.

Denique in hoc ipſo Marmore obſervari debet quod inter Cydathenaeos *Heliodorus Artemonis* filius, ac *Artemon* ipſe recenſentur, eademque prorſus nomina inter Cydathenaeos illos occurrunt, qui in *Theopompi* Archontis Marmore veluti Prytanes recenſentur [1], adeoque *M. Valerii Mamertini* annus a *Theopompi* Archontis anno plurimum diſtare non poterit, quod inferius argumentis aliis oſtendam. Quandoquidem vero *Alexander* ille *Oëenſis*, qui poſtremo loco memoratur, inter *Aeſitos* recenſeri debuit, facile titulus ipſi praefixus evanuit; quum certe vel *Scribae*, vel alterum ex nominibus illis affingi ipſi debeat, quae in Aeſitorum ſerie in Marmoribus aliis obſervantur.

VII.

Athenis

In Columna in Templo Theſei nunc S. Georgii

Αγαθη Τυχη

των Σεβαστων Μ. Αυρηλιου Αντωνινου
και Αυρηλιου Βηρου Αρμενιακων Παρθι-

κων

(1) Faſt. Attic. Tom. II. pag. 199.

κων Μεγιϛων. Του μετα Μαμερτινου Αρχοντος ενιαυτου, Στρατηγουντος επι τα οπλα Αυρηλιου Φιλημονος Φιλαιδου επι της Β Πρυτανειας, οι Πρυτανεις της Ακαμαντιδος Φυλης τιμησαντες εαυτους, και τους Αισιτους ανεγραψαν.

Σφηττιοι

Διοφαντος
Απολλιος Νεοκλης
Ευκαρπος Θεοδοτου
Αυλος Χαρεισιου
Σωκρατης)
Πομπανιος Αξιου
Επικτητος Φιλερωτος
Εισιδοτος Ζωσιμου
Καικιλιος Αλεξανδρου
Εισιδοτος)
και Φανιας
Καλλιγενης Λυσιμαχιδου
Ασκληπιαδης Σωσιμου

Κεφαληθεν

Προσδεκτος Πιττοκρατους
Φιλουμενος Ερωτος
Πρειμος Ερωτος

Θορικιοι

Ηρακλεων Τιμοκρατους

Εκ Κεραμεων

Πιστος)
Γραμματευς βουλευτων Ξ ηνων
Επωνυμος Ικεσιος Θεογενους

Αισιτοι

Φλ. Ιεροφαντης
Πομ. Δαδουχος

Bonae Fortunae

Auguſtorum Marci Aurelii Antonini, & Aurelii Veri Armeniacorum, Parthicorum Maximorum. Poſt Mamertinum Archontem anno, Praefecto Armorum

Aure-

Aurelio Philemonis Philaida, ſecunda
Prytania, Prytanes Acamantidis
Tribus honorantes ſeipſos, & Aeſitos
inſcripſerunt.
Sphettii
Diophantus
Apuleius Neocles
Eucarpus Theodoti
Aulus Chariſii
Socrates
Pomponius Axii
Epictetus Philerotis
Iſidotus Zoſimi
Caecilius Alexandri
Iſidotus & Phanias
Callirenes Lyſimachidis
Aſclepiades Zoſimi
Cephalenſes
Prosdectus Piſtocratis
Philumenus Erotis
Primus Erotis
Thoricii
Heracleo Timocratis
Ceramenſes
Piſtus
Scriba Senatorum Zeno.
Eponymus Iceſius Theogenis.
Aeſiti
Flavius Hierophanta
Pomp. Daduchus

Notae in Marmor VII.

Marmoris huius frontem ſolemnis illa Athenienſium formula exornat Ἀγαθῇ Τύχῃ, quae in plurimis monimentis aliis apparet; hoc uno tamen diſcrimine quod in iis a vocibus pone ſequentibus illa ſeiungitur, nihilque aliud ſignificat, quam omen veluti quoddam, adeoque latine redditur: *Quod fauſtum ſit*, ſive *quod bene vertat*; hic vero cum *Auguſtorum* nominibus repente ſubiectis ita coniungitur, ut *Bonae Au-*

Auguſtorum Fortunae titulus ipſe fere dicatus videatur; quemadmodum prorſus, ut exempla cetera omittam, in Riccardiani Marmoris titulo legitur: Θεοῖς, Τύχῃ Αὐτοκράτορος Καίσαρος Τ. Αἰλίου Ἀδριανοῦ Ἀντωνείνου Σεβαστοῦ [1]; atque in Sponii Marmore reperitur: Τιβερίου Κλαυδίου Ἀγαθῇ Τύχῃ [2]. Quandoquidem vero *M. Aurelius Antoninus* cum *Aurelio Vero* coniungitur, ac uterque *Auguſtus*, & *Armeniacus Parthicus Maximus* appellatur, dubitari non poterit quin titulus ille ad *M. Aurelium Antoninum* Antonini Pii ſucceſſorem ſpectare debeat, qui Antonini Pii iuſſu in ipſo ſtatim imperii initio anno Chr. 161. *Lucium Verum* ſibi Collegam adſcivit, qui in Nummis etiam *L. Verus Auguſtus Armeniacus Parthicus Maximus* appellatur. Itaque, licet Auguſtus ille ſolo plerumque *L. Veri* nomine deſignari conſueverit, in noſtro tamen Marmore, prorſus ut in pluribus monimentis aliis, *Aurelius* vocatur, quod patris adoptantis nomen ſuſceperit. Quumque ſolus *Armeniaci* titulus cum IV. Tribuniciae Poteſtatis anno in L. Aurelii Veri Nummis coniungatur, ac *Parthici* nomen nonniſi V. Trib. Pot. anno in Nummis ipſis incipere deprehendatur, Athenienſe Marmor, in quo uterque titulus ille conſpicitur, poſt V. imperii annum, adeoque poſt annum Chr. 166, hoc eſt 1. Olymp CCXXXVI. exaratum fuit; ſed ante annum 4. Olymp. CCXXXVIII. quo L. Aurelius Verus *undecimo* imperii anno e vivis exceſſerat. Ergo *Mamertinus* ille, qui in ſuperiori Marmore *M. Aurelius Mamertinus Marathonius* appellatur, inter Olymp. CCXXXVI. & CCXXXVIII. imperaſſe debuit, iiſque temporibus Faſtis Atticis inſcribi debent *Tiberius .... Ponticus Beſaeenſis*, ac *Iceſius*, quorum ille *Mamertini* Archontis annum praeceſſerat, hic vero Mamertinum ipſum proxime eſt conſequutus. Etenim, quum in Marmoris fronte iam praeceſſiſſet Prytanes Acamantidis Tribus ſeipſos, atque *Aeſitos* proximo poſt Mamertinum Archontem anno honoraſſe, in poſtrema Marmoris parte poſt Prytanes ipſos ante Aeſitorum ſeriem memoratur: Ἐπώνυμος Ἱκέσιος Θεογένους *Eponymus* Archon *Hiceſius Theogenis* filius, qui in Marmore proximo Ἱκέσιος Θεογένους Σφήττιος *Hiceſius Theogenis Sphettius* appellatur. Eiuſmodi vero for-

(1) Faſt. Attic. Tom. I. pag. 170. (2) Vid. Tom. II. pag. 197.

mula, ac ritus, quo Eponymi Archontis nomen ſeorſim a Prytanibus, ac Aeſitis inſcribitur, exemplis aliis illuſtrari, vel confirmari facile poterit, quum in Sponiano etiam Marmore, quod pridem (1) exhibui, legatur; Ἐπὶ τῦ μετὰ ΤΕ . . . ιιν Πόντικον Ἄρχοντα ἐνιαυτῦ . . . Πρυτανεῖς . . . τειμήσαντες αὐτὺς Ἀισίτυς (ſive, ut certiſſime reſcribi debet, αὐτὺς, ϗ Ἀισίτυς) ἀνέγραψαν. Ἐπώνυμος Θεόπομπος Θαλάμυ Παιανιεύς.

Neque *Hiceſii* ſolum, & *Mamertini*, aliorumque Archontum aetas iis finibus circumſcribi debet, quos ſubducto calculo iam demoſtravi, verum etiam iis temporibus adſcribendus erit *Philotimus Arceſidemi* filius *Eleuſius*, cuius Archontis anno *Paedotriba* fuiſſe dicitur *perpetuus Epictetus Philerotis Sphettius*, ut in Sponiano Marmore apparet, quod opportunius alibi exhibui (2). Itaque, quum in noſtro Marmore inter *Sphettios Epictetus Philerotis* occurrat, & *Philotimi* Inſcriptio poſt Hadrianum poſita fuerit, ut ex *Hadrianidis* Tribus nomine apparet, fortaſſe quoque ſub Antonino Pio, quum civilis annus a *Boëdromione* menſe veluti cardine deducatur, ſi unus idemque civis utrobique exprimitur, ut ipſa temporum ratio requirit, *Philotimus* Archon *Hiceſio*, ceteriſque proxime iungendus erit.

Denique, ut ad Prytanes ipſos huic Marmori inſcriptos, eorumque *Populos* convertar, *Sphettii*, *Cephalenſes*, *Thoricii*, & *Ceramenſes* hic ordine veluti Acamantidis Tribus Prytanes recenſentur. Ac *Sphettios* quidem, *Thoricios*, & *Ceramenſes* in Acamantide Tribu collocatos eſſe perſpicuis Veterum teſtimoniis innotuerat, quae Marmoris noſtri praeſidio mire confirmantur; quemadmodum *Cephalenſes* eidem adſcriptos fuiſſe non ex Scriptoribus ſolum, ſed ex Sponiano quoque Marmore (3) iampridem innotuit. Quum vero in Populis iſtis *ſeptemdecim* ſolum Prytanes occurrant, integerque numerus *quinquaginta* complecteretur, ſuſpicor in Marmore Populorum, ac Prytanum aliorum nomina excidiſſe, quod facile de Marmoribus aliis coniicere liceat, in quibus integer ille 50. Prytanum numerus deſideratur.

VIII.

(1) Tom. II. pag. 199. (2) Tom. II. pag. 181. (3) Pag. 50. Vide Faſt. Attic. Tom. I. pag. 167.

VIII.

In alia Columnae parte

Ρουφος	Επωνυμος
Θαλλος Διονυσοδωρου	Ικεσιος Θεογενους
Ιου. Φιρμος	Σφηττιος

Αττικος
Ποντιανος Λαμπρου
Ερε. Ασιατικος
Αιλιος Θεοτιμος
Διογενης Θεοφραστου
Διονυσοδωρος Μοσχου
Δειος)
Κα. Λυσανδρος
    Αισιτοι
Ιου Ιεροφαντης
Πο . . Δαδουχος
Πε . . Ιεροκηρυξ
Πε . . επι βωμ . . . . . . ιο . . . .
Κηρ . . ε . . κλημκ . . . . νιου Απιος Αττικος Βησαιευς
Γραμματευς βουλης, και δημυ Αινος Συμφορο . . . .
Αντιγραφευς Ω . . . . . κιμαχος Λαμπρευς
Περι το βημα . . . . . . ταμιακος
Ιεραυλης . . . Επιγ . . Ρουφου
Υπογραμματευς . . Διοδοτος
. . . . . δος Ι . . . . . ος

Rufus	*Eponymus* Archon
Thallus Dionyſodori	*Hiceſius Theogenis*
Julius *Firmus*	*Sphettius*

Atticus
Pontianus Lampri
Herennius Aſiaticus
Aelius Theotimus
Diogenes Theophraſti
Dionyſodorus Moſchi
Dius

Caius Lyſander
Aeſiti
Iulius Hierophanta
Pom. .. Daduchus
P. E . . Sacer Praeco
P. E . . adſtans Altari . . . .
Praeco Senatus, ac Populi *Appius Atticus Beſacenſis*
Scriba Senatus, & Populi Aenus Symphori
Contra-Scriba O . . . . *cimachus Lamprenſis*
Adſtans ad Tribunal . . . . tamiacus
Sacer Tibicen . . Epig. . . Rufi
Pro-Scriba . . . . *Diodotusus*
Praefectus Tho*lo I* . . . .

Notae in Marmor VIII.

Archontis Eponymi nomen, *Hiceſii* nempe *Theogenis* filii *Sphettii*, mutilum hoc Marmor ſatis illuſtrat; quum praeſertim in illo *Sphettii* nomen, *Hiceſii* nimirum *Populus*, exprimatur, qui in ſuperiori Marmore diſſimulatur. Ceterum in hoc ipſo Marmore, ſuperioris inſtar, Tribus alicuius Prytanes, ipſorum Populos, tandemque *Aeſitos* recenſitos fuiſſe ex ſuperſtite Aeſitorum titulo, atque nominibus demonſtratur. Quandoquidem vero *Acamantidis* Tribus Prytanes, qui Hiceſii Archontis anno eo munere functi ſunt, in ſuperiori Marmore recenſitos eſſe iam vidimus, Prytanum ſeries huic Marmori inſcripta ad Tribum aliam referri debet, quam ignorare nunc cogimur.

Illud autem in Aeſitorum ſerie obſervari facile poterit quod *Hierophanta* Ἰου ... *Daduchus* Πο... *Hieroceryx* Πε ... vocatur, eademque prorſus *Hierophantae*, *Daduchi* &c. nomina in *Theopompi* Archontis Marmore occurrunt, quod egregie confirmat *Theopompum* ipſum, ac *Hiceſium* iiſdem fere temporibus imperaſſe.

IX.

Athenis

In alio lapide

Επι Διονυσιου Αρχοντος του μετα
Παραμονον, επι της Αιαντιδος ε-
βδομης Πρυτανειας, Ηλαμιος Τιμου-
χου Ραμνουσιος εγραμματευε εν Γα-
μηλιωνος ογδοη ισταμενου, ογδοη της
Πρυτανειας, Βουλη εν βουλευ-
τηριω. Των Προεδρων επεψηφισεν
Στρατοφων Στρατοκλεους Σουνι-
ευς, και οι συνπροεδροι
Εδοξεν και βουλη * — *Sch. βουλαει
Ρισος Αρτεμονος Αλαιευς ειπεν.
Επειδη προσοδον ποιησαμενος προς
την Βουλην Διογνητος εξ Οιου ταμι-
ας ναυκληρων, και εμπορων των φε-
ροντων την Συνοδον του Διοσ του * — *Sch. το Διοστου
ξενιου εμφανισει τη βουλη βουλετ- * — *Sch. τει βουλει
ται την Συνοδον αναθειναι εικονα γρα- * — *Sch. αθειναι
πτην εν οπλω του εαυτων Προξε-
νου εχειροτονημενου δε κ̔ επι Νικ- * — *Sch. Νικ.. πτου
αρητου επι τον λιμενα Διοδωρου του
Θεοφιλου Αλαιεως, και εν τω αρχειω αυ-
του, και δια ταυτα παρακαλει την βου-
λην επικυρωσαι εαυτω ψηφισμα.
Αγαθη Τυχη. Δεδοχθαι τη Βουλη επι- * — *Sch. τει βουλει
κ . . εχωτηςθαο Διογνητω, και τη Συνοδω γρα-
πτης εικονος εν οπλω Διοδωρου του
Θεοφιλου Αλαιεως, και εν τω αρχειω αυ-
του καθαπερ παρακαλει την Βουλην

Sub Dionyſio Archonte, eo qui *poſt Paramonum* imperavit, *Aeantidis* Tribus

Pry-

Prytania, quae *ſeptima* erat, *Elamius Timuchi Rhamnuſius Scriba erat*, menſis *Gamelionis octavo* die, ſimulque *octavo Prytaniae*, *Senatu in Curia* coacto.
Ex Proëdris ſuffragia rogavit Stratopho Stratoclis filius *Sunienſis*, *& collegae Proëdri*
Placuit etiam Senatui
Rheſus Artemonis filius *Halaeus dixit*:
Quoniam accedens ad Senatum Diognetus Oëenſis Quaeſtor nauclerorum, *& mercatorum vehentium Synodum Iovis Hoſpitalis ſignificat Senatui velle Synodum ponere imaginem pictam in armamento eorum Hoſpitis*, *etiam conſtituti* pridem *ſub* Archonte *Nicarete ſuper Portum*, ſcilicet *Diodori Theophili Halaei*, *& in archivo ipſius; ac propterea hortatur Senatum ut confirmet ipſi* hoc *Decretum*,
Quod fauſtum ſit, *Placuit Senatui iterato concedere* honorem *Diogneto*, *& Synodo pictae imaginis in armamento Diodori Theophili Halaei*, *& etiam in archivo ipſius*, *ſicuti* Diognetus *hortatur Senatum*.

Notae in Marmor IX.

Athenienſis Senatus Decretum, quod eximio Marmori huic inſcriptum conſpicitur, pluribus certe nominibus inſigne cenſeri debet, quum varios Athenienſis Senatus ritus, ſolemnia Pſephiſmatum verba, Prytaniarum ordinem, Proëdrorum munera exponat, de quibus apud doctiſſimos etiam Atticarum rerum interpretes varias omnino ſententias circumferri iam vidimus; praeſertim vero tres Eponymos Athenienſium Archontes exhibeat, qui nunc primum in lucem prodeuntes Athenienſium Faſtis adiungi debent. Itaque ſingulas Marmoris partes breviter, accurateque explicabo, ut plurima, quae iampridem

dem

dem in Faſtis Atticis contra Sigonium, ac Dodvellum ex monimentis aliis oſtenderam, perſpicuo quoque Marmoris huius teſtimonio confirmentur; ſimulque plura, quae hactenus ignota fuerant, clariori quo poterit ordine proferantur.

Atque, ut ab Eponymis Archontibus in Marmore memoratis exordiar, tria ipſorum nomina deprehendiſſe videor. Etenim primum in ipſa Marmoris fronte legitur decretum illud editum fuiſſe Ἐπὶ Διονυσίου Ἄρχοντος τοῦ μετὰ Παράμονον *ſub Dionyſio Archonte, qui poſt Paramonum* imperavit; ut nempe Dionyſius ille a cognominibus aliis, qui ſubinde in Faſtis occurrunt, addito praeceſſoris nomine, veluti charactere, diſtingueretur, quod in pluribus monimentis aliis factum conſpicitur, ut in Gruteriano lapide reperitur [1], ἐν τῷ ἐπὶ Διονυσίου τοῦ μετὰ Λύκισκον Ἄρχοντος ἐνιαυτῷ *in Dionyſii poſt Lyciſcum Archontis anno*. Itaque *Paramonus*, proximoque anno *Dionyſius* iſte Eponymorum Faſtis inſcribendus erit. Quandoquidem vero inter alia *Diodori Halaei* merita memoratur quod ille καὶ ἐπὶ Νικαρήτου ἐπὶ τὸν λιμένα ἐχειροτονήμενος *etiam ſub Nicareto Portui praefectus electus* fuit, ſolemnis illa formula, quae centies in Atticis Scriptoribus, ac monimentis aliis occurrit, ἐπὶ Νικαρήτου, non aliud ſane, quam Eponymi Archontis nomen ſignificat, cuius Archontis anno Diodorus Athenienſis portus curam, vel Praefecturam ſuſcepit; adeoque *Nicaretus* etiam Archontum Faſtis paullo ante *Paramonum* adiungendus erit. Eiuſmodi vero Archontum ſitus, atque aetas nonniſi laxioribus terminis circumſcribi poterit, quum nulli propemodum temporis characteres in Marmore reperiantur. Illud unum certo conſtitui poterit, illuſtre hoc Marmor poſt Olymp. CXVIII. exaratum eſſe, qua *decem* antiquis Athenienſium Tribubus duae aliae, *Antigonis* nempe, ac *Demetrias*, ſive, ut poſtmodum appellatae ſunt, *Ptolemais*, atque *Attalis* adiectae fuerant, quum certe in Marmore *duodecim* Prytaniae, adeoque totidem Tribus perſpicue memorentur, ut mox oſtendetur; idque tamen ante Olymp. CCXXVII. contigiſſe debuit qua *decimatertia* Tribus, *Adrianis*, eiuſque Prytania in Hadriani Caeſaris honorem inſtituta fuit.

Proxime poſt Archontum duorum nomina *Aeantidis* Tri-

(1) Pag. 329. num. 2.

Tribus nomen occurrit, quae *ſeptimo* loco Prytaniae munere fungeretur, idque *ſeptimo* prorſus civilis anni menſe, *Gamelione* nimirum, quo decretum hoc editum fuiſſe dicitur. Illuſtre, ac indubium Marmoris huius teſtimonium manifeſtiſſime oſtendit civilis anni cardinem adhuc in Hecatombaeonis menſis initio conſtitutum fuiſſe, atque Athenienſium Tribuum ſeriem in obeundo *Prytaniae* munere variabilem, unique ſortis arbitrio ſingulis annis commiſſam fuiſſe; quum Aeantis illa, quae Demoſthenis aetate Scirophorione menſe, adeoque *decimo* loco imperavit [1], hic *ſeptimo* demum loco Gamelione menſe praefuiſſe dicatur. Neque vero Prytaniae ſolum, aut Tribus ordo, vel ſitus exprimitur, verum etiam Prytaniae menſiſque dies hic aperte indicatur, ubi mox dicitur decretum illud Γαμηλιῶνος ὀγδόῃ ἱςαμένυ, ὀγδόῃ τῆς Πρυτανείας *Gamelionis octavo* die, itidemque *octavo Prytaniae* editum fuiſſe. Quo quidem pulcherrimo, atque unico exemplo iam conſtat quod aucto Tribuum Athenienſium numero Prytaniarum tempus imminutum fuit; adeoque, quum Tribus ipſae poſt Cliſthenis Archontis annum, hoc eſt 4. Olymp. LXVII *decem* forent, ipſarum ſingulae 35. vel 36 diebus Prytaniae munere fungebantur, ut opportune iam demonſtravi [2]; ubi vero Tribubus ipſis *duae* rurſus adiectae fuerant, duodecim Tribuum quaelibet unico menſis ſpatio imperabat, adeoque menſis ac Prytaniae dies, ipſorumque numerus accuratiſſime conſpirabat. Id ego quidem Etymologi teſtimonio ſuaderi poſſe obſervavi [3] ubi Scriptor ille diſerte ait: Πρυτανεία ἀριθμὸς ἡμερῶν τριάκοντα *Prytania* eſt *numerus dierum triginta*. Sed inſignem illum Etymologi locum, qui magno Scaligero impoſuit, vitiatum eſſe perſpicue demonſtravi. At nullus in poſterum dubitandi locus ſupererit, quin aucto Tribuum numero Prytaniae tempus 30. dierum ſpatio circumſcribi coeperit, quum id ex noſtro Marmore manifeſtiſſime confirmetur.

Illud etiam obſervari poterit, quod ſicuti in Marmoribus aliis legitur ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ *concione in Theatro congregata* [4] ἐκκλησίᾳ ἐν τῷ ἐκκλησιαςηρίῳ *Concione in*

Con-

(1) Vid Faſt. Attic. Tom. I. pag. 125. (2) Tom. I. pag. 101. (3) Ibi pag. 101.
(4) Vid. Faſt. Attic. Tom. I. pag. 280.

Concionum loco habita (1); ita quoque in noſtro dicitur Βϐλῇ ἐν βϐλευτηρίῳ *cum Senatus in ſtato Senatus loco haberetur*: quod & Pſephiſmatis editi locum, & legitimum ſanciendi decreti ritum deſignat. Eiuſmodi vero voces a ſequentibus ſeiungendas eſſe, adeoque voces illas τῶν Ἀροέδρων non ad βϐλευτηρίῳ, ſed ad ἐπεψήφισεν referendas eſſe, licet in Marmore nulla diſtinctio reperiatur, ex iis inferri, certoque conſtitui poterit, quae fuſe iam protuli ubi decretum aliud a Laërtio conſervatum mire implexum, fruſtraque a doctiſſimis Viris tentatum expoſui (2). Quemadmodum ergo in vitiato Laërtii loco ita interpungendum ac legendum oſtendi . . . Ἐκκλησίᾳ κυρίᾳ. Τῶν Προέδρων ἐπεψήφιζεν Ἵππων Κρατιστοτέλϐς Ξυμπετέων, καὶ οἱ Συμπρόεδροι, Θράσων Ἀνακαιεὺς εἶπεν... *cum Concio legitima* haberetur. *Ex Proëdris ſuffragia perrogavit Hippo Cratiſtotelis filius Xympeteon, eiuſque collegae Proëdri, Thraſo Anacaeus dixit*; ita quoque eadem prorſus diſtinctio in noſtro etiam Marmore admitti debet, in quo ſolemnis illa Pſephiſmatum rogandorum formula iisdem prorſus verbis expreſſa reperitur. Quinetiam, ſicuti ex pulcherrimo Laërtiani Pſephiſmatis exemplo demonſtravi quod ἐπεψηφίζειν, hoc eſt *ſuffragia rogare*, *Populum in ſuffragia mittere*, *ferendi ſuffragii ius concedere*, non ad Prytanes, aut 7. Proëdros *contribules* ex Prytanibus ipſis electos ſpectabat, ſed ad *novem* Proëdros alios tunc ſortito ex novem Tribubus aliis ſelectos ſpectaſſe debuit, quod Hippon ille *Xympeteon* in *Cecropide*, non in *Acamantide* Tribu tunc Prytaniae munus obeunte, cenſeretur; ita Marmoris noſtri praeſidio diſcrimen illud Sigonio, Petavio, Dodvello, ceteriſque incompertum illuſtrius confirmatur, cum Stratophon Proëdrus, qui ſuffragia perrogavit, *Sunienſis* foret, adeoque in Leontide, ſive Attalide, non vero in Aeantide Tribu cenſendus eſſet, quam editi decreti tempore Prytaniae munus obiiſſe vidimus. Denique, ſicuti apud Laërtium legem rogaſſe dicitur Thraſo *Anacaeus* in Hippothoontide Tribu collocatus, ita quoque hic dicitur pſephiſma propoſuiſſe Rheſus *Halaeus*, qui non ad *Aeantidem* Prytaniae titulo tunc exornatam, ſed ad Cecropidem, vel Aegeidem Tribum ſpectabat; adeoque utrobique

(1) Ibi pag. 283. (2) Tom. I. pag. 283.

civis ille, qui ſententiae, vel decreti ferendi auctor fuit, ex alia Tribu Prytaniae muneris tunc experte ſelectus fuit. Illud unum in noſtro Marmore, veluti diſcrimen, occurrit, quod ante Rheſi legem rogantis nomen voces illae exarantur Ε᾽δοξεν καὶ βȣλῇ *Placuit etiam Senatui*, quae certe voces, aut formula in decretis aliis omittitur.

Quandoquidem vero Rheſus, ut honores Diodoro Theophili filio Halaeo decretos ab ipſo quoque Senatu impetret, Senatui exponit Diodorum ipſum Πρόξενον *hoſpitem* fuiſſe *Synodi Iovis Hoſpitalis*, eoſque honores a Synodo iam decretos fuiſſe, Synodique mentem Senatui expoſitam eſſe a *Diogneto Oëenſi*, qui *Quaeſtor* erat *Mercatorum*, *ac Nauclerorum Synodum* ipſam *ferentium*, diligentius inquiri debet quid hoc *Synodi* nomine intelligatur, quive fuerint Mercatores illi, qui *Iovis Hoſpitalis Synodum*, ſive Coetum *adveherent*. Ac Iovis quidem *Xenii*, vel *Hoſpitalis* nomen ſaepiſſime in Monimentis aliis occurrit, quum Iupiter ipſe hoſpitii cuſtos, hoſpitalis iuris vindex a Veteribus haberetur, ut ait Virgilius (1)

Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur;

eiuſque imago in hoſpitali teſſera inſculpi conſueverit, unde Carthaginienſis Hanno apud Plautum (2) ſeſe ab Agoraſtocle hoſpitii iure recipiendum aſſerens ait

Deum hoſpitalem, ac teſſeram mecum fero.

Ita quoque Cicero (3) *Iovis Hoſpitalis* nomen expreſſit, qui ab Ovidio tamen *Iupiter Hoſpes* vocatur, quum ait (4)

Ante fores horum ſtabat Iovis hoſpitis ara;

Iovemque *Xenium* a Tibarenis Scythiae populis eximio cultu honoratum fuiſſe Apollonius (5) teſtatur. Plutarchus (6) aſſerit quod Ξενίȣ Διὸς πολλαὶ τιμαὶ ϗ μέγαλαί ἐϛιν *Hoſpitali Iovi multi, magnique honores deferuntur*; ſicuti Pauſania (7) teſte Ζεὺς Ξένιος, ϗ Α᾽θηνᾶ ξενία *Iupiter Hoſpitalis*, ac *Minerva Hoſpitalis*, eorum nempe ſimulacra, in *Phiditiorum* loco

(1) Aeneid. I. ver. 735. (2) In Poen. Act. V. ſcen. 2 ver. 87. (3) Orat. pro Deiotaro. (4) Metamor. Libr. X. (5) Argonaut. Libr. II. (6) Libr. de Exil. (7) Lacon. c. 11.

co, ubi hoſpites conviviis excipiebantur, Lacedaemone excitata fuerant; atque ibi facile publica hoſpitii iura cum exteris ſanciri conſueverant, ut Lacones in Olympii Iovis templo Apollonium ξένον παρὰ τῷ Διὶ ἐποιȣ̃ντο *hoſpitem coram Iove fecerunt* (1). Quis tamen *hoſpitem*, aut *hoſpitalem Iovem* Athenis etiam honoratum eſſe noverat; aut ubi *Synodus*, civiumque Coetus hoſpitali Iovi ſacer affulſit; aut denique Coetum hunc a mercatoribus, & naucleris alicunde advectum eſſe quis viderat? quae tamen omnia in pulcherrimo hoc Marmore memorantur.

Quamvis tamen haec omnia, ac peculiaris ille Athenienſium Coetus ex hoc uno Marmore repente nobis affulgeat, aliarum tamen Gentium exemplo id exponi, vel illuſtrari facile poterit, apud quas ſacri Coetus illi, Conventus, aut Synodi nobis occurrunt. Ita *Synhodus Apollinis* in Gruteriano (2) lapide memoratur; alibi (3) Σύνοδος τῶν Μυςῶν *Synodus Myſtarum* legitur; alibi (4) Ἱερὰ τάξις Παιανιςῶν *Sacer Ordo Paeaniſtarum*; alibi (5) denique Σύνοδος ξυςικὴ τῶν περὶ τὸν Ἡρακλέα Ἀθλήτων *Synodus xyſtica Athletarum Herculanorum* apud Gruterum ipſum habetur. Ita quoque, ut ex Sherardi Schedis exemplum aliud hic proferam (6), in iis ἡ Ὀλυμπικὴ Σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκȣμένης Ἱερονικῶν *Olympica Synodus Hieronicarum, qui ubique terrarum vicerunt*; atque in Cl. Maffeii Schedis haec alia Epigraphe reperitur:

Οι περι τον Διονυσον τεχνιται
Πασανδρον απο γενȣς των αυτων
ευεργετην, ϗ ιερεα της Συνοδȣ
Διονυσω.

Artifices in Bacchi Sacris operantes
Piſandrum iam inde a maioribus ipſorum
benefactorem, & Sacerdotem Synodi
Baccho commendant;

denique inter ineditas Chiſulli Inſcriptiones Smyrnenſis quaedam habetur, in qua ἡ Σύνοδος τῆς Θεȣ̃ Μυςῶν *Synodus Myſtarum Deae* memoratur.

 Ita-

(1) Philoſtr. in Vita Lib. IV. c. 31. (2) Pag. 330. num. 3 (3) Pag. 309. num. 1. (4) Pag. 314. nu. 2. (5) Pag. 315. num. 4. (6) Epiſt. ad Magliab. Tom. III. pag. 355.

Itaque, ſicuti in variis iis Vrbibus *Apollini*, *Myſtarum Paeaniſtarum*, *Herculis*, *Hieronicarum*, & *Bacchi* Synodi, ſive Conventus habebantur, ita quoque alicubi, vel Athenis ipſis *Iovis Hoſpitalis Synodus* haberi potuit.

Quandoquidem vero Synodus illa a naucleris & mercatoribus tranſvecta dicitur, atque Diodorns ille Athenienſis *Synodi hoſpes* vocatur, ſuſpicari quis poſſet cives illos, ex quibus haec Synodus conſtabat, non Athenienſes, ſed exteros fuiſſe; ut quemadmodum nempe in Panathenaeis Feſtis ex variis Vrbibus *Theori* publice Athenas mittebantur, qui Minervae ſacris adeſſent, ita quoque in *Diaſiis* Iovi conſecratis ab Vrbe quadam *Iovis Hoſpitalis* Synodus Athenas mitteretur. Verum, quum ipſe quoque Synodi Quaeſtor Athenienſis eſſet, facilius exiſtimo cives omnes, ex quibus Synodus illa conflata fuit, Athenienſes fuiſſe; eamque Synodum non alio, quam Delum, a naucleris tranſvectam fuiſſe. Etenim perſpicuo Tucydidis (1) teſtimonio demonſtratur quod ἦν μεγάλη ξύνοδος, ϗ ἑορτὴ ἐν τῷ Δήλῳ . . τοὺς χοροὺς οἱ νησιῶται, ϗ οἱ Ἀθηναῖοι μεθ᾽ ἱερῶν ἔπεμπον *ingens conventus, & celebritas erat in Delo . . inſularum accolae, & Athenienſes choros cum ſacris eo mittebant*; quemadmodum Heliodorus (2) aſſerit ex Epheſo in Delum non modo *Dianae*, ſed *Apollinis* etiam Sacerdotem theoriam, ac ſacrificia vexiſſe. Ergo facile Conventus ille, vel *Synodus Iovis hoſpitalis*, quae Athenis inſtituta fuerat, quotannis Delum concedere conſueverat; ut proinde ibi a Diodoro Halaeo, Athenienſi Delioque cive hoſpitio excipi potuerit. Ita nimirum facile intelligi, exponiqne poterit tum Synodi Quaeſtorem, tum Synodi hoſpitem Athenienſes fuiſſe, quum Deli cives Athenienſes eſſent, Atticaeque Populis inſcripti; praeſertim vero intelligi poterit cur honores hoſpiti a Synodo decreti ab Athenienſi Senatu confirmari debuerint: quod aegre explicari profecto poſſet ſi mercatores illi, naucleri, ac Synodus ipſa ad Vrbem aliam referendi forent, cuius arbitrio imperioque honores eiuſmodi concedendi poteſtas unice commiſſa fuiſſet; neque naucleri & Quaeſtor decretum illud ab Athenienſi Senatu, extera nimirum Republica, confirmari poſtulaſſet.

Quod

(1) Lib. III. (2) In Aethiop. Lib. I.

Quod vero Synodi voluntate, ac Senatus conſenſu pictam Diodori imaginem ἐν ὅπλῳ collocandam, ſive pingendam eſſe mox dicitur, obſcurum plane ſenſum hic efficit, quum nitide, certoque definiri vix poſſit quid ὅπλυ nomine deſignetur, quove in loco imago illa pingenda, vel collocanda fuerit. Si quidpiam tamen in tanto veterum Scriptorum ſilentio coniicere hic liceat, ſuſpicor hic ὅπλυ voce quamdam navis partem, praeſertim vero velum aliquod exprimi in quo mercatores illi, & naucleri, ſive Synodus ab iis vecta hoſpitis imaginem pingere voluerint. Etenim Pollux [1], cum varia nauticorum inſtrumentorum genera accuratiſſime memoraſſet, ſubdit haec omnia communi ὅπλυ voce deſignari: Τὰ δὲ σύμπαντα σκεύη ὅπλα καλεῖται *haec autem inſtrumenta omnia* ὅπλα *arma vocantur*; quemadmodum ſane Latini quoque ſingula ad naves ſpectantia communi voce *armamenta* vocarunt, ac Heſychius Homero, Hippocrate, aliiſque vadibus, nauticos etiam *rudentes* ὅπλα *arma* vocavit. Itaque velum ipſum navis σκέυος vocatur; ut in Actis Apoſtolorum [2] σκεύη πλοίυ navis vela dicuntur, communique & ambiguo σκέυυς nomine ſingulas navis partes, ac vela ipſa deſignari perſpicuo Xenophontis teſtimonio Pollux oſtendit [3]: σκεύη τριηρικὰ, κ̇ σκεύη ναυτικὰ, ἐφ' ὧν ὁ Ξενοφῶν σκέυη ξύλινα, κ̇ κρεμαςὰ *inſtrumenta triremis*, *inſtrumenta nautica*, *de quibus Xenophon ait inſtrumenta lignea*, *inſtrumenta ſuſpenſa*. Quod ſi voces illae σκεύη, atque ὅπλα inſtrumenta ſingula nautica, atque ipſa quoque *vela ſuſpenſa* complectuntur, quid veriſimilius aſſeri hic poterit, quam ὅπλυ nomine *velum* deſignari, adeoque Diodori imaginem in ipſo navis velo pingendam eſſe? Ac certe quidem in navium velis, ratiumque partibus Deorum, aliarumque etiam rerum imagines pingi conſueviſſe plurimis Veterum teſtimoniis erudimur, e quibus aperte colligitur inter imagines ipſas diſcrimen illud haberi, ut aliae quidem *tutela*, aliae vero παράσημον, aut *ſignum* vocarentur; quorum utrumque expreſſit Ovidius [4]

Eſt mihi, ſitque precor, flavae tutela Minervae
Navis & a picta caſſide nomen habet.

Si-

(1) Lib. I. c. 9. ſeg. 94. (2) Cap. 27. ver. . . . (3) Lib X. c. 1. ſeg. 13. (4) Triſt. Lib. I. eleg. 9.

Siquidem *tutelae* nomine Numinis illius imago vocata fuit, cuius curae, tutelae, praeſidioque navis ipſa commiſſa vel commendata fuerat; *ſignum* vero dicebatur quaecumque effigies aut imago, quae veluti ſymbolum, ac ornamentum adiungi conſueverat, ut ratis una ab alia diſtingueretur, atque ab illo navis ipſum quoque nomen plerumque ſortiretur. Itaque facile ſuſpicari poſſumus a naucleris ipſis, aut a ſacro civium coetu Diodori veluti *publici hoſpitis* imaginem minori cuidam ratis velo appingi potuiſſe; ut proinde effigies illa ἐν ὅπλῳ, in ea ſcilicet navis parte, vel inſtrumento nautico expreſſa foret, quae pingendae imagini aptior videbatur. Altera vero Diodori ipſius imago, quae ἐν τῷ αρχείῳ pingenda decernitur, eo in loco effingenda fuerat, in quo Diodorus ipſe vel publica Synodi monimenta ſervare, vel munere ſuo perfungi, vel Synodum hoſpitio excipere conſueverat, quum utrumque graeca voce ἀρχείῳ intelligi, exprimique poſſit.

Ceterum ex hoc quoque Pſephiſmate perſpicue apparet honores civibus aliis decretos tum demum ratos atque legitimos haberi conſueviſſe cum publica Senatus auctoritas, atque conſenſus acceſſiſſet; quod, ut innumera id genus exempla omittam, ex illuſtri Deliorum exemplo demonſtratur [1]; in quo diſerte legitur tum demum Deliorum Decretum ratum fuiſſe cum illud Athenis etiam ἐπεψηφίσθη. Itaque Diognetus hic poſtulat hortaturque Senatum ἐπικύρωσαι *confirmare* Decretum, quod a Synodo ſcitum fuerat; ac Senatus ipſe Synodi, & Diogneti votis annuens *Diogneto, ac Synodo pictae imaginis* honorem Diodoro conceſſum confirmat. Itaque in 25. verſu ubi depravate, nulloque ſenſu legitur επικ .... εχωτησθαρ reſcribendum exiſtimo ἐπισυγχωρεῖσθαι, ſive ἐπιπαραχωρεῖσθαι *iterato concedere*; id enim & verborum contextus, & graecarum vocum ſenſus poſtulat, ac ipſi quoque ſuperſtites literarum ductus facile admittunt, quum praeſertim exſcriptor ubique fere ubi character H vel exaratus, vel exarandus erat in Marmore, characteres EI ſubſtituerit, ut in margine obſervavi. Certe in ſimillimo Deliorum Decreto, Athenienſis Populus rogatur συνεπιχωρῆσαι τοῖς ἐπιψηφισμένοις, honores ſcilicet Eubulo cuidam a De-

(1) Vid. Faſt. Attic. Tom. I. pag. 283.

Deliis decretos ratos facere, iteratoque concedere, ut proinde ſolemnis illa Pſephiſmatum formula hoc etiam loci reſtitui debeat.

X.

Athenis

Ο Δημος

Βασιλεα Αριοβαρζανην ευσεβη Φιλορωμαιον τον εκ βασιλεως Αριοβαρζανου Φιλοπατορος, και βασιλισσης Αθηναιδος Φιλοστοργου τον εαυτου ευεργετην ανεθηκεν.

Populus

Regem Ariobarzanem Pium Philoromaeum regis Ariobarzanis Philopatoris, & reginae Athenaidis Philoſtorgi filium, & *ſuum benefactorem dicavit.*

Notae in Marmor X.

Hactenus in iis Marmoribus, quae ſuperioribus locis exhibui, domeſtica fere Athenienſis Populi monimenta contemplati iam ſumus, quum in iis Athenienſium menſium ſeriem, Tribuum ordinem, Populorum nomina, Eponymos demum Archontes aliquot inſpexerimus, qui Scriptoribus omnibus ignorati nunc primum e tenebris affulſere, aliorumque Faſtis adiungi debent. Nunc autem extera, ſive potius exterarum Gentium monimenta nobis occurrunt; quum brevis, & elegans haec Inſcriptio ſtatuae cuiusdam, ut videtur, baſi inſculpta *Ariobarzanem regem Ariobarzanis* alterius *regis*; *atque Athenaidis reginae filium* nobis exhibeat, quem Athenienſis Populus ſtatuae, titulique honore decoravit.

Quam-

Quamvis autem Inſcriptio breviſſima ſit, plurima tamen complectitur, ex quibus variis Hiſtoriae capitibus uberrima lux affundatur; atque nonnulla, quae hactenus incomperta, vel minus accurate a Scriptoribus, atque Interpretibus expoſita ſunt, perſpicue exinde, nitideque demonſtrantur.

Atque, ut ab ipſo regis nomine exordiar, licet in Marmore ipſius regnum, aut Provincia minime exprimatur, nullus hic tamen ambigendi locus eſſe unquam poterit, quin *Ariobarzanes* ille ad *Cappadociam* ſpectaverit, quum frequentiſſime in Graeca, Latinaque Hiſtoria *Ariobarzanes* Cappadociae reges occurrant. Ex pluribus tamen, qui hoc ipſo nomine ſunt appellati, aliquem ſolum in Marmore deſignari, qui poſt Mithridatici belli tempora, ſive poſt Olympiadem CLXXI. imperaverit, ex ſolo ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ titulo deprehendi poterit, qui antiquioribus aliis adſcribi, vel convenire non poterat. At, ne coniecturis, & argumentis aliis hic immorer, patris, matriſque etiam nomen manifeſtiſſime oſtendit Epigraphem hanc ad Ariobarzanem illum ſpectare, qui anno 4. Olymp. CLXXIX. Vrb. Con. 692. Ariobarzani patri adhuc ſuperſtiti in Cappadociae regno ſucceſſit.

Etenim extincta iam *Ariarathum* familia, quae diu Cappadociae regnum tenuerat, Mithridate Pontico, ſimulque Nicomede Bithyno rege de Cappadociae regno contendentibus [1], *Senatus* Romanus *Mithridati Cappadociam, & Nicomedi Paphlagoniam ademit, uterque Populus libertate donatus eſt. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes negant vivere Gentem ſine rege poſſe. Atque ita rex illis a Senatu Ariobarzanes conſtituitur.* Quum vero Ariobarzanes a Mithridate, moxque etiam a Tigrane Mithridatis genero expulſus eſſet [2], a Sylla Ciliciae Propraetore reſtitutus eſt anno V. C. 660. quamvis iterum regno pulſus fuerit; ut proinde Cicero Maniliam legem anno V. C. 688. defendens dixerit [3] *regno expulſus eſt Ariobarzanes Socius Populi Romani, & Amicus*, adeoque Pompeium contra Mithridatem mittendum ſuaſerit, qui regnum Ariobarzani reſtitueret,

Ita-

(1) Iuſtin. Lib. XXXVIII. c. 2. Strabo Lib. XII. p. 540. (2) Plutar. in Sylla; (3) Pro lege Manil. c. 5.

Itaque, quum Ariobarzanes iſte *ſocius*, *& amicus Populi Romani* dicatur, ſuſpicari quis poſſet ipſum in noſtro Marmore memorari. Sed Ariobarzanes ipſe, qui Ariarathi in Cappadociae regno ſucceſſit, *Philopater* quidem in noſtro Marmore appellatur, ſed *regis* filius eſſe non poterat, regnumque non *paternum*, neque haereditario iure ſibi debitum, ſed liberis Cappadocum ſuffragiis, ac Senatus Romani munere conceſſum obtinuit, ergo Epigraphe non de ſeniori Ariobarzane, ſed de eius filio, vel ſucceſſore intelligi profecto debet. Ac certe quidem quod Ariobarzanes iſte filium, regnique ſucceſſorem habuerit, perſpicue oſtendit Valerius Maximus (1), qui diſerte memorat Ariobarzanem coram Pompeio Magno Cappadociae regnum Pompeii auſpicio recuperatum ſponte filio conceſſiſſe, filiumque ipſum fere reluctantem Pompeii monitu atque auctoritate regiam demum ſedem occupaſſe.

Eiuſmodi vero Ariobarzanis regis filium, ac ſucceſſorem eodem ipſo *Ariobarzanis* nomine vocatum eſſe ex variis Ciceronis locis invicem collatis aperte colligitur. Etenim Cicero (2) in Epiſtola quadam, quam anno V. C. 705. exaravit, ait: *Ariarathes Ariobarzanis filius Romam venit. Vult, opinor, regnum aliquod emere a Caeſare; nam, quo modo nunc eſt, pedem ubi ponat, in ſuo non habet*. At in Epiſtola (3), quam Ciliciae Proconſul anno Vrb. Cond. 702. ſcripſit, aſſerit ſe *Regem Ariobarzanem Euſeben Philoromaeum* defendiſſe, eiuſque Ariobarzanis *amantiſſimum fratrem Ariarathem* fuiſſe dicit. Ergo Ariobarzanis ſenioris filius, ac ſucceſſor a Pompeio conſtitutus, atque a Cicerone ſervatus non alio, quam paterno *Ariobarzanis* nomine, vocabatur. Itaque id optime quidem Goltzius (4), Nonnius, Patinus (5), Begerus (6), aliique plurimi, qui quum in Ariobarzanum Nummis perſpicuam oris varietatem obſervaſſent, atque Ariobarzanem a Cicerone ſervatum ab altero diſtinguendum eſſe intelligerent, qui Mithridatico bello floruerat, hunc Ariobarzanem I., illum II vocarunt, ipſumque ſenioris ſucceſſorem dixere; id vero minus felici-

(1) Lib. V. c. 7. (2) Ad Attic. Lib. XIII. ep. 2. (3) Ad Famil. Lib. XV. ep. 2. 4. & ad Attic. Lib. V. ep. 20. (4) Graec. Num. (5) In Theſaur. (6) Theſaur. Tom. III. pag. 12.

ter accurateque quod Ariobarzanem II. primi *filium* fuiſſe coniectura ſolum, non vero ullo Veterum teſtimonio confirmarunt, quod tamen perſpicua Ciceronis auctoritate praeſtari tunc poterat, nuncque illuſtrius adhuc ex noſtro Marmore apparet ubi *rex Ariobarzanes* alterius *Ariobarzanis regis, & Athenaidis reginae filius* aſſeritur.

Exinde vero pulcherrimus Ciceronis locus mire illuſtrari iam poterit, qui hactenus ambiguus, & obſcurus erat; ſicuti viciſſim ex Cicerone maximus Marmori noſtro ſplendor accedet. Cicero Ciliciae Proconſul magnifice memorans quae in Cappadocia geſſerat, ait[1] *regem Ariobarzanem praeſentibus inſidiis liberavi; neque ſolum ei ſaluti fui, ſed etiam curavi ut cum auctoritate regnaret. Metram, & Athenaeum importunitate Athenaidis exilio multatos maxima apud regem autoritate, gratiaque conſtitui.* Manutius Ciceronis interpres ambigit an *Athenaidis* nomen *Civitatem*, an *mulierem* ſignificet; quumque *Athenaidis* mulieris nomen in Romano Lapide obſervaſſet, ſubdit: *malo nomen eſſe mulieris, quam civitatis, ut regis uxor, materve fuerit; nam* importunitate *aptius de muliere dici puto, quam de civitate.* Sed ambages omnis Marmoris noſtri praeſidio dirimitur, in quo *Athenais* illa *Ariobarzanis I.* uxor, *Ariobarzanis II.* mater aſſeritur; quumque Ariobarzanes I. Cicerone teſte [2] *acerbiſſimo caſu* inſidiis nempe, ac fraudibus, interemptus eſſet, perſpicue apparet Athenaidem marito ſuperſtitem fuiſſe, plurimumque apud Ariobarzanem filium *importunitate* potuiſſe. Itaque, ſi patris, matriſque nomen, quod in Marmore exprimitur, non alteri, quam Ariobarzani II. convenire poteſt, ut perſpicuis eiuſmodi Ciceronis teſtimoniis demonſtratur, dubitari non poteſt, quod Marmor ipſum ad Ariobarzanem II. unice ſpectaſſe debeat.

Hoc ipſum ex Εὐσεβοῦς, ac Φιλορωμαίου titulis Marmori inſcriptis aperte deduci poteſt. Etenim, ut antea vidimus, Cicero quoque Ariobarzanem regem Ariobarzanis, & Athenaidis filium, ac Ariarathis fratrem EVSEBEN, & PHILOROMAEVM appellat; perinde quaſi tituli, ac voces illae Ariobarzanem hunc veluti characteres diſtinguerent. Ergo, quum eadem prorſus nomina, titulique in Marmore

(1) Ad Famil. Lib. XV. ep. 4. (2) Ibi epiſt. 2.

more obſerventur, unus idemque rex utrobique deſignabitur. Quinetiam Vrſinus (1) aſſerit argenteum Nummum ſibi conſpectum eſſe, in quo legebatur ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΕΥCΕΒΟΥC ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ, uterque nempe titulus ille exprimebatur; quamvis in tribus Nummis *Ariobarzanis* nomine inſcriptis apud Gesnerum ſolum *Philoromaei* nomen occurrat. Atque eiuſmodi quidem Nummos Geſnerus ita collocat, ut priores duo, in quibus una eademque facies conſpicitur, ad Ariobarzanem I., tertius autem alio vultu inſignis ad II. ſpectaverit. Spanhemius (2) tamen, & Begerus primos ad Ariobarzanem noſtrum revocaverit, qui in adverſa unius parte *curuli ſedi* ſibi a patre, & Pompeio deſtinata inſidens conſpicitur. In eo tamen Begerus ipſe hic fallitur quod Nummos omnes ad unum eumdemque Ariobarzanem II. referendos eſſe arbitratur, quod nimirum ipſe Φιλορωμαίου titulum a filio, non a patre, uſurpatum eſſe putaverit, adeoque Patinum reprehendat, qui Ariobarzanem I *Philoromaeum* vocatum fuiſſe dixerat (3). Etenim, ut obſervavi, in Nummis ipſis maxima quidem oris varietas, ſed unus tamen, idemque Φιλορωμαίου titulus reperitur; quemadmodum Ariobarzanem etiam patrem *Populi Romani ſocium*, & *Amicum* appellatum eſſe iam vidimus.

Quemadmodum vero Athenienſe Marmor Ariobarzanis II. patri adſcribi non poſſe demonſtravimus, ita facile oſtendi poterit Ariobarzani cuidam III. hoc eſt Ariobarzanis II. *filio*, vel ſucceſſori, tribui non poſſe. Etenim, quum Caeſare interempto, Brutus, & Caſſius contra Antonium, & Octavium Caeſarem de imperio certarent, *Caſſius equites in Cappadociam praemiſit, qui Ariobarzanem nihil tale metuentem quaſi inſidias olim ſibi praeſtruxiſſet, oppreſſere, pecuniamque eius plurimam, omnemque alium apparatum ad eum adduxere* (4). Itaque anno V. C. 712. Ariobarzanes II. imperio vitaque privatus fuit; quumque ipſi Ariarathes frater ſucceſſerit, Ariobarzanes alius inter Cappadociae reges admitti non poterit, cum Archelaus Ariarathis huius ſucceſſor *quinquageſimo* regni anno Romae moriens anno V. C. 770. regnum ipſum, Dione (5) ac Iornande (6) teſte Popu-

(1) Ad Epiſt. Cic. 2. Lib. XV. Famil. (2) De Praeſt. Numiſ. Diſs. VIII. num. 4. (3) Tom. III. pag. 13. (4) Appian. Civil. Lib. IV. (5) Lib. LVII. p. 704. (6) Lib. I.

lo Romano reliquerit, adeoque Cappadocum regnum in Provinciae formam redactum fuerit, quod ipſa quoque Caeſaris aetate inceptum, illudque a Praetoribus adminiſtratum fuiſſe ſcribit Appianus [1]. Certe Iornandes ipſe teſtatur, quod Cappadoces *magnam civitatem ſuam Mazacam in honorem Caeſaris Caeſaream appellaverunt*; quemadmodum Strabo metropolim illam non modo *Mazacam*, verum etiam *Euſebiam* vocatam fuiſſe memorat [2] cognomine, opinor, ab Ariobarzane II. *Euſebe* ipſi impoſito; quemadmodum *Caeſareae* nomen vel a Iulio Caeſare profluxit, ut Appianus innuere videtur; & Conſtantinus [3] aſſerit; vel ab Auguſto, ut Hieronymus [4]; vel a Tiberio, ut Suidas [5], & Euſebius [6], vel denique a Claudio, ut longe veriſimilius Sozomenus [7], & Caſſiodorius [8] exiſtimarunt. Certe Strabo, qui Tiberio imperante vixerat, & gente Cappadox fuit, Mazacam aetate ſua *Euſebiam* quoque appellatam fuiſſe ſcribit, nihilque tamen de alio *Caeſareae* nomine adiecit: quod argumento eſſe debet nondum Strabonis, ac Tiberii aetate tertium illud Vrbi nomen inditum fuiſſe.

Ceterum, ne quidpiam diſſimulem, corrigendam obiter Begeri, aliorumque ſententiam exiſtimo, qui *Ariarathem* Ariobarzanis I. filium Ariobarzani II. fratri ſuo in Cappadociae regno ſucceſſiſſe putant; quippe qui viderim Ariarathem ipſum fratre adhuc ſuperſtite Cappadociae imperio potitum fuiſſe. Etenim Hirtius [9] iter deſcribens, quo Caeſar anno V. C. 707. Pompeio iam defuncto, adverſus Pharnacem ſuſcepit, aſſerit illum in Cappadociam veniſſe, tum ſubdit: *fratrem autem Ariobarzanis Ariarathem, ne aut regni haereditas Ariarathem ſollicitaret, aut haeres regni terreret, Ariobarzani attribuit, qui ſub eius imperio, ac ditione eſſet*. Ergo, quum Ariobarzanes Dione [10] teſte anno V. C. 712. a Caſſio interemptus fuerit, perſpicue apparet Ariarathem fratri ſuperſtiti veluti imperii Collegam deſtinatum fuiſſe. Itaque corrigendus hic obiter Appiani [11] locus, in quo Scriptor

(1) In Mithrid. vid. Strabo XII. pag. 534. (2) Sttab. XII. pag. 537. & Plin. VI. c. 3. (3) Lib. I. Them. 11. (4) Chr. (5) In Καισαρεια. (6) Chron. Vid. Scil. pag. 184. (7) Lib. V. c. 2. (8) Hiſt Trip. VI. c. 4. (9) De Bello Alexandr. (10) Lib. XLVII. pag. 395. (11) Bell. Civ. Lib. II.

ptor ille reges enumerans, qui anno V. C. 706. in Pharſalio bello contra Caeſarem, Pompeio opem tulerant, inter illos *Ariarathem Cappadociae regem* diſerte memorat; quum tamen Ariarathes ipſe nonniſi proximo demum anno imperium ſuſceperit; idemque Caeſar reges ipſos enumerans dixerit (1), *Delectorum equitum ſexcentos Gallos Deiotarus adduxerat, quingentos Ariobarzanes Cappadocia*. Hinc in Appiani textu *Ariobarzanis*, non *Ariarathis*, nomen exarandum erit; quum praeſertim Ariobarzanes ipſe Caeſarem in bello contra Pharnacem iuviſſe dicatur (2); atque Ariarathes ab anno ſolum V. C. 707. regis titulo ſit decoratus, occiſoque fratri ſucceſſerit anno 712. ad annum uſque V. C. 719. quo Antonius *Cappadociae regem, eiecto Ariarathe, Archelaum ab Archelais*, qui contra Romanis bellum geſſerant, oriundum inſtituerit (3). Corrigendus etiam, aut certe explicandus Strabonis (4) locus, qui, quum Ariobarzanem a Cappadocibus in regem electum eſſe dixiſſet, ſubdit εἰς τριγένειαν δὲ προελθόντος τῦ γένυς ἐξέλιπε. Κατεςάθη δ' ὁ Ἀρχέλαος ὐδὲν προσήκων αὐτοῖς, Ἀντωνίυ καταςήσαντος *in tertia ſtirpe genus defecit. Exinde Archelaus ab Antonio rex eſt conſtitutus nulla propinquitate eam familiam attingens*. Etenim, ſi rite calculus ineatur, non in *tertiam*, ſed in *ſecundam* ſolum generationem Cappadociae regnum in Ariobarzanis familia proceſſit, quum Ariarathes ipſorum regum poſtremus Ariobarzanis II. frater, non filius eſſet; adeoque *tres* quidem reges, non vero *tres* regum generationes in ea familia numerentur.

Ceterum ex Ariobarzanis II. aetate perſpicuis adeo characteribus, Veterumque teſtimoniis demonſtrata, vera ipſius effigies, verique Nummi diſtingui debent; ut ipſi nempe unicus ille adſcribatur, qui ex Haymo a Gesnero num. 11. profertur; duo vero praecedentes ex Goltzio deprompti, quorum alter a Begero quoque exhibetur, ad Ariobarzanem I. referri debeant, quamvis Begerus hunc Ariobarzani II. conceſſerit. Coniecturam hanc opinionemque, quae mihi pridem inſederat, characteribus ΓA confirmari poſſe putaverim, qui in adverſa Nummi facie, dextraque areae par-

(1) De Bel. Civ. Lib. III. c. 4. (2) Dio Lib. XLII. pag. 232. (3) Lib. XLIX. pag. 469. (4) Lib. XII. pag. 540.

parte conſpiciuntur, ac numeralium notarum inſtar, regni annos deſignant; adeoque ita refingi, corrigique debent, ut in iis ΓΑ numerus habeatur, quo *triceſimus tertius* regni annus perſpicue deſignaretur. Si id ego rite coniecerim, Nummus ille a Goltzio, & Begero prolatus, itidemque Nummus alter, qui eadem regis imagine inſignitur, ad Ariobarzanem II. cum Begero, & Spanhemio referri non poterit, qui vix *viceſimum* regni annum expleverat; optime vero Ariobarzani I. concedi poterunt, qui anno V. C. 660. in regnum a Sylla reſtitutus *duos ac triginta* ſolus in regno annos exegerat antequam regnum anno V. C. 692. filio concederet; ideoque *triceſimum tertium* ab inito regno annum certiſſime ſuperavit. Si cui tamen characteres illi non numerales temporis notae, ſed vocis compendia videantur, qua urbs illa, vel regio deſignetur, in qua Nummi cuſi fuerint, is facile in Cappadocia *Gazuriam*, *Gazelum*, *Gangren* oppida a Plinio (1) memorata, ſimulque *Gazacenam*, & *Garſauritidem* regionem eidem Plinio, ac Straboni (2) celebratam inveniet, ad quam Ariobarzanis Nummi, adeoque charaćteres illi, vel notae referantur. Qui Nummos ipſos, & characteres iis inſcriptos accuratius explorare poterit, facile definiet an ibi urbis, gentiſve nomen, an regni potius anni deſignentur, adeoque Nummi ipſi ad Ariobarzanem II. referri debeant. Illud unum ex Ariobarzanis II. aetate iam definita peſpicue apparet quod Marmoris noſtri aetas ita circumſcribi poterit, ut illud inter annos V. C. 692. & 712. exaratum cenſeri debeat, eo nempe temporis ſpatio, quo Ariobarzanes II in Cappadocia imperavit; quumque iam inde ab anno V. C. 703. ut ex Ciceronis epiſtola apparet, Ariobarzanes ipſe *Euſebis*, ac *Philoromaei* titulos adeptus eſſet, ac utrumque vel ipſo regni initio obtinuiſſe videatur, Marmor ipſum ad eadem regni ſuſcepti tempora ſpectaverit.

Qua vero de cauſſa, quibuſve beneficiis Athenienſes ab Ariobarzane II obſtricti, hoc memoris, gratique animi monumentum excitaverint, divinare vix poſſumus. Fortaſſe tamen Athenienſes, qui Mithridatici belli tempore Mithri-

(1) Lib. VI. c. 2. & 3. (2) Lib. XII. pag. 534. & 540.

thridati adhaeſerant [1], cum Pompeio victore, Ariobarzanis ſequeſtris opera, in Romanorum gratiam rediere, priſtinamque libertatem, novarumque Provinciarum acceſſionem obtinuere. Ita quoque cum Athenienſes ipſi, Ariobarzanis inſtar, in Pharſalico bello Pompeii partes ſequuti eſſent, eoque interempto, a Q. Fuſio Caleno Caeſaris Duce ſuperati forent, a Caeſare veniam, atque amicitiam impetrarunt [2], idque fortaſſe Ariobarzane Caeſaris amico, ac ſocio pro Athenienſibus exorante. At fieri etiam potuit ut Ariobarzanes donis, largitionibus, editiſque Ludis, aut Feſtis publice de Athenienſi Populo bene mereri voluerit: quippequi divitiis, regiiſque opibus abundaret, quas Caſſius Ariobarzane occiſo diripuit, ut ſuperius eſt obſervatum. Hinc temere prorſus, & inconſulto Middletonius, qui Ciceronis Vitam nuper conſcripſit, Horatii [3] verſum

Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex

ad Ariobarzanem hunc a Cicerone ſervatum revocavit; quum longe commodius de Archelao Cappadociae rege intelligi id poſſit, qui anno V. C. 719 regnum ab Antonio obtinuit, hoc eſt 27 annis antequam Horatius e vivis excederet; quum praeſertim Horatius ipſe ad viventem, non vero defunctum Cappadociae regem, digitum intendere videatur.

Quaecumque vero ſuperiori Marmori opportune explicando iam protuli alterius etiam Marmoris praeſidio confirmari, vel illuſtrari facile poterunt, cuius apographum iam inde ab anno 1743. Athenis in Gallias tranſmiſſum mihi perhumaniter a Cl. Viro Philippo Venuto Patricio Cortonenſi communicatum fuerat, qui quum in Gallia verſaretur, regiaeque Academiae Burdegalae inſtitutae a Secretis foret eximia eruditionis gloria ibi floruit, moxque Etruriae ſuae reſtitutus optima quaeque Diſciplinarum ſtudia qua auſpicio, qua humanitate, qua praeclaris editis Lucubrationibus ornare pergit. Eiuſmodi vero Epigraphe hoc prorſus verſuum ordine, ac numero in apographo mihi communicato exhibetur

BA-

(1) Eutrop. Lib III. c. 5. & Plutar. in Sylla. (2) Dio Lib. XLII. pag. 215. (3) Epiſt. Lib. I. ep. 6. ver. 39.

ΒΑΣΙΛΕΑ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ ΤΟΝ ΕΚ ΒΑΣΙΛΕΟΣ
ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ
ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΥ ΟΙ ΚΑΤΑΣΤΑΘΕΝΤΕΣ
ΥΠ ΑΥΤΟΥ ΕΠΙ ΤΗΝ ΤΟΥ ΩΙΔΕΟΥ ΚΑΤΑΣΚΕΥΗΝ *ſic*
ΓΑΙΟΣ ΚΑΙ ΜΑΡΚΟΣ ΣΤΑΛΛΙΟΙ ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΙ ΚΑΙ
ΜΕΝΑΛΙΠΠΟΣ ΕΑΥΤΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ

Regem Ariobarzanem Philopatora regis
Ariobarzanis Philo-Romaei, & reginae
Athenaidis Philoſtorgi filium *conſtituti*
ab illo ſuper Odei conſtructionem
Caius, & Marcus Stallii Caii filii, &
Menalippus ſuum benefactorem honorant

Si brevis, & elegans haec Inſcriptio cum ſuperiori conferatur, perſpicue apparebit utramque ad Ariobarzanem II poſtremumque eius nominis Cappadociae regem ſpectare, quem Ariobarzanis I. atque Athenaidis reginae filium fuiſſe iam vidimus. Quandoquidem vero *Philopatoris* nomen hic *ſecundo*, in ſuperiori autem Marmore Ariobarzani *primo* tribuitur, ac viciſſim *Philoromaei* titulus, qui ſuperius patri conceſſus fuerat, hic filio ſolum adſcribitur, dubitari certe non poterit quin uterque titulus ille honoris cauſſa utrique regi communis foret, adeoque promiſcue ab utroque rege adhiberetur; ut proinde ſolo tituli praeſidio Ariobarzanes unus ab alio diſtingui non poſſit. Ita propemodum *Philoſtorgi* nomen, quod in hoc uno Marmore Athenaidi conceſſum occurrit, ipſius humanitati ac benevolentiae exprimendae uſurpatum putaverim, cum nulla fuerit Athenais alia, a qua Ariobarzanis I. coniux *Philoſtorgi* titulo veluti charactere diſtingui deberet.

Ceterum ex integra Marmoris ſerie erudimur quod Ariobarzanes ille auſpicio, ſumptuque ſuo Odeum Athenis extruxit, eique operi Caium, & Marcum Caii Stallii filios praefecit, qui una cum Menalippo eius muneris ſocio Ariobarzani regi tum communi Athenienſium, tum privato ipſorum benefactori titulum hunc fortaſſe ſtatuae ſub-

ie-

iectum excitarunt. Ac *Stallii* quidem Romanis civibus acceнſeri debent, quum *Stallia* gens ex Doniano Marmore [1] comperta iam foret; Menalippus autem facile Cappadox, non Athenienſis fuit, quum ipſius Populus hic omnino diſſimuletur, quod fieri certe vix poterat, ſi Athenienſis civitatis iure donatus foret.

Denique quod Odeum ab Ariobarzane rege hic exſtructum dicatur non ita intelligi profecto debet, ut aedificium illud a Cappadociae rege a fundamentis excitatum fuerit, quum Odeum ipſum Pericle curante iampridem ante Olymp. LXXXVII. Athenis exſtructum foret [2], eiuſque mentio apud Andocidem [3], & Ariſtophanem [4] occurrat, cuius teſtimonium opportunius alibi [5] expoſui. Sed vetus aedificium illud ab Ariſtione Athenienſis Vrbis Praefecto tunc temporis incenſum fuit cum Sylla anno V. C. 668. ſive 3. Olymp. CLXXIII. Athenas obſidebat; ne ſcilicet hoſtis Odei trabibus, quas Pericles ex Perſicarum navium malis, & antennis conſtruxerat, arci oppugnandae uti poſſet, ut perſpicue diſerteque ſcribit Appianus [6]. Itaque Vitruvius ait quod Odeum ipſum *incenſum Mithridatico bello rex Ariobarzanes reſtituit*. Id vero poſt annum V. C. 692. ſed ante 712. annum contigiſſe ex Ariobarzanis II. aetate ſuperius conſtituta deduci poterit; eademque temporis nota, & Ariobarzanis II nomen ceteris adiungi iam poterit, quae de Athenienſis urbis Odeo erudite, copioſeque a Meurſio [7], tum ex Graecis, tum ex Latinis etiam Scriptoribus collecta fuerant.

XI.

Athenis

in Collegio novo

Θαλην Δωσιθεȣ Παμβωταδην
τον Κοσμητην Θ εφηβος
Δρυαντιανος Καλλιασχρου
Μαραθωνιος

(1) Doni Inſcript. pag. 219. n. 227. Murat. pag. 147. n. 1. (2) Plutar. in Pericle Vitruv. Lib. V. c. 9. (3) Orat. XVI. de Myſter. (4) Veſp. ver. 1103. (5) Tomo I. pag. 30. (6) Mithridat. (7) Lect. Attic. Lib. IV. c. 28.

Thaletem Doſithei filium *Pambotadem*
Coſmetam Θ *Ephebus*
Dryantianus Callaeſchri filius
Marathonius

Notae in Marmor XI.

Niſi plurimum fallor, hic titulus ſtatuae cuidam ſubiectus fuerat, qua *Dryantianus Callaeſchri filius Marathonius Ephebus Thaletem Doſithei filium Pambotadem Coſmetae* munere functum honoravit. Atque omnia certe in eiuſmodi titulo perſpicua ſunt, niſi quod ſigla, vel character Θ, qui inter *Coſmetae*, ac *Ephebi* nomen occurrit, ambiguum ſenſum efficit, planeque non conſtat an ille ad *Coſmetam* ipſum, vel ad *Ephebum* potius, pertineat. Si ad Coſmetam referatur, indicare facile poterit Coſmetam ipſum iam vita functum fuiſſe, adeoque legendum eſſet Θανόντα. Sed character ille numeralis etiam nota eſſe poterit, ut exprimatur Thaletem ipſum ἐννεάκις *novies*, aut *nonum* Coſmetae munus obtinuiſſe. Sin vero compendium illud ad Dryantianum Ephebum referre libeat, tunc facile ſuppleri, legique poterit Θῆκατα *dicavit*, quemadmodum prorſus, ut illuſtre, maximeque accomodum exemplum hic proferam, in Sponiano Marmore legitur (1)

Εικονα τηνδε Ποθεινος εν Εφηβοισι παλαιστρα
Τευξας Κοσμητου Θηκατα Νυμφοδοτου
Imaginem hanc Pothinus in Ephebis victoriam palaeſtra
Adeptus Coſmetae Nymphodoti poſuit.

Itaque, ſicuti Pothinus Ephebus victoriam palaeſtra ſive lucta adeptus Nymphodoti Coſmetae ſtatuam *dedicavit*, ita quoque honorem ipſum Thaleti Coſmetae Dryantianus Ephebus deferre potuit.

No-

(1) Pop. Attic. art. 4. Vid. Faſt. Attic. Tom. II. pag.

XII.

Athenis

Διονυσια
Δωριωνος
Μιλησια
Διονυσιου
Μιλησιου
γυνη

Dionyſia
Dorionis filia
Mileſia
Dionyſii
Mileſii
uxor

Notae in Marmor XII.

Breviſſima haec ſepulcralis Inſcriptio eo ſolum nomine inſignis eſſe poterit quod accuratam Sponii ſententiam confirmat, qui ceteris Atticae *Populis Miletum* quoque Sigonio, Meurſio, ceteriſque Scriptoribus ignoratum Marmorum quorumdam praeſidio adiungendum eſſe putavit [1]. Etenim in illa perſpicue dicitur Dionyſiam *Mileſiam*, itidemque Dionyſium ipſius coniugem *Mileſium* fuiſſe; quumque titulus *Athenis* poſitus ſit; ac cives illi ad *Miletum* Aſiae urbem ſpectare vix poſſint, *Miletum* aliud admittendum erit, quod ceteris Atticae Populis accenſeatur, ut optime Sponius exiſtimavit. Id vero perperam Sponius ipſe mox ſubdit, ea quoque de cauſſa in Plinii textu, ubi nunc legitur [2] *oppidum Melite* cum veteribus codicibus reſcribendum eſſe *Oppidum Miletum* quod *Melite* ipſa non *oppidum*, ſed Athenienſis urbis pars, foret. Quamvis enim Meurſius *Melitem* intra urbis moenia collocaverit, ac *Melitides portas* a Marcellino memoratas, ut mox oſtendetur, non alterius, quam

(1) Pop. Attic. art. 107. (2) Lib. IV. c. 7.

Athenienſis Vrbis, fuiſſe dixerit [1], ego tamen Melitem ipſam, aliorum Populorum inſtar, extra Vrbis moenia in Athenarum agro collocatam eſſe conſpicio. Etenim, ut argumenta cetera omittam, illuſtris Strabonis locus occurrit, in quo Colyttum Melite proximum, ac utrumque ab Athenienſi urbe diſtinctum fuiſſe demonſtrat. Ut enim oſtenderet quorumdam locorum fines atque diſcrimina definiri vix poſſe, ait [2]: μὴ ὄντων γὰρ ἀκριβῶν ὅρων, καθάπερ Κολυττȣ̃, κ̉ Μελίτης, (οἷον ςηλῶν, ἢ περιβόλων) τȣ̃το μὲν ἔχειν φάναι ἡμᾶς, ὅτι τȣ̃το μέν ἐςι Κολυττὸς, τȣ̃το δὲ Μελίτη, τȣ̀ς ὅρȣς δὲ μὴ ἔχειν εἰπεῖν *quum certi termini non reperiantur, ut inter Colyttum, ac Melitem, columnae ſcilicet, aut moenia, hoc quidem dicere poſſumus hunc Colyttum, hanc Melitem eſſe; ſed terminos aſſignare non poſſumus*. Quis hic aperte non videat a Strabone terminos, ſtelas, ac moenia negari, quibus Melite a Colytto ſecerneretur, adeoque perſpicue ſatis oſtendi quod Melite ipſa Athenienſis urbis pars eſſe non poterat? alioquin haec urbis moenibus circumſcripta, atque a Colytto ſecreta fuiſſet. Accedit etiam quod ſi Athenarum portae, quae *Melitides* vocabantur, a *Melite* Populo nomen duxiſſent, ut Meurſius, Pinedo, aliique putarunt, tunc Melite ipſa Colytto proxima, ſive finitima cenſeri non poſſet; quum portae illae ἐν Κοίλῃ *in Coele*, ſive prope Coelem Atticae Populum reperirentur, adeoque non Colyttus, ſed Coele, Melite Populo finitima habenda foret. Itaque Meurſii, Sponii, Pinedo, aliorumque pace ego dixerim *Melitem* illam, quae intra Vrbis moenia reperiebatur, a *Melite* Atticae Populo diſtinguendam eſſe, quae extra Vrbis moenia in Atticae regionis agro collocata fuerat; adeoque varia Scriptorum loca, quae de interiori, urbanaque Melite intelligi debent, temere prorſus ad Melitem aliam, Atticaeque Populum translata fuiſſe. Hinc ubi Plutarchus [3] aſſerit Phocionis domum adhuc aetate ſua ἐν Μελίτῃ oſtendi, facile urbanam Melitem illam expreſſit. Ita cum Marcellinus [4] aſſerit quod πρὸς ταῖς Μελιτίσι πύλαις καλȣμέναις ἐςὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλȣ́μενα Κειμόνια μνήματα *ad portas, quae Melitides vocantur, in Coele ſunt ea, quae Cimonia appellantur;* mo-

(1) Athen. Attic. Lib. III. c. 12. (2) Lib. I. pag. 65. (3) In Phoci. (4) In Vita Thucyd.

monumenta, atque Pauſanias [1] ait Thucydidis ſepulcrum ὀ̓ πόῤῥω πύλων Μελιτίδων *non procul a portis Melitidibus* reperiri, de urbana Melite intelligi debent; quum Marcellinus ipſe mox ſubdat quod Thucydides ἐν Ἀθήνησιν ἐτάφη πλησίον τῶν Μελιτίδων πυλῶν, ἐν χωρίῳ τῆς Ἀττικῆς, ὃ προσαγορεύεται Κοίλη *Athenis ſepultus eſt iuxta portas Melitidas in Atticae regionis loco, qui appellatur Coele*. Vbi vero Heſychius ait quod ἐν τῷ Μελιτέων δήμῳ οἶκός τις ἦν παμμεγέθης, εἰς ὃν Τραγῳδοὶ ἐμελέτων *in Melitenſium Populo ingens quaedam domus erat, in qua Tragoedi exercebantur*, de exteriori ſolum Melite intelligi poterit, in qua Tragoedi, prorſus ut in *Lenaeo* extra Vrbem poſito, exercebantur; quamvis haec omnia Meurſius, ac Pinedo ad unam, eamdemque Melitam temere revocaverint. Quemadmodum ergo *Colonus*, & *Ceramicus* unus intra Vrbem, *Colonus*, ac *Ceramicus* alter extra Vrbem fuerat, Atticaeque Populis non *interior*, ſed *exterior* ſolum Colonus, & Ceramicus inſcriptus erat, ita interior, ac exterior *Melite* admitti debet; ſed ita tamen ut *Populi* nomen exteriori ſolum Melite Colytto proximae concedatur.

XIII.

Athenis.

DIS MANIBVS
Q TVRRANIO MAXIMO
PRAECEPTORI ET
AMICO BONORVM
CONSILIORVM
SAGARIS AMIMI AVG SER.
VERNA EAROARI PROVINC.
ACHAIAE VICAR
MERENTI MEMORIAm

Notae in Marmor XIII.

Graecorum Marmorum ſeriem hic claudat Latina Inſcriptio non ſolum ut ab erroribus, qui irrepſerant, emende-

(1) Attic. c. 23.

detur; verum etiam ut aliqua ad Romanam hiſtoriam ſpectantia opportune illuſtrentur. *Turraniae* gentis memoria in pluribus monimentis aliis occurrit. Id vero obſervandum quod *Q. Turranius Maximus* Sagaris *Praeceptor, & Amicus bonorum conſiliorum* inſueta quidem, ſed eleganti, atque honorifica formula nominatur: perinde quaſi maximum, rarumque tamen, amici officium ſit conſiliis bonis amico adeſſe, ipſumque amici praeceptoris inſtar dirigere. Sagaris autem ille, qui Praeceptori, & amico merenti memoriam poſuit, *Anthimi* filius fuit, ſi rite ſecundam quarti verſus vocem refinxerim. Etenim in pluribus monimentis aliis, in quibus Auguſtorum Servi memorantur, repente poſt ipſorum nomen, patris nomen ſubiicitur, ut in exemplis mox proferendis apparet. Ex ſuperſtitibus autem literis, ipſarumque nexu nullum aliud nomen concinnius, atque facilius exſculpi poterit, quam ANTIMI; ſive, ſi duo characteres T, & H in unum coaluerint, ANTHIMI, quum praeſertim eiuſmodi *Servorum* nomina non Romana, ſed Graeca forent. Quod vero Sagaris ipſe *Auguſti Servus Verna* dicatur, id facile pluribus exemplis aliis, ſive Lapidibus illuſtrari vel confirmari poſſet, in quibus alteruter, vel etiam uterque ex titulis illis inter *Officia Domus Auguſtae* occurrit. Maxima potius obſcuritas, atque perplexitas in incondita voce EAROARI obſervatur. Quolibet tamen pignore contenderim ibi levi, facilique mutatione legendum eſſe ARCARI, ſive TARCARI; atque in penultimi verſus fine VICARIVS; ut nitide nempe exprimatur quod Sagaris *Arcarii Provinciae Achaiae Vicarius* fuit. Ac de *Arcariis* quidem, ipſorumque munere fuſe Reineſius (1), Pignorius (2), aliique plurimi, qui perſpicue oſtendunt eo nomine ſervos illos intelligi, qui privato publicoque Auguſtorum peculio ſervando, erogandoque praeerant, ut proinde ex pecuniarum *arca* nomen acceperint. Quod vero *Arcarii* quoque, *Diſpenſatorum* inſtar, *Vicarios*, atque Adminiſtros habuerint, ex duobus praeſertim Lapidibus oſtendi poteſt, in quorum altero apud Gruterum (3) legitur: *Aſcanius Philoxeni Ti. Claudii Caeſar Augu-*

(1) Claſs. VI. num. 70. (2) De Servis pag. 158. 159. (3) Pag. 580. num. 10.

guſti Servus Vic. Arcari; in alio vero apud Muratorium [1] habetur: *Calliſtus Phoebi Caeſaris Auguſti Arcari Vicar.* Itaque Sagaris noto iam, uſitatoque munere eius *Arcarii Vicarius* fuit, qui in Provincia Achaia cuſtodiendis ſervandiſque pecuniis electus erat; quemadmodum *Fauſtinus* ille, qui in Romano Lapide [2] dicitur SER. ACT. ARK. EX AFRICA Lucii Inſteii ſervus erat, itidemque *Actor Arcarii ex Africa*, Africae nempe Quaeſtori, vel Arcario in exigendis pecuniis, velut *actor*, ſive *exactor* inſerviebat. Etenim vix Cl. Interpreti conceſſerim ibi voces *ex Africa* Fauſtini *patriam* deſignare; non modo quod patria non regionis, ſed urbis, nomine deſignari debuiſſet; verum etiam quod in Muratoriano Marmore [3] *Ark. Provinciae Africae* legatur; quemadmodum prorſus in noſtro dicitur: *Arcari Provinciae Achaiae*. Ita quoque in Liviae Auguſtae Domo peculiarem quemdam *Arcarium* fuiſſe Marmor oſtendit, quod in ſepulcreto ipſius Libertorum inventum a Cl. Gorio [4], & Muratorio [5] editum fuit

AMIANTVS
AVGVSTAE L. ARC
IS. DAT. CHIO. HOMERII. FRAT.

Quo certe loco, ut id obiter moneam, legendum arbitror HOMERI L. hoc eſt *Homeri Liberto*. Etenim in Sepulcreto ipſo titulus alius inventus eſt, in quo legitur [6]

AMIANTHVS. LIVIAE
AD VENEREM
LIR. HOMERI. L
DED. AMIANTHVS. L

Quamvis ergo Cl. Muratorius exiſtimaverit Amianthum hunc Homeri verſus ad lyram decantaſſe ut voluptatem audienti Dominae crearet, perſpicuus tamen Epigra-

(1) Pag. 915. n. 1. (2) Gori Columb. Liviae pag. 263. (3) Pag. 906. num. 4. (4) Columb. Liviae Aug. pag. 263. (5) Pag. 886. num. 5. (6) Murat. ibi n. 6.

graphes ſenſus hic poſtulat, ut contracta voce LIR. aut femina, aut vir alius deſignetur *Homeri Libertus*, cui Amianthus ollam, aut locum dederit. Itaque ſicuti Amianthus cuidam LIR. *Homeri Liberto* ſecundam ollam conceſſit, ita quoque *Amianthus* alius *Chio Homeri Liberto* fratrique ſuo ollam aliam conceſſerat; niſi fortaſſe quis velit unum eumdemque Amianthum prius Auguſtae Liviae *ad Venerem*, mox *Arcarium* fuiſſe. Ceterum haec ipſa Liviae Auguſtae *Arca*, cui Amianthus praeerat, eximiam Inſcriptionem (1) aliam in mentem revocat, in qua *Titus Antonius Alphenus Arignotus* Ἐπίτροπος τῦ Σεβαςῦ Ἄρκης Λειβιάνης *Curator Auguſti Arcae Libianae* fuiſſe dicitur. Quis vero in explicando hoc Marmore nobis ediſſerat quid *Arcae Libianae*, ſive *Livianae* nomine intelligatur, cui Alphenus ille *Caracallae* Caeſaris aetate, adeoque ducentis fere poſt *Liviam Auguſtam* annis, praefuerit? Num ibi Λειβία pro Λιβύα ponitur, adeoque barbara, inſuetaque formula Arca *Libiana* vocatur illa, in quam pecuniae ex *Libya* collectae inferebantur, ſicuti ſupra *Arcarius ex Africa* nominatur? Num Arca quaedam publica alicubi fuerat, quae a *Livia* Auguſta nomen acceperat, ideoque *Liviana* dicebatur? Certe in eximio Fabretti (2) Marmore, in quo Fabrum, & Centenariorum Collegium memoratur, perſpicue recenſetur CVRATOR ARCAE TITIANAE COLLEGII SS. ideſt *ſupraſcripti*; ut proinde Arca quaedam a *Titi* nomine *Titiana* vocaretur. Itaque fortaſſe Arca alia a Liviae nomine *Liviana* appellari facile poterit, cui Alphenus ille Curator electus erat. Sed haec opportunius, ac diligentius alibi inquiri debent, quum INSCRIPTIONES ATTICAS hactenus ineditas hic illuſtrandas ſuſceperim.

(1) Murat. pag. 674. num. 1. (2) Inſcript. Domeſt.